


ENCOMIORVM TOMVS ALTER
continens
ENCOMIA Illustriū uirorū, ac foeminarū
ueteris historiæ sacræ
una cum collatione exterorum, qui
sub diuersis imperiis, regnis, ac dynastiis
fuere illis Synchroni,
quibus unius, ac veri Numinis cultores præponuntur
Additur in fine
SYNOPSIS.
SYNCHRONOLOGIÆ
Auctore
P. BAPTISTA MASCVLO NEAPOLITANO
e Societate Iesu.

Neapoli apud Ægidium Longum Typographum Regium An. MDC.XLI.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO,
ET EXCELLENTISSIMO
Domino

# D. CAESARI FERRAO

PRINCIPI S. AGATHAE, &c.

IOANNES BAPTISTA MASCVLVS
è Societate Iesu S. D.

*CVm instituissem in hoc opere (Princeps Excellentissime) antiquorum heroũ, atq; heroidum, de quibus in sacra historia vetere mentio fit, res piè, ac præclarè gestas encomijs celebrare, & cum gentium exterarum monumentis non sine laudis prærogatiua conferre, aliquis mihi re-*



Digitized by Google

quirendus erat idoneus, cui hæc dedicarem; in quo videlicet ineſſent, & perſonæ dignitas præſtans, & eruditio eximia, & pietas ſingularis. nec mora in quærendo fuit: ſtatim occurriſti menti meæ magna cum animi voluptate; quippe tria hæc tu complexus es unus. nam quid primò te præſtantius, quem familiæ ſplendor nobiliſſimis titulis illuſtrem facit? ſiquidem ita regijs muneribus varijs inſignis es, vt quæ præcipua ſunt ſiue publica, ſiue priuata, modereris. ita fungeris illo quaſi Aedilitio munere, vt ciuitatis commoda tuis ſtent edictis. ita verò Regiæ venationi præes, vt alieno laudum aucupio non egeas. Iam eruditio tua, atque doctrina, cui tandem ignota eſt? difficile eſt hoc tempore inuenire qui ſapientes amet, difficilius qui ſapiat; at tibi & ſapientes viri cordi ſunt, & ſapientiam ipſam tenes. Nam de probitate, ac pietate (eſt autem hoc maximum Principi decus) quid dicam? teſtor in primis monumentum illud præclariſſimum religionis in Deum tuæ, ſacellum, inquam, illud ornatiſſimum, quod

in

*in nobiliſſimo huius vrbis templo excitaſti magnis impenſis. in eo tàm lucida, atque perſpicua collocaſti marmora, vt tanquam in ſpeculis imago tua pietatis eluceat; tàm pulchrè depicta apparent forma, vt eã referãt, quã virtutũ coloribus in animo expreſſam habes. inter ipſos autem pretioſos, & gemmatos lapides, ita tua vitis ſtẽma prafulget, vt apud te verè dici poſſint,* gemmare vites. *Cùm igitur in hoc opere, & perſonarum dignitas, & virtus, & eruditio locum habeant, na tibi dicandum erat, in quo iſta conueniunt. Cõſtituam ante oculos primos illos heroes humani generis ſatores, deinde populorum auctores; tùm Iudices, Duces, exarchos, polemarchos. cõſequentur Reges, Vates, atq; Hierarchas; in quos intuens ornamentorum quoque tuorum, qua ab immortali Deo accepiſti, memineris, & iure optimo gratulaberis. Vale.*

LECTO-

Digitized by Google

# LECTORI

## IO: BAPTISTA MASCVLVS
### E SOCIETATE IESV.

εὐσεβεῖν

INiuriam facerem antiquitati (erudite Lector, ac piè) si editis pridem Encomijs eorum, quos post Liberatoris nostri ortum ad immortalitatem religio consecrauit, missos facerem priscos heroes, & heroinas, de quibus in vetere historia sacra non sine laude fit mentio: primas tamen partes illis detuli, qui nos, & religione, & tempore propiùs attingebant. præterquam quòd is tomus in lucem edi debuit prior, in quo, inter cetera, cõtinerẽtur Encomia magnæ matris Virginis, eiusq; Filij, qui caput est omnium. Aggressus sum alterũ hoc opus eodem fẽrè consilio, & instituto, quo primum. nam vt in illo Cœlitum facta inter Encomia sum partitus, & Fastos, qui continerent collationẽ quandam exterorum cum nostris non sine horum prærogatiua, ita nunc, præter Encomia, conferam Veteres, qui veri Numinis fuere cultores, cum exteris, qui ipsis synchroni insigne aliquid in vtrãque partem gesserunt; vt cùm eos à nostris superatos ostendero, constet quantum in omni genere laudis religio vera præcellat. erunt igitur hic pro diebus anni, pro fastis ætates. Atque ad Encomia quidem Priscorum scribenda ipsæ me diuinæ literæ, atque oracula excitarunt, quippè ex eorum cortina depromptæ nullorum laudationes extant, quæ in fine eius libelli, qui Ecclesiasticus inscribitur, elegantissimè compositæ continentur. In Encomijs ea fẽrè commemorabo facta, quæ sacra recenset historia: oportuit autem hanc vniuersam per-

Digitized by Google

perlegere, ac perlustrare, si cubi, præter illos præstãtes heroes, qui communi sermone celebrantur, alij quoq; laterent nõ ita noti, sed digni laude, in quibus ornãdis eò magis elaborandũ fuit, quò minùs ampla dicendi materies suppetebat: salua semper diuini testimonij auctoritate, cui credere; eiusque eloquij maiestate, cui cedere fas est. In collatione item non parui laboris fuit totam penè antiquitatẽ ruderibus obrutã eruere, annorũ orbes cõplicatos euoluere, ætatum spatia metiri, atquè cõponere; & qui ex exteris eodem tempore vnà cum nostris conuenerint, indicare; in quo quanquam multi elaborarunt, tamen neque singuli omnia commemorant, neque omnia opportunè, & accõmodatè ad rem nostram. collationem certè, quam instituimus, nemo facit. porrò in supputandis temporum rationibus non tot ex Apennino fluminũ, quot è communi quasi sapientiæ iugo sententiarũ sũt facta diuortia; sed nihil in his statuo. sequor in primis Eusebium ex interpretatione Hieronymi, nam & hunc sequitur Augustinus ipse. is si aliquãdo varius est, illud accipio, quod magis accommodatum videtur seruo (nisi cum aliud ratio postulat) seriem temporum, ordinemque natalium. Opus verò ipsum distribuo in diuersas velut hominum classes, hoc est Patriarcharum, Ducum, Iudicum, Regum, Vatum, atque Pontificum; quanquam tùm ex his, tùm ex alijs generibus hominum nonnulli permisti in singulis ferè ætatibus reperiuntur. potest autem vnus, idemq; interdum pluribus esse συγχρονος, pro diuturnitate vitæ. Iã illud monere nõ omittã, cũ animaduertes Saturnos, Ioues, Hercules, alio sq; cõmemorari à nobis tanquam vetustiores, quàm Græci faciant, id accidere, quòd Græci, quæ ab Assyrijs, Phœnicibus, & Hebræis acceperunt.

runt, ad se postea transtulerint; ac sæpè quæ vnius erant, accommodauerint pluribus. hinc factum, vt Varro trecentos Ioues, tres & quadraginta Hercules recenseat. Orpheus item cum Aegyptum adijsset, quæ apud ipsos prisca inuenit, recentiora fecit apud suos. itaque si illarum gentium monumenta spectentur, Græci puerili more ludere in fabulis visi sunt. Solon, vt est apud Platonem, in Aegyptũ profectus cùm apud hierophantas quædam de Græcorum annalibus tanquam vetustissima deprompsisset, risum audientibus mouit, audiuitq; ab vno eorum: At vos Græci semper pueri estis, nemo senex, quia nulla apud vos est ex vetustiore memoria cana scientia. Legendus est autem, ne sit nominum exterorum confusio, Xenophontis liber de æquiuocis. Duplici igitur modo laudatio in hoc opere instituitur, primo per collationem personarum, cuiusmodi est illa elegans inter Philippum, & Alexandrum Macedones apud Iustinum, ferè ἰσοχικὰς; altero per amplificationem tantùm factorum, συγκριτικὰς, cuius vestigia quædam extant, præter scriptores externos, etiam apud nonnullos Patres. Ad extremum Synopsin addo Synchronologiæ totius, quæ Indicis quoque locum obtinebit. ita in promptu erit facilis, & expedita historiæ vtriusque, cùm peregrinę, tùm sacræ, cũ aliquo fortasse sentẽtiarum lepore, cognitio. Erit tibi (Lector humanissime) non ingratus labor hic meus, vel quòd priscos illos nostros heroes cum exteris collatos, ijsq; prælatos videbis; vel quòd calamitosis hisce temporibus, quibus Mundus quasi confectus senio, ac longa tabe consumptus nutat, ac labat, oculos ad heroica illa tẽpora robustioris eius, siue adolescentiæ, siue iuuentutis, non sine animi voluptate conuertes. Vale.

*Cypr. Ambr. Chrys. Greg.*

SCRIP-

Digitized by Google

# SCRIPTORES,

## *QVOS AVCTOR, PRAETER veterem historiam sacram, consuluit in Synchronologia.*



EVsebius ex interpretatione Hieronymi.
Augustinus de ciuitate Dei.
Clemens Alexandr. & & Chron. Alex.
Beda.
Paulus Orosius.
Historia scholastica.
Isidorus Hispal.
Vincentius Belluac.
Antoninus.
Sabellicus.
Cassiodorus.
Nauclerus.
Cedrenus.
Ado.
Berosus, siue Annius.
Genebrardus.
Ioan. Lucidus.
Henricus Glareanus.
Hieronymus Bardus.
Philippus Bergom.
Sansouinus.
Daniel Angel.
Sebastianus Veron.
Torniellus.
Gordonus.
Petauius.
Salianus.
& alij multi.



Digitized by Google

NICOLAVS BERZETTVS,

*SOCIETATIS IESV.*

Prouincialis in Regno Neapolitano.

*CVm Tomum alterum Encomiorum De illustribus Viris, ac Fœminis veteris Historia sacra &c. à Patre Io: Baptista Masculo Societatis nostræ conscriptum, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: Nos, potestate nobis facta ab admodum Reuerendo Patre nostro Mutio Vitelleſco Præposito Generali, facultatem concedimus Typis mandandi, si ijs videbitur, ad quos editio librorum spectat. Neapoli. Die 10. mensis Iunij 1641.*

Nicolaus Berzettus.

---

IMPRIMATVR.
Alexander Lucianus Vicarius Gener.

*Alexander Russus Can. Deput.*
*Io: Vincentius Iuuenis Cimiliarcha, & Can. Deput.*

IGNA-

Digitized by Google

# IGNATIO
## SOCIETATIS IESV
### Conditori Sanctissimo
### D.

Ecularis hic annus tuæ familiæ (parens optime) quem, dū *An. 1640.*
hæc scribo, te auspice inimus, non tàm nobis videtur temporis, quàm æternitatis partus quidam esse pulcherrimus; siquidem immortalis tuæ gloriæ, quæ nullo seculorum ambitu definitur, monumentum collocat sempirernū. tua, inquam, virtus nō circumscripta temporis orbita, sed immensis æternitatis voluminibus libera circumagitur. æuo frueris beato, immunis à nostri qui legibus tot



Digitized by Google

illi Solis anfractus, ac reditus, tot annorũ per Signiferum itinera defatigare potiùs poterunt cœleſtem currum, quàm tuum ad gloriam curſum, ac triumphales quadrigas, quibus inueheris onuſtus exuuijs omnium nationum. ſuauiſſima tui memoria fert iam ætatem, nec tamen ætatis ſenſit damna, quia non coaceſcit, ſed quaſi recens nũc viget vt cum maximè. quibus igitur te ars oratoris æquabit numeris, quẽ neque Natura poteſt æquare planetarum, cœliq; periodis? aſtra illa, quæ tecum in tumulum velut inferias intuliſti, nouis ſuis conuerſionibus alterum deinceps inchoare ſeculum properant, ſed verè aureum, ferro videlicet, quod nunc militum manu diſtringitur, vti ſpes eſt, in vagina conſtricto. Nunc vt obſeruantię, ac pietatis in te meę argumentum aliquod proferam, has dedico laudationes heroũ veterum, quorum acta præclara ſacris conſignata ſunt monumentis, ac literis. ſanè par erat, opus hoc, quo priſcorum ſeculorum ſeries retexitur, ſub tuo nomine apparere, cui ſecularis hìc annus eſt ſacer. Huc accedit;

quòd

Digitized by Google

quòd antiqua illa exèmpla virtutum, quæ ferè iam in terris obsoleuerant, in te iterũ eniteſcere, atque à te reuocari cœperunt. agnoſces profectò hìc tua, immò te ipsũ. nam cùm Abrahami facta in mediũ producam, ſtatim tu obedientiam quaſi filiolã exoſculaberis tuam; & cùm illius progeniem ſtellarũ inſtar micantiũ multiplicandam repetam, tùm gentis tuæ rerũ geſtarum ſplendore clariſſimæ penè par, ac geminum decus explendeſcet. at verò cùm Moſis radiatum ex congreſſu cum Deo vultum amoto velo retegam, tùm tui quoque oris fulgor, qui inde emanare ſolitus eſt, apparebit. & cùm idem Moſes ob inuſitata prodigia nuncupatus dicetur Dei digitus, idem in te à ſummo ſacrorum Principe collatum elogium menti occurret. Iſaacus hìc cũ Deo luctatur, & claudicat; tibi quoque non niſi claudo licuit gradum facere ad faſtigium gloriæ. Dauid gladiũ gigantis cæde nobilitatum ſuſpendit apud ſacrã cortinam, tu apud aedem Dei matris tuum. Sanctiſſimi Vates hìc certa fundunt oracula, ſed vaticinijs quodammodo præ-

ludunt

Digitized by Google

ludunt tuis. denique, ne omnia conſecter, effictum in his, quos proferam, tanquam in imaginibus te ipſum videbis. tot enim quaſi diuerſæ in te vnum congeſtæ ſunt virtutum dotes, vt qui res tuas euoluat, nõ vnius, ſed multorum heroum ſibi videatur acta perlegere. magna ſunt quæ geſſiſti omnia, ſed haud ſcio an aliquid molitus ſis maius, quàm id, quod appellaſti minimum, Ieſu videlicet Societatem, aggreſſus planè molitionem ſubſtructionis immenſæ. Ordo hic à te conditus per annos centum tantũ operum vbique terrarum diuino munere geſſit, vt ſi quis magnitudinẽ, ac numerum rerum geſtarum cum annis conferat, ætates vltra multas putet; tàm ſubitò ille per omnes populos Oceanũ prætergreſſus, perruptis quodãmodo Naturæ repagulis, atque clauſtris, Romana ſacra circumtulit. iam ita diuinitùs auctus eſt, vt ad eum ornandum & virtus, & ſapientia conſpirarint. ſed hæc alterius loci ſunt. nunc illud oro, vti hoc pietatis officium, quod deferò, tibi debitum boni conſulas. neque verò eſt, cur pulchritudo efflore-

ſcen-

Digitized by Google

ſcentis tuæ gloriæ mea hæc ex vetuſtate collecta ſpernat, aut vitet rudera, quando & roſas aiunt ſolo gaudere ruderato. gaude heros inclyte, ac perfruere perenni iſta felicitate, meq; alumnum tuũ, & in tua verba iuratum amanter foue ſemper, ac tege, anno à Societate condita. C. à Chriſto nato M.DC.XL. *Plin.*





Digitized by Google

Illustriss,& Excellentiss. Domine

*Vidi, ac perlegi librum inscriptum (Encomiorum tomus alter veteris historiæ Sacræ) Adm. Reuer. Patris Ioannis Baptistæ Masculi Neapolitani è Societate Iesu, & attestor nihil in eo contineri contra Catholicam Fidem, nec contra Regiam authoritatem, nec contra bonos mores; sed sanam, & optimam doctrinam, non solùm Religiosis futurum utilem; verum etiam omnibus eruditis Viris curiosum, ob quam causam publica Typorum luce dignissimum iudico. Datum Neapoli in Regali Conuentu Sancti Didaci die 27. mensis Aprilis 1642*

V. E.

*humillimus seruus, & Orator*

Fr. Archangelus Coscia.

*Vidit Arias de Mesa Regius Consiliarius Delegatus per Suam Excellentiam pro reuisione Librorum.*

*Imprimatur,*

Tapia Reg. Brancia Reg. Zufia Reg.

Prouisum per Suam Excellentiam, Neapoli die 30. Aprilis 1642.

*Scarcella.*

Digitized by Google

# COLLATIO EXTERORVM

## Qui Patriarchis fuere Synchroni.

QVæ à primis illis veri Dei cultoribus, Mundo vel recens edito, vel certè nondum in senium vergente, præclarè, & cum virtute sunt acta, ea tantum habent dignitatis, & laudis, vt omnium aliorum etiam insignium virorum, qui superstitione obcæcati ruebant in tenebris, superent gloriam. hinc fit, vt, dum nostros Heroes conferre cum exteris aggredior, illi pudore affecti quodammodo sese subtrahant, atque in intimas antiquitatis latebras abdant. Mihi tamen omnino propositum est eos persequi, sepiam quasi indagine quadam vetustatem omnem; vestigijs prædam odorabor, excitabo latentes, ac perterrebo clamore, compellamque in casses, ac retia; venabulis quoque petàm, atque confodiam, hoc est orationis stylo perstringam, ac demum prædam ipsam Religioni sacrabo.

## *DE PRIMIS PARENTIBVS, ac viris insignibus ante cataclysmum.*

ADamus humani generis radix, & communis omnium Parens tãquam spirans quoddam simulacrum aspirantis Dei, cuius manu primò compactum, & efformatum est, statim laudationem suo sibi iure deposcit; tametsi cum aggredior, statim hæreo, quia idem, vt indulgeret vxori,



Digitized by Google

signifer,& auctor calamitosorum fuit. itaque primanè illis officia deferam,an suprema persoluam,ambigo;adeò interse coniuncta sunt,& quasi conserta parentum ortus, & parentalia; feriæ natales, & inferiæ sepulchrales. enim verò tam celeriter, tantoque cum impetu ille nostræ felicitatis conuersus est orbis, vt vix impressam orbitam liceat intueri. & sanè silentio vtendum esset, vbi ob spretum edictum seuera Dei vox tonat, sed extorquet tamen encomia. ipsum nomen parentum, quanquam illi cum exteris con-

Abel. ferri non possunt, cum omnes ab ipsis sint. Abeli item extrarius nemo fuit,& alienus, nisi fortè fratrem ita velis appellare, sed parum dixeris, quia facinus id commisit, quod nullus alienigena, vel potius nulla barbaria possit agnoscere. Neque,si propriè loqui libet, hoc exterorum nomen cæteris illis primis humanæ gentis propagatoribus tribui potest, quia recenti adhuc naturæ cognatione se attinge-

Sethus. bant, indicti tamen omnes abire non debent. cur enim Sethus encomio careat, qui primus literarum characteres in-

Enos. ueniisse dicitur,& columnis inscripsisse? cur Enos inter heroes non nominetur,qui diuinum primus nomen indigitamentis,ac religione consecrauit? Enochū quidem legimus.

*Euseb.* collatum cū exteris, habitumq; ob singularem astrorū co-
*Eupol.* gnitionē Atlantē,sed(quod ad rem propositā spectat)hic illi
*Genebr.* nec æqualis fuit ætate, nec suppar: cum cœlo certè tantam

Enochus habuit cognationē Enochus, vt tot annos apud homines degerit, quot anni dies numeramus,conuersionisq; solaris, hoc est trecētos sexaginta quinque,quod Sapiētes notarūt.

Iobel. Iam nec Iobel musices,atque eius instrumentorum inuen-

Tubal. tor,nec Tubal, qui ferri atque æris vsum mortales docuit, cum insignibus earum artiū professoribus, qui multò post in Græcia maximè floruerunt,à nobis conferentur,licet habeant in encomijs locum. Idem igitur erit initium instituti mei,quòd fuit imperiorum,atque regnorum. neque enim vlla externarum gentium distinctio intelligi potest, cum vnus adhuc erat conuentus hominum nondum facto ex linguarum varietate habitādi diuortio. itaque exordiar ab eo tempore,quo Assyriorum siue Babyloniorum cœpit imperium. contigit quidem hoc viuente Noe, sed quoniam hic altera quasi radix gentis humanæ dici potest, posteritas

Digitized by Google

ritas ipsi externa non fuit; quanquam quia etiam tum latissimè, longissimèq; diffusa est, & quia ab eius pietate, religioneq; plurimum degenerauit, multi certè, quos vix ille videbatur agnoscere, pro exteris, ac barbaris haberi possunt, itaque nonnulla de eo dicamus.

## DE NOE.

### post cataclysmum.

NOes ereptus ex orbis terræ naufragio ei ætati superfuit, qua religio quasi tempestate iactata in impios homines tanquam in Scyllæum fretum incidit. primus imperare, atque regnare cœpit Nembrothus, qui, vt nonnulli autumant, dictus est Belus. is finitima primùm loca prædatus, & Babylone condita, adegit mortales, vt sibi parerent. certè si quispiam affectare orbis terrarum poterat imperium, erat Noes; quis enim magis idoneus, aut dignus inueniretur, qui tractaret tanti imperij clauum, quàm qui communi naufragio eripuerat genus humanũ? sed noluit ipse recidere in decumanos quasi fluctus, quos habet gubernatio; difficilius putauit homines coercere, quàm belluas, quod intra arcam fecerat comm dè terram colere in agris, quàm ipse coli in vrbibus maluit. tutius arbitratus est rastra tractare, quam sceptra. egressus autem de salutari nauigio, cum Soteria celebrasset, de montibus in subiectam planitiem descendisse dicitur, quam refertam cadaueribus atque ossibus appellarunt euisceratorum hominum campum. totam verò rem gestam inscripsit in lapide, vt extaret tantæ rei monumentum. hoc itaque aspectu cõmunis exitij adhuc attonitus, & obstupefactus Noes recentis supplicij memoria, inhærebat, dum amens posteritas magno cum fastu noua imperia moliebatur, & regna. sed illud maximè animum exulcerabat, quod inflicta videret, post vix pacatum, & conciliatum Deum, religioni vulnera, ac serpere infinitum malum: enimverò ignis elementi cultus à Nembrotho institutus putatur, idemque primus fuisse, qui minis, ac pœnis exarserit in veri Dei cul-

Nembrothus. Belus. *Hist. schol. Genebr.*

*Isidor. Genebr.*



Digitized by Google

tores, indicto palam religioni bello; vt si ex animorum iactura æstimanda sint damna, pernicioſior extitiſſe ignis videatur, quàm aqua. obrutus igitur est vir sanctiſſimus profluuio lacrymarum eorum causa, quos diluuio aquarum obrui ipse non siuerat, conatus est certè extinguere ignis cultũ ſletu ſuo. Iam Nembrotho siue Belo demortuo filius succeſſit Ninus, qui statim atque accepit imperium, nihil habuit antiquius, quàm vt Beli patris memoriam superſtitione conſecraret. Itaque in magno procerum conuentu, ac panegyri cum eum amplisſimis verbis commendaſſet, à quo videlicet initium ſumpſiſſent imperia, & cuius opera maieſtas, ac decus atque inſignia regnorum eſſent inuẽta, ipſius Beli statuam affabrè factam in magnificentisſimo delubro, quod extruxerat, ſtatuit, quod eſſet reorum aſylũ, ac ſingulare perfugium; ritus & ſacra inſtituit, & miniſtros ſacrorum, gemma quoque illi dicata tanquam diuinitatis inſigni, quam Beli oculum vocarunt; eſt autem ea gemma albicans, & pupillam effingens nigram; è medio, aureo fulgore pellucida. ſcilicet dedicatus eſt gemmeus oculus ab ijs, quos impietas excæcarat. Eũdem autem Nembrothum ferunt à Perſis in cœlum relatum, appellatumq; Orionem, qui apparet inter aſtra vnà cum Cane. dicitur .n. in ſacris literis Nẽbrothus fuiſſe robuſtus venator, hoc eſt, vt interpretes docent, inſignis in agendis cùm agreſtibus prædis, tum vrbanis; idemq; putatus eſt priſcus ille Saturnus, vt ait Hieronymus, ſicut Ninus eius filius Iuppiter. Porrò hanc Nembrothi, ſiue Beli apotheoſin à filio Nino adhuc viuẽte Noe factam nonnulli putant. quis igitur fuit eius mœror, cum poſteros à veri Dei cultu deſciſcere, & impietatẽ vnà cum hominum genere incrementum accipere videret? itaque partim ætate, partim dolore è viuis excedit; nec tamen, ſi collatione vti libet, Noe felicior, aut Nembrothus fuit, quãquam diuinis honoribus ſuperſtitioſè cultus, aut Ninus, qui propagauit imperium, vrbes condidit multas, in primis illam, cui ſuum indidit nomen, Ninum dictam, mille & quingentas turres immani altitudine, ac mole complexam. Per varias quoque regiones Ninus hic arma circumtulit; Indos, & Bactrianos edomuit, Aegyptum ſubiugauit, ac Syriam, omnesq; minoris Aſiæ regio-

Ninus.

Nẽbrot.
Saturn.
Ninus
Iuppiter
Selian.

nes

nes ad Bosphorum vsque, ac Tanaim; in maiore autem Hircanos, Persas, Parthos, Carmanos, Susianos, ac multos alios populos bello peruicit. Nihilominus non tam Ninus fuisse dicendus est clarus, qui triumphalem sibi arcum erexit, quam Noes qui cœlestem, quinimmo suspiciendus magis virtutum pulchritudine, quam referebat Iris ipsi ostensa, quæ dicta est ab admiratione Thaumantias: quamobrem illum Cœlum, ac Solem cognominatum nonnulli tradunt; eundemque & soterem dictum & apotropœum habitum & communem parentem, semenq; mundi appellatum, quod velut herbescens germinarit in posteros. atque illa in primis nomina Cœli, Solisq; cum Noe optimè congruebant, cui cœlestis Iris est data Solis imago, tanquam ad exsplendescentes virtutum radios efformata; quæ appellationes quanquam nonnullis videntur speciosius prolatæ, quàm verius, non desunt tamen eruditi viri ac docti, qui eadem referant, nec improbent, addantque ipsum fuisse Ianum nuncupatum (alterum tamen ab eo, qui multò post in Italia regnauit Baraci, ac Deboræ ætate, & ad quem multa Noæ propria transtulerunt) quippe aiunt videri Iani nomen ab hebraico fonte deductum; iaijn enim apud eam gentem vinum dicitur, & Ianus vitifer est: atqui Noes primus vitem silueſcentem satiuam fecit, & vini vsum ostendit. distinxit autem annum ad Solis cursum, & menses ad motum Lunæ; qua scientia prædicebat ab initio quid in anno, eiusque cardinibus esset futurum. duabus autem insignitum ferunt clauibus, quarum alte a religionis est dicta, altera felicitatis, aditum enim vtriusque aperuit posteris, quos videlicet & diuino erudijt cultu, & communi eripuit exitio; præsertim cum Epiphanius scribat, eum adegisse iureiurando liberos, vt verum colerent numen. illud quoque per claues significatum aiunt, fuisse ipsum castimoniæ, ac pudoris egregium propugnatorem, quamobrem impudentem vnum è filijs, & inuerecundum execrationi deuouit. instituit autem claues, a seras ad pudorem inter parietes, & domus claustra seruandum, quod posteriori certè Iano non conuenit, à quo Crana è nymphis vna dicitur fuisse corrupta: atque hactenus de Noe.

*Genebr. Io. Lucid. Torniel.*

Ianus.

ABRA-

# PATRIARCHIS
# ABRAHAMO
## Synchroni.

ABrahamus nobilis ille gentium parens, & religionis anteſignanus nulli exterorum, qui ipſi vel æquales fuere vel ſuppares, cõferri poteſt ſiue magnitudine animi, ſiue laude doctrinę. Zoroaſtres tũc interiores Orientis plagas ingreſſus Bactrianorum regnum occupabat. is ob inſignem de aſtrorum natura cognitionem hoc nomen aſſecutus eſt, vt viuens aſtrum diceretur. at Abrahamus non populorum ſuffragio, ſed oraculo declaratus eſt lucidiſſimum ſidus; immò verò diuinitus audiuit, progeniem ſuam fore quaſi ſtellas cœli; niſi mauis ipſum Abrahamum viuentem Solem dicere, quàm viuens aſtrum, cum ab ipſo tanquam à Sole poſteritas ſtellarum more lumen accenderit. magiam docuit Zoroaſtres, dum hic diuinũ cultum. Suam illé diſciplinam in Theurgiam, Goetiam, & Pharmaceiam partitus eſt. multa malis artibus mortalium oculis offundebat. ſtellas ſe deuocare de cœlo fingebat, ſcintillas ex jis tanquam è ſilice videbatur excudere. tandem vt diuinitatis ſibi opinionem conciliaret, inuocato Orione, vt mortale, quod in ſe erat, abſumeret, repente cœleſti flamma delapſa conſumptum ferunt. quanquam ijs potius aſſentior, qui Dei vindicis nutu id factum narrant, vt ſuis artibus periret, & illo ipſo Orionis gladio, quem ſe tractare iactabat, iugularetur. Seruarunt tamen ſtulti Bactriani eius cineres; eò enim dementiæ deuenerunt, vt putarent ipſorũ imperium tandiù fore immortale, quandiù apud ſe ille cinis extaret. Ferũt etiam ab eodem Zoroaſtre ſeptem liberales artes inciſas, atque inſcriptas in quatuordecim columnis; quarum ſeptem eſſent æneæ, ne literarura aliquando periret aquarum eluuione, totidem verò lapideæ, ne incendio: atqui non potuit occurrere vetuſtati, quæ monumenta abſumit omnia: ac libros quidem ipſius, vt præſtigijs plenos, aiunt à Nino combuſtos; contra Abrahami acta atque dicta ſacræ hiſtoriæ immortaliter conſignata, nihil tempori debent. ab hoc autem verius deuocatam eſſe de cœlo in terras ſapientiam inter cæteros Eupolemus tradit.

Zoroaſtres.

*Genebr.*

*Hiſt. ſchol.*

Digitized by Google

dit. Phœnices enim, à quibus literæ manarunt in Græciã, siderum rationem, aliaque præclara ab ipso Abrahamo didicerunt, cum è Mesopotamia eò diuertisset; ac Damasci quidem, quam vrbem aliquandiu incoluit, locus, vbi inhabitarat, ostendebatur. ad Aegyptum verò profectus in magna fuit admiratione etiam apud Regem. Hierophantas Arithmeticam docuit, ac multa de rerum naturalium cognitione, in primis de siderum, ac cœli rationibus tradidit; tanquam enim res esset sibi cognata, qui posteros habiturus esset vt sidera, ita de astrologia disputauit; quanquam numerandi ars, quam etiam callebat, in hoc defecit, quod posteri futuri essent innumerabiles. Iam et Orus Apollo ab ipso Abrahamo putatur edoctus. & Mercurius ille, qui magnitudine sapientiæ τριμέγιστος dictus est, fuisse vnus ex ipsius auditoribus, aut alumnis putatur peregrinationis comes: certè Mercurium illum Aegyptij vocarunt Theuthum, quæ vox peregrinantem significat: alter autem is fuit ab eo, qui idem consecutus est nomen, sed posteriore tempore; qui ea ferè, quæ alter inuolucris obtexerat, literis mandauit: cum enim Moses dicatur omni Aegyptiorum doctrina eruditus, oportuit hæc ab alijs antea fontibus, hoc est ab Abrahamo, ab ipsoque Hermete superiore manasse. atque hæc de sapientia, nunc ea, quæ ad animi magnitudinem spectant, conferamus. insignis quidem Zoroastres fuit. non modò astrorum cognitione, sed etiam belli gloria; cõflixit cum Nino ingentibus copijs, vsus est arte non solùm militari, sed magica; adiunxit armis præstigias; non contentus delecta pugnantium manu, accersiuit & Manes, armauit Erebum, sed hunc suorum militum ditauit spolijs, exercitu per Ninum fuso magna cũ strage. at verò Abrahamus, cum fratris filius Lothus captus esset ab hoste, non præstigias, sed vota vsurpauit & preces; paucos adhibuit vernaculos, impetum fecit, oppressit hostem, potitus est victoria, vel hoc Nino ipso præclarior, quòd vno in prælio non vnum, vt ille Bactrianorum Regem, sed quatuor Reges vicit, ac fregit; triumphus autem, quem egit, cohonestatus est non modò finitimi Regis occursu, sed alterius Regis simul, & hierarchæ Melchisedeci, qui cum sacris xenijs, & arcanis libamentis victori obuiam ijt. Post Ninũ Semiramis.

*Nicol. Damas.*

Orus Apollo.

Mercurius.

Semiramis. ramis regnauit & ipsa victorijs nobilitata, sed de hac mox agemus, cum Saram Abrahami vxorem ei conferemus. Ninias verò Semiramidis filius nequ conferri, neque proferri potest, quippe qui rarò inter homines visus, in fœminarum turba consenuit. At enim Arius certè, qui post hunc suscepit imperium, cum Abrahamo adhuc superstite in certamen gloriæ militaris veniet; nam huic inditum est nomen à Marte, qui Græcis est Ἄρης, vt esset omen virtutis expeditionem hic aduersus Septemtrionum populos iniit; Caucasum quendam è stirpe Iapheti vastitate corporis immanem, qui monti nomen dedit, interfecit, eiusque regnum inuasit, quamobrem Ario tanquam ipsi Marti columnam Aegyptij excitarunt, eumque inter Indigetes retulerunt. Agesis confer martialem Abrahami animum cum hoc ipso Marte, non modo in pugna, quam peregrinus homo ac penè inermis cum quatuor, vti dixi, Regibus commisit, sed in ea, qua seipsum vincere est agressus, immò verò naturam; quas enim illa machinas non admouit, vt generosum, ac verè martium pectus expugnaret? cũ de filio quem in oculis ferebat, atque vnicè diligebat, immolando agebatur; ac nisi imperator Deus receptui cecinisset, gladium, quem iam distrinxerat, in filij iugulum immersisset, acrior, atque alacrior quàm si vulnerasset hostem. Post Arium imperauit Aralius, sed hic non tàm ferro, quàm auro delectatus auxit pompas, ac gemmas, mundumque muliebrem fecit ornatiorem. longè dispar Abrahamo, qui tum quoque viuebat, studium fuit. nam pietatis officia in hospites Cœlites partitus est; & cum sibi reliqua edulia paranda attribuisset, vxori Saræ panificium detulit, quod genus beneficentiæ omnibus præposuit gemmis, & vnionibus. Ceterum diuinitus factum Sapientes putant, vt ea tempestate Abrahamus vitam ageret, qua superstitio vim capere cœpit, & cultus Iouis (hoc se nomine Ninus appellari voluit, quasi prisci Saturni, hoc est Beli filius) in terris impiè percrebesceret. sed habuit religio statim, quem pesti illi opponeret.

Ninias *Iustin.* Arius. Mars.

Aralius.

MEL-

Digitized by Google

# MELCHISEDECO Synchroni.

MElchisedecum hierarcham, eundemq; Regem Abrahamo æqualem coniungere libet, qui scilicet cũ sacris, arcanisq. libis de victoria redeunti occurrit, atque ab eo vicissim parte prædæ donatus est. Sagæi Sacerdotes sub id tempus vixisse dicuntur, qui omnẽ Caspiam regionẽ ad Bactrianos vsq; populos possederunt. at Melchisedecus cõiuncto cum religione imperio quantũ illos celsitudine gloriæ superauerit, vel illud indicat, quod, dum Sagei faciunt Dijs inferis, hic Sacerdos vocatur altissimi numinis. Sagæi. *Genebr.*

# SARAE Synchroni.

SAra vxor Abrahami eodẽ anno nata dicitur, quo Semiramis Assyriorũ cepit imperium. hæc Babylonẽ amplã fecit, murũq. vrbi circũdedit coctili latere, arena, pice, bitumine incrustatum; nec contenta traditos à viro fines tueri, Aethiopiam quoque regno adiecit; Indos edomuit; atque vt se posteritati celebrem redderet, nouum sibi, & immane monumentum extruxit; in ingenti videlicet rupe suam exsculpi iussit effigiem enormi prorsus corporis mole, ac vastitate; sed vis illa ferramentorum, quæ adhibuit ad sculpturæ ictus, omen fecit vulnerum, quibus eius exercitus confossus est; nam cum hostis magno cum apparatu elephantorum accederet, vt ipsa paribus armis cõcurrere videretur, umbratilem instituit pugnam: uiminea quippe elephantorum simulacra singulis camelis imposuit; sed ubi in certamen medium uentum est, laruatis elephantis metu turbatis, edita est horrenda strages à ueris; Semiramis magno cum dedecore se proripuit; ac tandem à filio Nino, cuius incestos expetebat amplexus, interfecta dicitur, quæ non tàm turpiter ab hoste cecidisset. ferunt eam infantem, cum fuisset exposita, ab auibus enutritam; culta certè est à Babylonijs columbæ specie, & in vexillis depicta; *Salian.* Semiramis. *Diodor.*

ta; stulto planè consilio, qui columbas immitteret aduersus aquilas. sed illud summæ dementiæ, quod mulierem omnium impudicissimam candidissimæ specie auis expresserint. at Saræ potius ea laus est, quæ verè imitata est columbæ candorem; nempe apud barbarum Regem captiua licet viueret (nihil autem regiæ potestati tectum est, aut imperuium) illibata permãsit, ac libera mox euasit è laqueis: mirum sanè visum est, quòd accipitres regij venati prædã, cum penè eam inter vngues tenerent, frui tamen nequiuerunt; immò ipsi accipitres inciderunt in plagas, rege videlicet diuinitus punito. Est igitur opportunè factũ, vt eodem tempore, atque anno, quo Semiramis fascias fronti circumdedit augustales, Sara infans acciperet natales, & in cunis velut in nido eximij candoris columba plumesceret. Præter hæc multa flagitiosè, ac turpiter Semiramis egit, sed illud etiam impiè, quod tale est, vt superare videatur fidem: dicitur enim ducenta simulacrorum millia ex ebore, lignoq. finxisse, vt orbem terræ superstitioso Deorum cultu fœdaret; debuit igitur opponi Sara vnà cum viro, vt magnitudine pietatis, & excellentia religionis tantum obruerent mali. Porrò Saræ quoque ætate apud Cretam regnasse Cres dicitur indigena, quem putant vnum Curetum fuisse, per quos Iuppiter Saturni faucibus est ereptus, & capræ lacte nutritus; tùm Gnossõ condiderunt, & in ea vrbe Cybeli, quam magnam Deorum matrem vocabant, sanum excitarunt. at verò Abrahæ, Saræq. coniugi hoc curæ fuit, vt Isaacum filium non pecudis, sed pietatis, ac religionis lacte non minus quàm materno alerent; aras autem nonnisi vero, & vni erigerent numini; quanquam illud magnæ matris nomen, Saræ potius congruebat, quæ innumerabili posteritatis prole fœcunda terras stellis esset impletura, non monstris. Eadem quoque ætate, qua Sara, floruisse dicitur Sambetha Sibyllarum prima, quam quidam Noæ nurum faciunt, & annos septingentos, & amplius vixisse narrant. hæc Babylone profecta Græciam adijt, ac multa vaticinata est de liberatore præsertim nostro, deque regnorum conuersionibus: atqui illa, quæ hæc præcinebat, ad Saræ gloriam pertinebant, quippè eius viro tanta de re promissio facta, fore vt ex ipsius progenie humanam formam

*Genebr.*

Cres.

Sambetha.

*Lactan.*
*Theophyl.*
*Genebr.*

Digitized by Google

mam indueret Deus; quod oraculum ipsi omni monili ornatius fuit, vt propterea muliebrem illũ mundũ, quẽ Assyriorũ Rex Aralius ea tẽpestate, vti diximus, gẽmis, & vnionibus augebat, facilè ipsa contemneret, ac posthaberet.

# ISAACO
## Synchroni.

IN Isaaci ætatem incidit Inachus primus Argiuorum Rex, cuius antiquitas, ac nominis celebritas fecit, vt qui nobilitatem generis præferrent, à prisco Inacho repeterent: sed virtutis potius prosapia spectãda, quàm generis. hanc nõ ab Inacho, sed ab Isaaco deducãt, atque accersant oportet, qui ipsius pietatem in Deum, & magnitudinẽ animi exprimere, atq; exscribere imitãdo gestiunt. nobilior hic obsequendo, quàm ille imperando; spectabilior hic, cum insulatæ victimæ ritu mactandus ascendit aram, quàm cum ille diadematus sedit in solio. Qua in re notãdum est, quod Isaaco viuente contigisse narrant in Aegypto. cum enim aliquando bos adductus esset ad aram immolandus, repente visus est à terra sublimis abstrahi, tùm libratus in aere aliquandiu stetit; quo prodigio obstupefacti hierophantæ, ceteriq. Aegyptij ei aram consecrarunt, ac deinceps bouẽ venerati sunt, institutis circa illum choreis, & saltatione; ita superstitiosæ genti communis hostis imposuit. at intuere Isaacum uictimę more deuotum, ut immoletur ad aram; quam ipse pater extruxerat; non attollitur in aerem, immò ceruices deponit ad ictum, nunquam tamen fuit erectior animo, ac sublimior mente. maius spectaculũ propositum est religioni iure tripudianti, quæ tanta cum hilaritate sibi deuoueri eum vidit, cui nomen erat à risu. cuiusnam in hoc genere fortitudinis, etiam eorum, qui postea celebrati sunt, conferas laudem? respiciatur scilicet aut Calanus, qui se vltro in ignem coniecit, aut Hercules, qui furiosè. protrahantur in medium Decij, qui se pro patria deuouerunt; adijciatur Codrus; iungatur Iphigenia; annectatur inuictus M. Reguli animus, cum se à Pœnis acerbissimè excruciari passus est: atqui Isaaci rogo & immortali busto nihil non

*Euseb.*

Inachus.

*Bardus.*
*Abulen.*



Digitized by Google

modò præferes, sed neque conferes. nihil inquam ara illa iam accensa vel religiosius, vel illustrius, ad quam Isaacus victimæ instar est alligatus, in qua iugulũ feriendũ præbuit non alij victimario, quàm parenti; vbi inter vtrumque de magnitudine animi certatũ est: quid enim? an non retulit ille penè filij sanguine manantẽ gladium speciosiùs, quàm alij secures hostili? scilicet quem affecta ætate diuinitus ad tanti generis successionem propagandam genuerat, cuius arridentis infantiæ blandimẽta sinu, oculis, osculis fouerat, quem puerum optimis moribus, ac sanctissimis institutis imbuerat, ad ictum petijt, non alio consilio, aut stimulo, nisi quia imperauerat, qui dederat. itaque ad hoc horribile ministerium peragendum manum illam armauit, quam ad complexum filij solebat extendere, satius esse iudicans patrem vnicè amato filio, quàm hominem iubenti Deo deesse; eodemq robore animi filius ipse victima cadere, quàm victus maluit.

## REBECCAE
### Synchroni.

*Euseb. Minerua.* REbecca vxor Isaaci ea ætate vixit, qua apud Tritonidem paludem Pallas, siue Minerua se visendam præbuit; quæ Athenas in Attica nobilissimam Græciæ vrbem sibi consecrauit. hæc militarem artem Afros docuisse dicitur, & disciplinarum fontes aperuisse; quamobrem sapientiæ Dea est habita, eiq. arcem potissimum Athenarum dedicarunt, quòd olea ibi esset enata, quæ est & parta victoriæ, & pacis insigne: at Rebecca ab Abrahamo viro edocta, magistra ipsa pietatis, quæ est vera sapientia, euasit. editura verò partum bella sensit in vtero, intra quem pugnabant liberi nondum nati. apparauerat ipsa locum, vbi metarentur quodammodo castra; pro tentorio habuerunt maternam pellem, pro campo viscera. quanquam nihil Rebecca ipsa pugnacius; quippe quæ cum barbaro rege tanquam cum hoste congressa victoriam retulit; tantòq; ille hostis infestior, quantò erant regni blandimenta maiora, quibus pellici poterat, atque capi. ac Mineruæ quidẽ faci-

Digitized by Google

facile fuit, quæ virgo dicta est, tueri pudorem à procis, quippè quæ tegebatur ægide, & adamantinam vibrabat hastam; at verò Rebecca inermis armatum regem vel maiestate, vel viribus intra continentiæ fines coercuit, nec passa est matronalem stolam fieri improbæ cupiditatis spolium. Incidit in hæc ferè Rebeccæ tempora Niobe, non illa marmorea vxor Amphionis, sed antiquior Serapidis mater, cum qua primùm ex toto illo pellicum grege Iuppiter commixtus dicitur: huius igitur turpitudini oppositа fuit Rebeccæ pudicitia, quam etiam apud barbaros reges inuiolatè seruauit. Non est autem omittendum, Rebeccæ conceptum, vt nonnulli putant, incidisse in eum annum, qui Aralio Assyriorum Regi erat vltimus, cum imperasset annos quadraginta. atqui anno huic superiore conflagrasse dicitur Italia tribus in locis; quod aduersus genethliacos, ac pyromantas animaduerti volo, qui semper ominosa, & infausta putant incendia, nec nisi exitia importari, vel significari dicunt. certè triplex illud incendium præcessit anno illius heroinæ conceptum, quæ non modò heroicis ipsa virtutibus excelluit, sed maximum paritura erat heroem, Iacobum dico, vnde diffusa per liberos gentis gloria vsque eò manauit, vt humana cognatione attingeret Deū. contigit autem ea conflagratio circa Istros, Cymeos, & Vesuuium, quamobrem vocata sunt hæc loca Palensana, idest regio cōflagrata. & sanè paucis ante annis, quam hæc scriberem, suscitatum eiusdem Vesuuij montis incendium iterum nos ad Rebeccæ conceptæ memoriam excitauit. de quo incendio cum abundè à me scriptum sit in eo libro, quem edidi, pergam ad reliqua.

*Euseb.*
Niobe.
*Berosus.*
*Annius.*
*Salian.*
Vesuuius

## *IACOBO Synchroni.*

IAcobus eo anno natus dicitur, quo Assyriorum regnū tenere cœpit Balæus cognomento Xerxes, alter, ac longè superior ætate eo, qui fuit Darij filius. significat autem Xerxes antiquo idiomate victorem, ac triumphatorem, hoc autem ille adeptus est cognomentum, quòd militia,

Balæus.

Digitized by Google

tia, & ferox fuerit, & felix; propagauit enim longè, latèq; fines imperij: at quantò dignior his titulis victoriæ, ac triũphorum Iacobus dicendus est? non solùm quia fraternam vicit inuidiam, qua nihil habuit hostilius, sed quia cum Deo ipso ita luctatus est, vt prænaluerit. nam Alexander Macedo se libenter in Olympia descensurum fuisse dicebat, si sibi luctandum fuisset cum regibus: quid autem illa pugna vel sanctius, vel felicius? in qua pietatis fuit conferre cum Deo manus, felicitatis redire claudum, quippe singulis gradibus meminerat se vicisse. In Iacobi tempora ferè incidit Osiris ille Aegyptiorum monumentis celeberrimus, qui & Apis, & Serapis dictus. huic Typhon frater, vt Iacobo Esaus item frater, infestissimus fuit; sed Osiris tandem à Typhone discerptus interiit, Iacobus verò superior extitit fratre nullis armis proprijs, sed missis è cœlo auxiliaribus copijs. habitus est autem Osiris idem qui Sol; Osiris enim Aegyptijs est quod Latinis tentoculus, quod est appositum Solis; ac tota illa Osiridis peregrinatio, quam confeciſſe legitur, nonnisi planetæ Solis itinera referebat: atqui Iacobus, qui vitam etiam ferè peregrinando traduxit, ita filij sui Iosephi somnium est interpretatus, quo sibi ille videre visus fuerat Solem, & Lunã ad pedes suos accidisse, vt se patrem Solem, Rachelem matrem Lunam significatam diceret. *Nunquid*, inquit, *ego, & mater tua adorabimus te?* certè singularis in Deum pietas, & religio, ceteræq; virtutes eos radios emittebant, vt ostenderent tanquam à Sole prodire. atque Osiris quidẽ cum ex Achaia in Aegyptum transmisisset, lapideam columnam statuit, in qua totius peregrinationis seriem, & rerum gestarum memoriam insculpsit, vt extaret monumentum apud posteros sempiternum; Iacobus verò illum ipsum lapidem, vbi admiranda scalis innixi Dei species se obtulerat dormienti, vigil erexit in titulum: ac profectò multò ipse præclariora quàm Osiris egerat, quæ columnis posset inscribere; siue cum Orientem versus se contulit, vt acciperet sponsam (nam & Sol sponsus à magno Vate dicitur) quo in itinere illos vidit scalarum gradus, qui altissimè pertingebant ad cœlum; siue cum in reditu præsto ei fuerunt summi Imperatoris castra, ne quos à fratre irato pateretur incursus; siue cum in Aegyptum

*Genebr.*
*Osiris.*
*Macrob.*
*Diodor.*

Digitized by Google

Aegyptum ipsum, quò etiam Osiris, est profectus, vt filium, cuius tunicam ferino cruore tinctam habebat, regia videret in purpura, quid ni hæc, & reliqua, quæ gessit, immortalibus digna monumentis essent? Præter hæc illud quoque contigit, quod ad Iacobi, dum viueret, laudem pertinet, ingens videlicet eluuio Ogyge regnante, qui Eleusinam condidit: interceſſit hæc inter ſuperiorem Noæ, & poſteriorem Deucalionis. Narrãt igitur ſub Iacobo, & Ogyge, planetam, qui dicitur Veneris, miro prodigio mutaſſe colorẽ, magnitudinem, curſum; ſcilicet ad Iacobi, hoc eſt noui Solis vias ille planeta, qui Solem ſemper aut præit, aut ſubſequitur, nouos curſus accõmodauit; & cum in illis ſcalarum gradibus præuidiſſet Iacobus deſcenſum Dei, qui naſciturus eſſet ex Virgine, mutauit nimirum Veneris ſtella colorẽ ſuum; aut expalluit, aut erubuit. cumque, vt eſt in arcanis, ex Iacobo oritura eſſet ſtella, ceſſit altera, ac nouas inſtituit rationes circa Solis obſequia, faſſa ſe vinci vel dignitate, vel lumine. quamquam iccirco etiam exiſtimauerim ſtellam Veneris Iacobi ætate perturbatam, quòd & Iacobus ipſe inſigni caſtimonia fuerit, quippe qui, vt ſapientes adnotarunt, octoginta ipſos annos cælebs vixit, & filium genuit Ioſephum inſenſiſſimum Veneri, ac vel ab adoleſcentia præclariſſimo de impudica hera triumpho nobilitatũ. Iam in hæc ipſa Iacobi tempora iucidit Hercules ille Libycus Oſiridis filius, qui alter planè fuit ab Alcmenæ filio, atque ætate ſuperior. multa, quæ eius erant propria, Græcia tranſtulit in ſuum: nempe hic ille mõſtrorum domitor ferino indutus ſpolio, & armatus claua, qui Typhonem Aegypti tyrannum aggreſſus expugnauit, qui in Phœnice Buſiridem ſuſtulit, qui alium item Typhonem in Phrygia, Milinum in Creta, Antæũ in Libya, Lomninos in Celtiberia, Lęſtrigones in Italia domuit; cui à Celtiberis templa dicata, & diuini honores habiti. at quem tu Herculem cum Iacobo compones fortitudine? nempe eo, qui cũ Deo ipſo luctari valuit & præualuit. quantarum tandem virium hoc fuit? quid ni heroem dicas penè diuinum, qui Deum habuit antagoniſtam, quod fuit ſummæ virtutis, immò etiam agonotheta, quod ſummæ felicitatis. vſus eſt autem baculo pro claua, quo innixus rapida tranabat flumina. Præterea

Ogyges. *Varro: S. Auguſt.* Venus. Hercul. Libycus. *Sabel.* *Schaſt. uer.* *Beroſus.* *Salian.*



Digitized by Google

numerantur & nostri Herculis (quod ab alijs quoque animadversum video) item duodecim labores, ac multò præclariores. Primus, fratris odiũ, ac furor ipsi mortem intentantis, quem vt frangeret, & domum, & magno natu patrem, & suauissimam matrem, & natale solum relinquere, coactus longam peregrinationem instituit. Secundus, durũ seruitium per annos septem pro sponsa susceptum, ac per totidem alios, cum sæpe delusus fuisset; adde sex in cura gregis exactos sub Cœlo nunc algente, nunc torrido; accessit & soceri decies mercedem commutantis iniquitas. Tertius, occursatio irati fratris plena discriminis, quem muneribus, & xenijs mitigare oportuit. Quartus, virginis filiæ violatio, & fratrum vltio in Sichimitarum cæde grassantiũ non sine metu imminentis exitij, quod indigenæ peregrinis possent inferre. Quintus labor, amissio carissimæ coniugis in puerperio mortuæ. Sextus, fœdum primogeniti crimen paternum ipsum maculantis torum, cujus rei dolor etiam in gelido animam agentis pectore ita exarsit, vt facinus dira execratione perstrinxerit. Septimus, & omnium fortasse grauissimus, oblata Iosephi tunica cruenta, quem à bestijs laceratum credidit, & inconsolabili luctu defleuit. Octauus, acerba mors, & præcox duorum filiorum ex Iuda, quorum vita nitebatur spes non modò de nomine, sed de numine ipso per posteros nascituro; atque huic mœrori quasi auctarium accessit Thamaris, ac Iudæ incesta coniũctio. Nonus, incommodum publicum, atque priuatum ingentis famis, cuius caussa decem liberos in Aegyptum amandare oportuit. Decimus, furti calumnia scitè à Iosepho facta, sed Iacobo ignorante consilium, quamobrem vnus liberorum diù detentus in carcere. Vndecimus, æstuatio illa luctantis animi hinc à fame domestica, & vinculis Simeonis filij, illinc à metu amittendi, & mœrore dimittendi natu minimi. Denique duodecimus labor præsensio illa animi dici potest, qua diuturnum suæ gentis, molestissimumq; seruitium in Aegypto futurum præuidit. atque hi sunt inter præcipuos à Iacobo exantlati labores, quo tempore Libycus Hercules corporis potius, quàm animi robore sine vllo veræ virtutis compendio laborabat. huc accedit quòd veteres, vt ait Macrobius, Herculem putarunt

non

Digitized by Google

non alium esse, quàm Solem (nec mirum, nam etiam in sacris literis describitur Sol instar gigantis strenuè immensum per iter excurrens) idq; ex eius nomine confirmat, quippe Herculles græcè dicitur ἡράκλης, hoc est aeris gloria, hæc autem est Solis lux, qua aer illustratur. dictus est autem duodecim labores confeciſſe, quia Sol annuo cursu totidem signa Zodiaci lustrat, & conficit. atqui Iacobum per Solem fuisse significatũ diximus in filij somnio. immò hoc illustrior visus est, quàm Sol ipse, quem cernimus, quia etiam dormienti Iosepho per noctem illuxit. Præter hæc non est omittendum, Iacobi ætate Spartam fuisse conditam à Sparta Phoronei filio; præcipuam, inquam, illam inter Laconicas vrbem, vnde fortissima gens Spartiatarum prodijt, postea Lycurgi legibus informata, quæ gens, vt est in Machabæorum historia, se ab Abrahamo genus ducere gloriabatur, quod datis ad Hebræorum hierarcham literis testati sunt. Druidæ quoque ad Iacobi tempora pertinent: horum disciplina hæc erat, vt sacrificia publica, & priuata curarent, adolescentiam instituerent, ipsorum alij decreto starent, alioquin interdicerent sacris, ac numero impiorum haberent. id persuadebant, quòd postea Pythagoras, animas post mortem ab alijs ad alios commeare, multa de sideribus, atque eorum motu, de mundi, ac terrarũ magnitudine, deque rerum natura tradebant, auctorem tamen, conditoremq; verum penitùs ignorabãt; Teutanem quendam Deum, qui Mercurius putatus est, humano sanguine placabant; quippe pro victimis homines immolabant. erant apud ipsos immani magnitudine simulacra, quorum contexta viminibus membra viuis complebant corporibus, quæ flammis circumuenta miserè exanimabantur; quosdam autem sagittis configebant, atque intra sacras ædes affixos patibulo suffigebant. hunc Teutanem Druidum Deum non modò geometriæ, atque astrologiæ inuentorem fuisse dicit Plato, sed etiam talorum. adeò cõmunis hostis, quasi perludũ mortales in pernicie trahebat agebatq; vt tanquã per religionẽ iacerẽt aleam vitæ, inter hæc Iacobus vnius, ac veri numinis cultui deditus nihil nisi religiosũ ac piũ cogitare, moliriq; familiã sanctissimis moribus instituere, ac sacrificia nõ crudelitate inficere, sed pietate condire.

Sparta.

*Genebr. Sebast. ver.*

Druidæ.



Digitized by Google

## RACHELI
### Synchroni.

*Euseb.* RAcheli Iacobi coniugi ferè æqualis fuit Isis, Io antea dicta, Inachi filia, quem Isaaco viuente regnasse diximus. quantò autem Rachel Iside fuerit illustrior, vel hoc indicat, quòd illa à Ione inductis repente tenebris, & circumfusa caligine vitiata dicatur; cuius pudicitia adeo suspecta fuerit, vt etiam in vaccam mutata centoculo Argo custodiēda sit data; tùm immisso oestro per multa loca agitata tandem in Aegyptum venit, vbi restituta forma Isis est nominata ibi Osiridi regi nupsit, post mortem autem pro Dea culta est, eiq; sacra Isiaca cum sistris, & crotalis instituta, habitaq; est eadem quæ Luna, vt Osiris idem qui Sol, quamobrem cornicularia fingebatur; & sanè nihil congruentius, & opportunius accidere potuit, quàm vt circa eadem tempora Rachel, & Isis conuenirent; nam vt hæc Osiridem, ideſt Solem virum habuit, & ipsa Lunæ loco habita, ita Rachel in filij somnio Luna, & Iacobus vir eius Sol ex ipsius Iacobi interpretatione significatus est, vti diximus. Sed Io quidem siue Isis incesto Ionis toro nocta est, vt mirum non sit, quòd eadem maculosa sit Luna; at verò Rachel, quàm insigni pudicitia fuerit, vel illud declarat, quòd vnà cum viro, cui desponsa erat, diu vixerit intacta, cum ille interim socero seruiret. itaque satis congruenter obijt verno tempore, hoc est inter ipsam odorum suauitatem, qui afflantur à floribus, quippe quæ & illibata tandiù manserit, & filium genuerit Iosephum castimoniæ, ac pudoris exemplar.

## IOSEPHO
### Synchroni.

IOsephus ortus est quo tempore Belochus apud Assyrios tractare cœpit imperij clauum, qui iccircò à Belo cognomen accepit (Belochus enim Beli amatorem significat) quia vnà & imperator esse voluit, & Beli Sacerdos,

*Beros.* Beloch.



Digitized by Google

maximè autem circa auſpicia & diuinationes animum ſuperſtitione imbutum occupauit, cum Ioſephus interea veri Dei religionem, cultumq; tueretur; & ſi aliquando per ſcyphum argenteum ſe augurari, ac diuinare finxit, quem inter amantiſſimi fratris natu minimi frumenta abſcondi iuſſit, illud non ſine arcani ſignificatione conſilij factum; ſomnia verò non per vanam coniectorum diſciplinam eſt interpretatus, ſed per numinis in animũ illabentis afflatũ. Vixiſſe etiam dicitur Ioſephus eo ferè tempore, quo Ceres (nam eadem quæ Iſis fuit) atque Triptolemus. quod ſanè opportunè accidit; neque enim fabula ipſa tantum ijs laudis affinxit, quantum Ioſepho vera impertit hiſtoria. fuiſſe dicitur Triptolemus inſigni beneficentia erga mortales ob abundantiam, quam attulit, frugum, eumq; Ceres recens natum noctu igne ſouiſſe, adultum verò interdiu alatis ſerpentibus ſuperpoſitum per totum terrarũ orbem circumtuliſſe, liberaliter manu frumenta ſpargentem, & vſum ipſorum indicantem. quid Ioſephus interea? penè enectos fame mortales frugibus pauit frugalis ipſe, immò vir frugi. non eſt venenatis anguibus inuectus, ſed regio curru, vel potius ſupra terras elatus triumphali virtute, qua ſublimius nihil ita ſuperſtitioni ſemper oppoſita religio eſt; ac dum Ceres vt frugum inuentrix diuinitatem ſibi vſurpabat in terris, & Triptolemus non tàm frumenta, quàm venena ſpargebat, Ioſephus veri numinis cultor egregius hanc beneficentiæ laudem, & dignius eſt conſequutus, & verius. vidit quidem dormiens ſe inſtar manipuli frumentarij inter ceteros eminere, ſed euigilauit ad curam populorum, quos tã arctè ſibi obſtrinxit. vbi ſolutus eſt vinclis, vt poſt mortem (ſcilicet cum reclamare, atque obſiſtere non poterat) ab Aegyptijs acclamatus ſit Serapis Deus. nam, vt ei gratiam referrent, Serapidis ſimulacrum, qui modium frumẽti geſtaret in capite, rei monumentum, & Ioſephi ipſius imaginem eſſe voluerunt. Incidit etiam in Ioſephi tempora Prometheus, qui dictus eſt ἀπὸ τῆς προνοίας, hoc eſt à prouidentia, multa enim mortalibus cõmoda inuexit ex aſtrorum in primis cognitione, quam in monte altiſſimo Caucaſo degens magna cum ſolicitudine, ac labore compararit; quamobrem locus datus eſt fabulæ, quòd ei monti af-

*Hiſt. ſchol.*
Ceres.
Tripto-lemus.

*Euſeb.*
Prome-theus.



Digitized by Google

fixus sit; eiusque iecur aquila continenter depasceret. dictus idem est in cœlum Mineruæ auxilio conscendisse, atq; ad arctem Solis rotam admota facula ignem illum ætherium in terras detulisse, quo rudia, & gelida simulacra afflata viuificum conceperint spiritum. id autem eò spectare interpretati sunt, quòd magnitudine sapientiæ, ac prudentiæ effecerit, vt rudes mortales, ac penè lapidei ad humanitatem informati ciuiliter viuerent. at quod Prometheus Assyrijs, id multò præstantius Ioseph us præstitit Aegyptijs, quandoquidem ad aulam euocatus Principes, ac Purpuratos in primis instituit, ac moribus imbuit, quibus ipse præditus esset. neque verò ei necesse fuit in cœlum vsque conscendere ad Solis rotam, cum Sol ipse tanquam è cœlo delapsus ad ipsius procubuerit pedes. ceterum ita omnium commodis opportunè consuluit, vt à prudentia nomen congruentius referre potuerit. dignus profectò, qui non affigeretur Caucaseo monti, sed solio; nec debuit in auium pastum abire, qui famelicos pauit; aquilæ enim non ei in carnificinam cesserunt, sed in auspicium regni. Iam illud planè singulare, atque admirandum, quòd Ioseph us in eam ætatem incidisse dicitur, qua Venus in terris coli cœpit, nempe eadem quæ Isis. quid autem Veneri opponi potuit magis aduersum, diuinæ certè prouidentiæ, atque consilij fuit, vt cum illa orbem terra fœdabat, honestissimum ad lescentem ipsa proferret, qui omnes corruptelarum expugnaret illecebras. Igitur illinc libido in certamen venit, hinc pudor; intemperantiæ obstitit castitas, petulantiæ verecundia. ac ne sibi Venus omnem pulchritudinis florem, & gloriam vendicaret, adolescens inuentus est specie liberali simul, & libera, qui videlicet nesciret lit idinis esse mancipium; tantòque hic venustior habitus est, quantò magis abhorruit à Venere: tàm longè abfuit moribus, qui simul fuit tempore. Atque huc quoque spectat illud, quòd Ioseph o viuente regnabat Hesperus, qui cum in Italia rerum esset potitus (vnde illud magnæ nomen Hesperiæ) cum ob rerum gestarum gloriam, tùm ob astrorum peritiam assecutus est, vt planeta ille diceretur, qui dicitur Venus, inter astra pulcherrimus: Ioseph us verò ita emicuit inter fratres, vt non modò eos pulchritudine vinceret, sed

*Sanson. Pier.*

Venus.

Hesperus.

vade-

Digitized by Google

vndecim stellarum typo ad pedes adorantium more sibi accidere viderit, fuit autem Iosephus quodammodò idem & Hesperus, & Lucifer; nam si eum in illa calamitatis nocte contempleris, cum penè & interemptus à fratribus, & ab hera est carceris detrusus in tenebras, tanquam Hesperus fuit, præsertim cum ibi nocturna interpetratus sit somnia, iniecta menti diuinitus luce; at verò cum prosperi euentus effulsit dies, quidam quasi Lucifer fuit. Illud denique omitti non debet, Iosephi ætate à Telchinibus Rhodum vrbem conditam, quę à serpentium multitudine dicta est etiam Ophiusa. inditum autem nomen est Rhodi à capulo rosæ illic inuento, vbi exædificari cœpit. atqui in Aegypto, quæ omnium superstitionum veneno tumebat, Iosephi pudicitia rosæ instar effloruit, ediditq; fragrantiam; tametsi, vti diximus non modò Venerem, vt de hoc flore dicunt, non attigit, sed ei infestissimus fuit. ac Rhodum quidem Soli dicarunt, propterea quòd nullus dies tàm nubilo cœlo est, quin aliquantisper ibi se Sol videndum præbeat quamobrem ei admirandæ altitudinis colossum septuaginta cubitorum erexerunt. at dum in Sole Rhodus quasi rosea cum corona conderetur, Iosephus in Aegypto ad imperij penè culmen erectus, assecutus est regiam, nempe is, ad cuius pedes Sol ipse, hoc est gigas ille tàm amplus se per visum substrauerat. aurum præterea pluisse Rhodi ob insulæ felicitatem cecinerunt poetæ, præsertim quòd ibi studia liberalium artium florerent; nec tamen Rhodo inuidit Aegyptus, quandiù Iosephi administratione felix fuit, cuius & pietatem & sapientiam est admirata.

*Euseb.* Rhodus.

*Solin.*

*Pindar.*

# IOBO
## Synchroni.

IObus in Iosephi ætatem ferè incidit, paullò iunior. vixisse autem diutissimè dicitur ad adultum vsque Mosen. eo viuente Atlas Hesperi frater est celebratus in terris, quod admodum congruenter contigisse dicendum est. quid enim? an non Atlantis instar Iobus fuit, qui tam grauem molem tot ærumnarum suis humeris tàm firmiter, strenuèq;

*Euseb.* Atlas.

nec q; sustinuit? qui tanto pondere malorum pressus non succubuit? stupet animus commemoratione calamitatum, cum teterrimus hostis bonorum omnium iactura quassatum, & in liberorum funeribus occupatum, acerrimis, ac fœdissimis morbis totum inuasit; cum omnibus corporis humoribus partibusq; à naturali statu disiunctis, atque conuulsis, vno vlcere, quod plurima superaret, infecit, itaque oppressit, vt à summis vnguiculis ad verticem vsque capitis nulla particula remaneret incolumis; cum interna omnia, externaque membra implacabili cruciatu æstuarent; in quo acerbissimi doloris morsu ordo ipse, ac diuturnitas temporis est pendenda. neque enim id leue tot, ac tantis ærumnis incrementum accedebat, nam cum vereretur hostis, ne, si cum tota illa quasi triariorum cohorte in ipsum incumberet, hominem ferendo imparem statim extingueret, sperare autem sore, vt in desperationem ageret, si alij ex alijs quotidie morbi pullularent, ita veterator certamen instituit, vt prioribus labefactatus, posterioribus in terram afflictus procumberet; septem ipsos annos bellatorem tenuit in campo, ac morborum agmine obsedit. denique nō in campi puluere, sed in fimeto aggressus est; & cum horrenda lues totum corpus ita occupasset, vt tetram vndique mephitim exhalaret, qua tecta ipsa, & parietes infecti erant, ex vrbe quasi spirans cadauer elatum est, atque inter sordes abiectū. Omitto hic ludibria seruorū, cognatorum conuicia, regū suspiciones, ac ceteros illius tragœdiæ actus. qui tandem humeri etiam Atlantici tam immanem malorum molem à se non excussissent? sed omnes ille fluctus à se tanquam à saxo reiecit. nullum profectò Cœlites spectaculum attentioribus oculis viderunt, ipsos quoque dynastas calumniam vertere in admirationem coegit. adeò vera illa diuinitus accepta philosophia generosum nacta pectus, humana imbecillitate depulsa, totum in solidæ virtutis munimento confirmarat, potentiusq; omni dolore fecerat. communis autem hostis cum in eo lacerando frustra se fatigasset, fieri iussus est custos. Quātò huic dignius sapientiæ titulus est dandus, quàm ijs, quos apud Indos patientiæ meditatio obstinatè, sed dementer exercuit, vt omne vitæ tempus exigerent nudi, modò Cauca-

mon-

Digitized by Google

montis gelidorigore corpora sua durantes, modò flammis sine vllo gemitu obijcientes; Iobi pectus & altius, & eruditius fuit, vnde insuperabilis illa virtus est orta. Sed vt ad Atlantem redeam, Iobo ferè aqualem, cœlum illo fractum tulisse dicitur, quòd de ijs multa mortalibus differendo tradiderit; at nunquam in sacris literis tam diuina, tam clara mentio fit astrorum, quemadmodum in Iobi historia, quippe singillatim nomina traduntur Orionis, Arcturi, Hyadum immò etiam Pleiadum, quæ filiæ ipsius Atlantis fuisse dicuntur. de cœli quoque armonico concentu, eiusque ordine, ac rationibus disputatio instituitur. Præter hæc Atlantem veteres cœli columnam appellarunt, nihil autem Iobo firmius, ac stabilius fuit, quem verius columnam dixeris, in qua tot sunt incisæ rerum præclarè gestarum notæ, quot fuerunt calamitatum ictus, ac vulnera. Non est autem hic omittendum, quemadmodum plures dicti sunt Atlantes, ita hoc nomen tributum fuisse à sapientibus, etiam prisco illi Enocho, vt initio diximus ex Eusebio; sed ille obtinuit prius quodammodo cœlum, quàm sustinuit, cum videlicet in alteram quandam regionem raptus est, iterum redieturus ad mortales extremis temporibus, vt fulciat religionem, tabescente Atlante efficere non poterit, quin tandem Mundus vetustate consumptus labatur in præceps. Atque vt omnem hanc Iobi laudationem absoluam, eius ætate vixisse dicitur Callyrius Pyrantis filius, qui primus in Argis sacerdotio functus est, sed illud pulchritudinis cromen, quod ipse superstitione inquinauit, Iobo potius congruit, qui verò numini, licet inter impios degeret, victimas pro liberorum salute immolabat, immò verò ipsam pertoleranciam victimæ more iugulandum quodammodo præbuit. Denique illud non parum affert Iobo splendoris, quòd Apollinem ipsum, hoc est lucis fontem superarit. Apollo, inquam non ille, qui edebat oracula, sed qui Latonæ dictus est filius, sub Iobi tempora fuisse dicitur, quippe Iobus ad multam vsque Mosis ætatem vixit, qua Apollo hic celebratus est. at non pauca sunt, quibus præferendus Apollini Iobus videtur, vel ex hoc, quòd, cum vxor Lunæ instar se illi opposuisset, non

Callyrius. *Euseb.*

Apollo.

defe-

defecit, non deliquium passus est, immò tunc maximè pietate resplenduit. meritò igitur præclarus hic Sol filiam vnam ex tribus, quas post illorum temporum noctem genuit, appellauit Diem; meritò etiam in eius tumulo pyramis, vti narrant, erecta est, cum pyramides sacras Soli fuisse constet. Ita qui se lectulum strauisse dicebat in tenebris, obrutus lacrymis, quas inundantes vocat aquas, repente ex illius nocte, calamitatis, atque ex Oceani fluctibus emergens, pulcherrimæ Diei parens factus euasit in Solem.



ADAS

# ADAMVS

primus hominum parens.

Synopsis. *Singularia, atque eximia in eum à Deo collata dona commemorantur; communis tamen calamitas deploratur orta ex violatione præcepti, sed cui tandem pie succurrerit salutis assertor Deus.* Genes. 1. 2. 3. 4.

## ENCOMION 1.

Quid à nobis, Parens magne, sermonis expectas?
acclamare tibi nequimus vitæ duci,
qui conclamati per te sumus mortis auctorem:
sed si quis superest adhuc in nobis halitus vitæ,
intermortua te compellabimus voce.
Conditus es paruus Mundus in magno,
sed cui seruiret hic magnus.
nullas maiorum imagines profers,
sed vnam Numinis termaximi refers.
afflauit Deus in te, vt te conflaret in se.
noua fuit compendiarij Mundi matheſis,
quia non es formatus vitro, sed puluere.
immò nouum prodigium,
quia tunc factus es vitreus,
cum minus exsplendescere cœpit in te
conditoris imago.
adumbratus es ad effigiem Dei,
vt uirtutum perficerere coloribus;
sed reus criminis factus es decolor
pallore mortis.
at non ideò in te ille spirauit,
ut tumida impleres uela,
naufragus antequam remex:
statim reflauit Numinis fauor,
cum tu non es obsecutus afflanti.

Stupuit primo Natura rudis, & hæsit
opus intuita diuinitus fictum
more non suo.
nam quid natalibus admirabilius tuis?
Sator fuisti generis humani, non satus,
vir antequam puer.
non adstrictus es fascijs, sed beneficijs;
nec in matrice fuisti sculptus è matre,
nec in officina Naturæ lineamenta sumpsisti.
non repsisti paruulus,
& si per reptile factus es minor.
nisi edictum violasses recens,
sine senio futurus antiquus,
sine rugis annosus.
Iam quid nomine celebrius tuo,
qui nomina indidisti rebus?
vidisti vix factus te Regem factum;
animantium constitutus es dominus,
accepta vix anima.
penè imperium cum conditore partitus;
ille procreator, tu nomenclator.
tanquam Imperatoris tessera brutis est data,
cum accurrerunt acceptura nomen,
quod militiæ darent tuæ.
Princeps futurus vltimo exortus es loco,
vt non nisi orbatam intrares in regiam;
apparatus thronus te præstolatus est Regem:
ante tibi est Mundi augustale formatum,
quàm vile deformareris in lutum.
Cetera condita sunt Dei iussu,
tu arbitratu,
quia futurus arbiter tui
vtramque liber in partem.

Habuit

Digitized by Google

Habuit opus ex consilio pondus;
euocatus es in lucem sine vocis imperio,
vt imperares.
Sed da veniam, Pater, pace dicam tua,
si qua tibi pax, qui primum in te citasti bellum.
scilicet cum è terra compactus es rubra,
omen fecisti vulneri.
idem accendisti facem vitæ, & fomitem mortis.
pulchrè te auctor effinxit è puluere:
at turpiter culpa diffinxit in cinerem:
vultu licèt excitatus ad cœlum,
infodisti nos tumulo.
aucti sumus per te generis caput;
at more reorum diminuti capite.
quanto iacta est cum nisu sagitta,
quæ ad nos tam longè peruenit?
inter nepotes sumus vltimi,
at inter ærumnas primi;
nascimur posthumi, sed humati iam tecum;
auctori supersumus mortuo
cineres viui.
qui factus eras fundamentum generis,
communem omnium traxisti ruinam.
cum vno in loco sis lapsus, & fractus,
vbique iaces comminutus, & sparsus.
Nactus es in horto draconem,
at non horti custodem;
immò qui te iussum custodire deiecit.
habuit à te Mors arborem,
vnde victrix suspenderet spolia.
ibi trophæum erexit, vbi te strauit.
Intestinum expertus es bellum,
antequam arma cudi cœpissent.



Digitized by Google

Eductus es in puluerem campi,
statim atque es fictus ex puluere.
aptè te parazonijs induisti pelliceis,
scilicet more castrensi;
iam tunc & nos cœpimus esse sub pellibus,
coacti militare nondum viui.
stipendio mortis:
in eius triũpho deuinctę nobis sunt manus catenis,
antequam fascijs:
inuenta bipennis est mortis,
antequam ferrum.
per te illa consecuta est in toto orbe terrarum,
*Caligula ex Sue.* quod assequi tyrannus in vna vrbe non potuit,
vt vna esset mortalium ceruix,
quam facilè vnico amputaret ictu.
prope in lictorem versus es parens,
quia non parens Deo.
ex argilla concretus, & luto,
penè dum effingeris, effringeris.
diem tibi natalem feciſti emortualem.
vltimus animantium euocatus in vitam
primigeniam aduocasti mortem.
ferale sustulisti vexillum,
ex vitæ duce signifer mortis.
vbi iudex Deus accessit ad flatum auræ,
iussi fumus efflare animam.
nec mirum, quòd accedentis timueris auram,
quando te caduceis texeras folijs.
scilicet à folijs quæsisti præsidium,
qui vel in fructu repereras damnum.
cum esses gentis humanæ radix,
tunc voluisti videri viridis fronde,
cum exarueras trunco.

Sub

Sub opaca condidisti te arbore,
aptam videlicet nactus scænam,
vbi ageres histrionicam,
non vt imitator miseriæ, sed vt exemplar,
non tam ludius, quàm ludibrium,
idem tanti spectator opprobrij,
qui actor, & acroama;
histrio primarum partium, immò primus
nimis breuis vno actu clausisti tragœdiam.
data quotidie fabula non fabulosæ mortis
placuit nunquam;
pro cauea plausu resonat planctus:
tantùm non tragicum traxisti syrma,
quia inuentus es nudus.
cum extendisti ad cibum manum,
contraxisti vitam.
allectus es pomo more puerili,
sed ita consenuimus luctu.
quanta fuit eius austeritas pomi,
quæ tam seuerum reddidit Deum?
quanta acerbitas, quæ tam acrem?
tunc dictus es aperire oculos,
cum eos tecum clausimus vitæ,
cum cæcam induxisti mortem.
vidisti tunc primùm immane spectaculum,
districtum in te diuinitùs gladium.
versatilis intentus est mucro,
quia mens fuit inconstans;
te petebant tela, te flamma
hostiam morti deuotam.
aduersa licet inter se coniurauere supplicia,
quà exaresceres iussus es in puluerem,
quà diffluere in sudorem.

Cessisti

Ceſſiſti in vile mancipium mortis,
qui præeras terræ, aeri, mari;
ſcilicet tot ſceptra regnorum
vno poſthabuiſti ramo.
*Herodot.* quidam poſt te Reges in apice ſceptri
affigere ſunt ſoliti pomum,
tu contra amiſiſti ſceptra per pomum,
decerpſiſti ex arbore non regias virgas,
ſed lictorias,
quibus ipſe vapulares vnà cum prole.
idem dies vidit te, & in ſolio Regem,
et ante tribunal reum.
cum tibi dictus eſt dies,
nox occupauit omnia.
ſimul & ſecures accepiſti cum faſcibus,
& ceruices ſubieciſti ſecuribus.
nondum in cœlo concreuerant nubes,
cum cœleſte iactum eſt fulmen,
quo abijmus in cinerem.
tam immanis in nos procella deſæuijt,
adhuc ſereno ſub cœlo.
vbi ſplendor euanuit gratiæ,
minarum coruſcauere fulgetra.
Sed cur acrius tuam inſequor culpam,
quæ dicta eſt felix?
quia pro illa ſuſpenſus eſt Deus in arbore,
quæ habebatur infelix;
ceſſit facinus in prodigium pietatis,
profuit te fuiſſe miſerum,
abimus in puluerem, ſed vitalem,
quia magiſterium habet virtutis;
rudis eſt, ſed erudiens puluis,
vbi recta linea deſcribitur vitæ.

EVA

Digitized by Google

# EVA

prima hominum mater.

Synop. *Eius dignitas ostenditur, quòd ex viro efficta in ecstasi posito; & quòd non foris vt vir, sed intra beatum hortum condita; tametsi ipsius quoque damna commemorantur, quæ postea reparauit Dei Mater.*

## ENCOMION 2.

Ades huc magna viuentium mater,
par est certè de te dici magna,
quæ adulta extitisti, antequam parua.
quàm digna es rhetorum linguis,
quæ nunquam fuisti infans?
quid in tuo natali non mirum?
pro obstetrice, Dei habuisti manum,
pro vtero viri latus.
quanto prodijsti candore,
quæ non es compacta de luto?
non ex argilla ficta, sed facta.
non excepit te beatus hortus vt aduenam,
sed vt indigenam.
habuisset vir quod inuideret in te,
nisi te videret ex se.
vt iungeretur tecum, à sui est parte seiunctus.
quàm claræ arserunt thalami tædæ,
quas accendit pronubus Deus?
non ante virum vidisti, quàm vatem,
quippe admissus dicitur ille diuinis arcanis,
cum efformareris ipsius è latere,
edidit te edens oracula;
è cortina diuinitatis egressus
ingressus est thalamum;
in nuptijs suis præcinuit diuinas

Nun-

Nunquam ille tam sublimia sensit vigil,
quàm cum sine extero sensu profundè sopitus:
penè somno sepultus te eduxit ad vitam.
inter incorruptæ vitæ delicias
lusisti virgo simul,& nupta.
Sed parce tu quoque communi dolori,mater,
patiaris te dici nouercam.
prodijsti ex osse,
sed euasisti cerea.
non es concreta de puluere,
causa tamen fuisti cineris.
ominosa statim coniux viro,
nempe prodijsti de vulnere.
quid mirum, per te naufragium factum,
quæ edita es dormiente proreta?
erubuisti mulier prima quòd nuda,
erubescant aliæ, quòd ornatæ;
post mulierem Mundo fatalem,
muliebris inuentus est mundus.
gemmatus torques curuatur in anguem,
vt sit sceleris imagini pretium.
Scilicet putasti dari posse consilium rectum
ab angue spiris intorto;
flexit ille te flexibus suis,
flexisti tu quoque virum illecebris tuis.
propinasti acceptum virus viro.
fecit anguis te deteriorem se,
quia datum tibi non est exuere senium.
inter suauissimos auium posita cantus
maluisti serpentis audire sibila;
ei videlicet habuisti fidem,
qui non modò duplici loqueretur lingua,
sed trifida.

*Clemens Alex.*

Men-

Digitized by Google

Mentitus est coluber posse te coli;
tumuit non solùm veneno, sed verbo;
non es tu Dea facta, sed rea.
quò leuior fuisti credendo,
eò grauior fuisti nocendo:
meritò datus est tumor fastidiens ventris,
cui fuerat tumidus fastus mentis.
fructum edisti arboris libens,
at fructum edidisti vteri dolens.
decerptum à te pomum
consecuta statim est maturitas mortis,
& acerbitas vitæ.
non sine te ausus est hostis aggredi virum:
plus fidit illecebris tuis,
quàm telis suis.
ratus est faciliùs ruere posse structuram,
si aggrederetur eam demoliri per latus.
personatus ad te hostis accessit,
vt tristem daret fabulam tui;
induit laruam, vt te nudaret.
cum audisti sibilum,
indicere tibi ipsa debuisti silentium:
scilicet hanc attulisti dotem viro,
vt eum faceres exhæredem.
ante rogum ascendisti quàm torum;
tumulum adornasti antequam thalamum.
è latere viri desumpta
admouisti lateri calcar ad facinus;
sed initus est statim cursus ad mortem.
facilè caduca virtus emarcuit,
nempe inter poma versata.
pomum illud, quod gustasti maturum,
dici non potuit, vt cetera, mite.



Digitized by Google

Quid pomum potuit conferre tibi caducum,
nisi vt caderes?
eiusmodi pomis se arbor induerat,
quorum esu fieres nuda:
non fuit amoris, virum petere malo,
quo oppetijt mortem.
non aureum id fuit malum,
quod secula fecit ferrea;
non suaui fragrauit odore,
per quod natura computruit.
fuisti (parce dicto) vel impudens, vel imprudens,
quia consuluisti oculos
& lubricos simul, & vitreos:
vt vidisti, vt perijsti.
in consortium cum viro veneras vitæ,
sed abs te sors obtigit mortis.
partitus est magnus artifex corpus,
vt cooptaret ad pietatem mentes;
distulit latera, vt corda conflaret:
fuit ipsa molitio magistra concordiæ,
non origo dissidij.
iuncta es fœtum datura, non fletum.
inter horti collocata delicias
non fuisti studiosa florum,
tametsi virgo;
in fructus tantùm inhiasti vel vetitos:
scilicet abiecisti corollæ curam.
dulces quatuor fluuiorum scatebras
salsis violasti lacrymis;
ab angue lubrico timere debuisti lapsum.
at hoc per fœminam alteram actum est præclarè,
quòd eius anguis, cui tu annuisti capite,
illa caput obtriuit pede.

ABEL

Digitized by Google

# ABEL

Adami filius.

Synopsis. *Ostenditur, morti fraudi fuisse, quòd primò oppresserit innocentem. occisus est à fratre inuidente, quòd ritè litasset, delapsa diuinitùs flamma. pœna interfectoris tremor, & error fuit.* Gen. 4.

## ENCOMION 3.

Omen dedisti moriens vincendæ mortis,
immò morituræ mortis:
puniri mors debuit, quæ incubuit in insontem.
nimis infirmum sui posuit fundamentum,
quia primò damnauit non reum.
Vt facinus tegeret frater,
seorsum te produxit in campum;
at ita res acta est teste cœlo.
satis ille se declarauit agrestem,
cum agrum selegit ad necem,
at tu fœcundior fuisti laude, quàm ager pomis;
exaratum est corpus vulnerum sulcis,
vt efflorescceret virtus.
primam pietatis segetem impiè irrigauit cruor.
vix dum tellus cœperat è cœlo ebibere imbrem,
cum cœlestis iuuenis ebibit sanguinem.
penè Natura dissoluit Mundi compagem,
cum primùm amoris solutus est nexus.
didicerunt mutuis odijs elementa turbari,
cum viderunt vel in fratre dissidium.
liuidam plagam primus intulit liuor.
obriguisti morte, at exarsit in scelus cruor:
agriculturam germanus inauspicatò exercuit,
quia communem studuit matrem effodere,
vt proprium disceret fratrem confodere.



Digitized by Google

Rusticus ille inter agri flores, & poma grassatus
te siue vernantem è culmo florem,
siue acerbum è ramo pomum
impia decussit manu.
At tu quidem factus ouium pastor,
tanquam præcidanea cecidisti victima:
dum gregem à lupinis tutaris insidijs,
in fratrem incidisti lupum.
quòd pecuino libasses adipe,
extabuit ille inuidia:
monstrosa res, contrahi ex adipe maciem:
quò tu eras in Dei cultu subtilior,
eò pinguiora solebas offerre.
quòd tua diuinitus arsisset hostia,
exardescens ille hostili ira
te mactauit hostiam:
è cœlo euocaueras ignem;
quod videlicet incenderas votis.
execranda fratris feritas fuit,
quia in naturam se primus armauit,
qui primus fuerat naturæ partus.
is aditum primò alijs patefecit ad mortem,
cui fuerat patefactus ad vitam.
is extinxit scintillam vteri,
qui prior ex vtero euocatus ad lucem.
omni fuit hoste dirior,
qui vi facta præcocem accersijt mortem;
adduxit illam per viæ compendium.
scilicet vereri visus est impius,
nè accederet serò, quæ currit præceps;
addidit morti alas furor.
frater illi, & prædam obtulit,
& venabulum suffecit.

Pro-

Digitized by Google

Prodijt quasi messor in campum
non alia cum falce, quàm mortis.
non alias exsecuit fruges,
quàm te iuuenem frugi.
erexit cruentum mortis tropheum
de fraternis exuuijs,
cum te spoliauit vita.
quàm pronus fuit ad scelus,
qui tantum aggressus est facinus
nullo instructus exemplo
qui carnificinę ministerium exercuit
nullius magisterio lanistæ
sine præceptore percepit,
qui esset in corpore aptior vulneri locus.
negauit se fratris esse custodem,
vt esset lictor.
nec satis fuit commodare ad facinus manus,
nisi ad fraudem commodaret & linguam.
iam eum Astræa designabat ad cædem,
sed euasit mirè,
impositò signo, ne collinearet sagitta.
ereptus est morti per signum
sicariorum signifer.
nec tamen abijt feriatus à pœna,
iactatus horribili tremore membrorum:
mortem, quam intulerat vni,
metuebat ab omnibus.
vagus errauit, & profugus,
qui fraterna in fide non steterat.
primus extruxit vrbes ob metum,
vt se mœnibus sepiret, ac tegeret.
scilicet condidit vrbes minimè omnium vrbanus,
saxis se muniuit, qui duritie vicerat saxa.

SE-

Digitized by Google

# SETHVS

Adami filius.

Synopsis. *Suffectus est Abelis loco. insignis pietate fuisse dicitur, quam ob causam eius posteri putantur esse dicti filij Dei. ferunt ab ipso duas columnas erectas literis inscriptis ad hominum disciplinam.*

Gen. 4.

## ENCOMION 4.

Immortalibus monumentis debet inscribi
antiquissimi nomen herois,
qui literas sibi fecit æquales.
nempe tua laus est, & beneficium,
quòd euasit sapientia commune naufragium.
duas statuisti columnas,
vbi literaturam incidisti omnem,
ne igni, vel aqua obliterata concideret.
nobilior tua, quàm Alcidæ meta, sapientia.
non animalium insculpsisti figuras,
sed notas, quæ sepultam animarent memoriam.
habuit ea ætas ingenia ad doctrinam mollia,
volumina, vnde discerent, dura.
nunc mentes vel ignauia obduruere, vel scelere;
mollitudo in papyraceos abijt libros.
at effectum est à te primo per lapides,
ne mortales inertes vecordia lapidescerent.
visus est deinde præfractior saxo,
quisquis in se literas recusauit admittere,
quas primò ipsa admisere marmora,
inscriptas licet sibi per vulnera.
insonuerunt mallei, ne essent muta gymnasia.
adhibitum est ferrum, vt aurea irent sæcula.
ne sapientiæ substructio vetustate corrueret,
binis eam fulsisti columnis.

ENOS

Digitized by Google

# ENOS

Sethi filius.

Synop. *Cœpit hic inuocare nomen domini; inueniſſe enim dicitur certos quoſdam Deo ſupplicandi ritus, ac cæremonias ad religionem, pietatemq; compoſitas, & accõmodatas, quibus poſtea impia ſuperſtitio eſt oppoſita.* Gen. 4

## ENCOMION 5.

Non abeat indictum tuum ore hominum nomen,
qui humanum os nomine ſacraſti diuino.
primus docuiſti ritè venerari Deum.
nondum vanis cęremonijs cœperat ludere
impia in Deos pietate vrbs Cære.
nondum religionem adulterarat Hetruria,
cum tu vero numini aras, ædeſq; dicaſti.
non extiſpicijs pecudum rimatus es fibras,
ſed candidum hominis pectus nudaſti cœlo.
patuit cor miti prece, non ferro;
igne adoleuiſti thura,
vt recens adoleſceret pietas.
primus ſacræ palæſtræ magiſter, & aliptes
docuiſti hominem piè luctari cum Deo,
&, vt vinceret, vinci.
infantis penè Mundi rectorem
nominaſti æternum:
vna tua fuit ambitio,
numen ambire prece:
teneriori tunc Mundo emollijſti Deum.
mira docuiſti: lacrymis ſerenari cœlum,
eo imbri auerti procellas, ac fulmina,
gemitu muta reddi tonitrua,
remitti ſupplicia per ſupplicum vota,
paſſis manibus pandi cœlum.

IABEL

# IABEL

Lamechi filius.

Gen. 4. Synopsis. *Parens fuit habitantium in tentoriis, atque pastorum, Abelem in hoc imitatus. laudatur pastoritia vita, quam complexus est, à simplicitate, atque innocentia, & quòd ab vrbium strepitu, ac tumultu remota sit.*

## ENCOMION 6.

Vrbes exosus, ac lares
maluisti habitare sub pellibus
quàm sub laquearibus,
nempè vt effugeres laqueos vitæ.
inter oues degisti libenter,
vt viuere disceres innocenter.
lactis amasti potum, vt viueres candidè;
mollem tractasti lanam, vt placidè.
in eam tantùm incubuisti curam,
quæ religioni seruiret.
cum nondum datus esset carnium vsus,
agnos non alijs reseruasti focis,
quàm aræ.
iam tum cœpit regnare Religio
per infulatas, quas nutriebas, victimas.
idem secutus es vitæ genus,
quod primus pastor,
non veritus omen cædis.
vox illa sanguinis, quæ terruit fratrem,
te pio inuitauit exemplo.
palantes, & errabundæ oues,
amisso pastore,
non nisi ad vocem accurrerunt tuam.
illum penè in te rediuiuum ratæ,
cui similis innocentia viuebas.

IV-

Digitized by Google

# IVBAL

Lamechi filius,

Synopsis. *Fuit pater canentium cithara, & organo, & auctor melodiæ. id inuentum quàm iucundum, & commodum fuerit ærumnosæ vitæ mortalium ostenditur, vt haberent aliquod honestum solatium.*

## ENCOMION 7.

Accidet ad aures grata eius laudatio,
qui primus musicis modis blanditus est auribus.
hoc auctore lenire asperam cœpimus vitam,
minor factus est tetricus labor.
nihil aptius potuit inuenire quàm neruos,
vt qui languebant, sumerent robur, ac vires.
magna dignitas. ãte inuẽta sũt plectra, quã sceptra.
vt laxaret animos, contendit chordas,
vt pulchrior sermo videretur, & comptior,
adsciuit vsum pectinis.
vt mortales numerare dedisserent mala,
verba fudit ad numeros.
depulsus est mœror
pulsu digitorum.
cœperunt ferri moderatè damna post modos.
ne dolor animum feriret,
pepulit hic neruos pollicis verbere.
saucia sanauit corda ictu chordarum:
maior est huius, quàm Mercurij laus,
quia in ægritudinis medela celerior fuit.
tardior ille, vt inuentor testudinis,
serò venit ad ferenda solatia,
testudineo videlicet incessit gradu.
sit ille licet Deus habitus furum,
huic certè laudem non audet eripere.



Digitized by Google

Versutus ille, & more furum vafer,
nullam facere fidibus potuit fidem.
non iactat hic, vt alij, se saxa traxisse,
sed emollijsse,
quippe effecit musicis modis,
ne mortales supra modum lugentes
dolore lapidescerent.
non iactat cohibuisse se flumina,
sed lacrymas.
docuit implicitas animi curas retexere
inductis citharæ filis.
admirata est Natura hominis ingenium
æmulantis auium cantus:
accessit per hunc aeri gratia canore altero;
aptius aures hausere dulcedinem,
nempe deductam per organorum fistulas.
stupuit Natura cum vidit,
ægri animi vulnera curari arcu;
inuentus est musicus arcus antequam bellicus.
leue est quod leuicula iactat Græcia,
scilicet Panos arundinem.
dignior hic scriptorio calamo,
qui pastoricium primus inuenit.
sed quàm idem blandus in citharæ
nouum planè consilium!
nam vt curarum tolleret pondus,
imposuit citharæ iugum.
cuius hic non voce laudandus,
qui vel pecorum fibras fecit vocales?
inuenit in visceribus ouium,
quo posset domare vel belluas.
infudit Natura gutturi mella,
sed ars auribus melos.

Tuba

Digitized by Google

# TVBAL

Lamechi filius.

Synopsis. *Malleator fuit, & faber in cuncta opera aris, ac ferri. ostenditur quàm vtile fuerit hoc inuentum, & necessarium ad multa, quamquam posteri abusi sunt his metallis, & hac arte etiam ad nocendum impiè.* Gen. 4. Tubal-cain.

## ENCOMION 8.

Aurea hic dignus est statua,
qui primus ostendit posse domari
æs, atque ferrum;
iussit vtrumque seruire mortalibus;
contumax metallum contudit malleo:
aurum habet speciem, ista vsum.
æra in igne conflata
libenter suum passa sunt rogum,
vt in spirantibus signis
penè viueret virtus heroum.
tametsi abusa est beneficio sæuitia;
fudit æs, ac ferrum, sed vt funderet sanguinem:
iniecta sunt in caminum,
vt exardescerent bellum.
fuit hoc monstro simillimum,
quòd vbi obduruit animus, liquefecit ira;
vbi rigidus stetit, inflexit ferrum.
ære splenduit manus, cum mens caligauit ira.
gemuere sub incudibus officinæ,
vt arma fabricarent gemenda matribus.
rubuit ferrum igne,
antequam rubesceret cæde.
stridorem emisit in lacu,
antequam clamorem excitaret in campo.
fluxit æs riuis, quò vberior flueret cruor.

# ENOCHVS

Lamechi filius.

Gen. 4. Synopsis. *Ambulasse cum Deo dicitur, & postea repente non apparuisse, quia tulit eum Deus. privilegium vitae tandiu mortis ostenditur. rediturus dicitur ad mortales postrema mundi aetate divini iudicij praeco.*

## ENCOMION 9.

Quàm praeclara hic vestigia pietatis impressit,
qui dictus est ambulasse cum Deo?
tametsi firmata tot saeculis virtus
labi potuit, nisi de via decessisset in lubrico.
auolauit, ne coeno inficeret pedem.
recepit tũc hominem postliminio paterna regio;
per armatos gladio Celites penetrauit audenter,
adeò nihil inuium est virtuti.
ne cupiditatum efferuesceret, vt fit, aestu,
inter opacas horti vmbras, & virgulta se condidit.
spreuit anguem abiectè iam humi reptantem
coelestis ipsae vitae ratione sublimis;
vel ideò ibi tutus, quòd abesset iam mulier.
delusit Mortem ex captiuo transfuga,
erubuisset Mors, nisi esset exanguis.
iure dictus est hic candidatus aeternitatis,
qui atram effugerat noctem.
quanquam ibit tandem obuiam Morti,
sed vt immortalem accipiat vitam.
mirum dictu: ex horti amoenitate progressus
redibit seueritatis acerrimus praeco.
educatus inter innocentis blandimenta Naturae
intentabit reis vltimas Dei Iudicis minas:
scilicet inde veluti ex alueari prodibit
oppugnatura fucos cum aculeo apis.

NOES

# NOES

Lamechi filius.

Synopsis. *Inuentus hic dicitur iustus, atque perfectus ea aetate, qua gẽs humana inquinatissima erat. eã ob causã ipsi cura est à Deo demandata extruẽda arcę, siue nauigij, in quo ille sę, familiã, & animantia cętera seruaret.* Gen. 5. Eccles. 44.

## ENCOMION 10.

Iustus es dictus: ergo decuit iustum
vitare funestum Naturæ iustitium.
non es communi extinctus eluuie,
quia communi non arseras flamma:
immunis ab vnda, quia immunis à labe.
tibi licuit purum ducere spiritum,
qui non infeceras contage aerem.
anteuertisti seculi ruentis exitium
non horoscopo, sed oraculo.
eluuiem es conatus eluere
quà sudore, quà lacrymis,
dum & perfugio parando laboras,
& casum miserando doles.
succurristi senior præcipitanti iam Mundo
fortior pietate, quàm robore,
firmior pectore, quàm humeris.
appositus es custos pereunti Naturæ;
arca tibi cessit in arcem.
in infido mari nactus es fidele vehiculum.
finis fuisti Naturæ, vnàq; principium.
per te humani generis scintilla redarsit,
quam immensæ obruerant aquæ.
quibus te noster exprimet sermo coloribus,
qui seruasti magni numinis imaginem?
fuisti violentior ipsis cœli ruinis.

paruis

Digitized by Google

Paruis tuis complexus es vlnis
deuotum immani exitio Mundum.
cum Cœlum diceret sententiam reis
fulgurando, atque tonando,
laureatus euasisti vim fulminum,
conscendisti superiorem aquarũ montibus turrim,
vt explicares inde vexillum
diuinæ clementiæ fidei iussor, ac signifer.
mirè venatus es omne ferarum genus,
quia se vltrò tibi obtulere venanti.
nunquam videlicet fuere tàm tutæ,
quàm cum eas inclusisti carcere;
arctius adstrinxisti pietate, quàm reti.
tantò largius beneficium,
quantò angustius fuit hospitium,
mirum fuit illud pietatis edictum;
animantia scilicet claudantur carcere,
vt effugiant mortem.
nunquam volucres fuere tàm liberæ,
quàm cum tuo incluse sunt septo;
tametsi in communi luctu desierunt canere.
at tu inter feras tunc sanxisti fœdus,
cum elementa rumpebant fidem.
desierunt apud te esse inhumanæ,
cum se seruatas viderent ab homine.
tàm molli sub sęculo quid te fortius,
qui exarmasti feritate belluas?
quid te purius, qui eas etiam fecisti castas?
nullum tunc animal arsit in Venerem,
quia solæ prævalebant aquæ,
extincta Venus est mari,
antequam diceret Græcia natam mari:
aquarum cumulus cessit in tumulum.

Sed

Digitized by Google

Sed quàm peritus fuisti proreta è
cuius enatauit industria
Natura penè omnis demersa naufragio;
commendatum tibi ab illa depositum
seruasti, reliquias animantium:
arca versa est in aram,
quæ inter vndas, & scopulos eminens
miseris perfugium fuit.
tanquam ex vrna inde est educta sors vitæ,
cum insepultis deerat vrna mortalibus.
recuperasti amissum parentis imperium,
cum belluæ tuo se submiserunt obsequio.
sed ille has donauit appellatione, tu vita.
miro tandem signo factus es certus
de placato iam Numine,
viso videlicet arcu;
meritò ei nomen ab admiratione Thaumantias;
tametsi caruit hic arcus sagitta,
quia exhauserat iam pharetram Deus
iactis in incestos omnibus telis.
discolor Iris est ad solatium data,
ne decolores essent metu mortales.
intenditur arcus in cœlum,
ne reformidet tellus;
curuatur, & flectitur,
vt ad pietatem flexum indicet Deum.
mira res, cum sit ille nubium partus,
tutatur tamen à fulmine
irati Numinis;
quàm clarus hic diuinæ pietatis est obses,
in quo Sol sua luce se pingit!
nihil hoc certius pacto;
cuius Sol oculatus est testis.

scili-

Digitized by Google

Scilicet intenditur è cœlo venabulum,
vt præda effugiat vulnus;
datur mortalibus signum,
ne quasi signum ponantur ad iacula.
hoc relictum est arcui, vt ictum arceat.
quasi neruo tenditur, sed eneruis ad vulnus:
oculos tenent hæc arma, non terrent;
simulat color hæc tela, non facit;
immo ipse simulatus est color;
pietatis est fingere tela, non figere.
nempe vbi illa tandem peruicit Deum,
hunc sibi posuit fornicem triumphalem.
nouo ritu fœderatum Imperator se fecit,
fœdus feriens citra sanguinem.
icit fœdus, vt iceret neminem.
quin etiam vbi cœlestis ille arcus incumbit,
mirus odor afflatur è terra:
scilicet tunc datus est in fœderis signum,
cum eluta iam tellus esse desijt fœda;
penè vulnus cessit in florem.
quanquam tu non vna contentus fuisti Iride,
accepisti & alteram,
in columbæ tibi creditæ collo,
vt certius esset geminum pacis insigne.
tunc desijsti eluuiem gemere,
cum auis gemebunda non redijt.
velificatus tandem es in Armeniæ montes,
sed sine velis.
auctor idem fuisti & vitis, & vitæ,
expressisti tamen lacrymas antequam vina.
semper fuisti sobrius,
sed semel factus es ebrius,
scilicet cum iam cessauerant aquæ.

Se-

Digitized by Google

# SEMVS, ET IAPHETVS
## Noæ Filij.

Synopsis. *Cum Noes epoto primùm vino nudatus iaceret, & à Chamo filio irrideretur, hi eiusdem Noæ filij pallio suo pudenter, ac piè ipsum texerunt; quamobrem à patre & ille reprehensus, & hi laudati.* Gen. 9.

## ENCOMION II.

Nunquã tam pulchrè in parentẽ amore flagrastis,
quàm cum ille indecorè incaluit mero.
nunquam vos tanto cum sensu pietatis,
quàm cùm ille sine sensu corporis.
tunc maximè ipsum estis venerati,
cum terga vertistis.
iccirco ille in vos amantior,
quia ab ipso fuistis auersi.
pallium, quo texistis nudum,
cessit in pietatis trophæum,
induistis animum verè natorum,
cum patrem operturi vos exuistis.
nefas putastis aduersus eum abuti luminibus,
à quo acceperatis vsuram lucis.
meritò alter damnatus est seruitutis,
quia nesciuit esse filius,
didicit timere, qui dedidicit vereri.
ferre iussus est onera,
qui non detulit honorem.
fraternæ subiectus est virgæ,
qui paternum abiecit obsequium.
ausus genitorem habere derisui,
seruilia fleuit ad verbera.
qui frontem habuit perfrictam,
habere meruit inscriptam.



Digitized by Google

# ABRAHAMVS

Patriarcha.

Synop. *Ob veri Dei cultum dicitur in ignem iniectus, sed euasisse diuinitus liber. cõmendatur egregia eius voluntas ad mactandum filium prompta, Deo iubente. Diuiti, qui in pauperem impius fuerat, negauit aquam.*

## ENCOMION 12.

Quanta tibi est oborta lux gloriæ,
illustrium parens heroum?
siquidẽ accepisti ab oraculo, tuam fore progeniẽ
sicut astra cœli;
immo ex te gignendum progenitum Deo.
vel hoc pietas exsplenduit tua,
quòd impiè cultum inobscurasti ignem:
scilicet immortalem esse negasti Deum,
qui ne moriatur, indiget cinere.
in ipsum coniectus es ignem,
sed hoc egit ignis,
quòd innoxius fecit te prodigio clarum.
mira res. primum tibi victoriæ auspicium fuga;
primum belli consilium
odisse patriam;
sed pietatis fuit odisse impiam.
paternos relinquere iussus es focos,
sed vt incenderes filium.
admirabilis fuisti, quòd euaseris ex igne liber,
admirabilior, quòd deuoueris igni liberos.
initurus acerrimam cum Natura pugnam,
de cœlo cepisti tesseram.
arripuisti gladium non modò vt victimarius,
sed vt bellator,
retudisti omnia amoris ingeniti tela.

No-

Digitized by Google

Nouum audijsti religionis edictum:
impium patri sit non ferire,
vitale filio sit perire.
circumueniſti taciturnitate matrem,
nè amplexibus necteret moras,
cum tu nectere properares vincula;
obloquenti Naturæ oppoſuiſti ſilentium.
penè celerior tu fuiſti in ſacrificio apparando,
quàm Deus in imperando.
rem aggreſſus es noctu, vt teſtareris ſidera,
ad eum necandum te paratum,
qui æquaturus eſſet poſteros numero ſiderum.
macte pietate heros,
qui pium putaſti mactare filium.
apparanti tibi iam nuptias
fuit ara pro thalamo, flamma pro tæda.
vbi ſubtraxiſti Lothum nepotem hoſtium iugo,
inſurrexiſti in filij iugulum.
cruentum hoſtili cæde gladium
imbuere voluiſti nati ſanguine.
nec mora: exilis in montem ſublimior monte,
oneras victimam ſtrue lignorum;
iubes ipſam ſibimet immolandæ ſeruire.
non ex armento victimam,
ſed è viſceribus eximis tuis.
filius curam ſuæ necis cum te patre partitur:
de religione certatis Sacerdos, & hoſtia;
de pietate natus, & genitor.
tu ferream fers cuſpidem, ille auream mentem;
tu te aſperitate armas, ille lenitate ſe munit.
geſtas tu ignem, ille ſe dat fomitem flammæ.
properas neſcius viæ, ſed præſcius vitæ,
quia te rediturum cum prole prædicis.



Digitized by Google

Quantis contendisti precibus,
ne cœlestis absumeret ignis incestos?
at nunc gestas ignem pater,
vt pudicum concremes filium.
scilicet aræ deuoues,
quem apud aram tot expetieras votis:
eas extendis manus ad cædem,
quas pro illo extendere solebas ad cœlum.
ò quid agis? iam nodis colligas natum;
at enodas Naturæ vincula, vel frangis,
factus ex parente lictor.
nempe esse eum uis immotum in cæde,
quia nec tu commoueris cædendo,
constringis artus, distringis ferrum,
sed animo soluto.
atque vt omni ex parte sis & pius, & fortis,
vtramque armas in filium manum
quà igne, quà ferro.
ne obrigescant manus ad vulnus,
tollis torporem ferendo ignem.
quanquam & oculi exardescunt ad cædem;
ideò carent humore, nec deflent.
nefas tibi videtur eum lugere,
cui indideras nomen à risu.
non tàm gestijsti cum prædictus es parens,
quàm cum iussus es filij esse carnifex.
nihil tibi antiquius, quã precepto parere tã nouo:
sic explorat Deus non deplorantis fidem;
non promissum tua mens librat, sed manus iactum.
omnia senio membra trepidant, præter manum.
erigis altius dexteram, vt fortius premas;
demittit ceruices ille, non animum;
adstringis tu illum compede, ille se voto.

Non

Digitized by Google

Non te paterni nominis appellatio fregit,
qui præceptum volebas integrum.
amabilis,vel parentis nomenclatura,vel filij,
sed amor ipse, quo complectebaris Deum,
& suauior fuit,& fortior:
quem studia emolliebant,vota durabant.
non metuisti, ne tu victus cederes,
sed ne filius non ictus caderet.
probatus est amor ipsa itineris mora,
quia non inconsultus impetus est in laude,
sed inolitum studium;
non aboletur citò,quod placuit diu:
interpositum est spatium,
vt esset longius virtuti stadium.
non tàm sublimis fuit ascensus montis,
quàm tuæ celsitudo mentis.
ascendisti sacerdos aram,
an accendisti filio pyram?
tunc magis exarsisti ad vulnus,
cum refrixerant vires.
repetijt tuum diuina vox nomen,
vt reuocaret in mentem te esse patrem,
cuius eras oblitus.
mirum dictu;tunc maximè auscultans fuisti dicto,
cum attentæ non erant aures,
sed intenti ad ictum oculi,
immo tota mens,& animus.
conclamatum fuisset de filij vita,
nisi reclamasset Deus.
magis attendebas obsequium,
quàm oraculum.
rigidus fuit animus,at non obriguit manus,
cum intendit plagam.

Quia

Digitized by Google

Quia nulla vis potuit arietare pectus,
pro filio suffectus est aries.
meruisti, vt qui non fuderas lacrymas,
nec filij funderes sanguinem.
est tamen ritè litatum,
quia illum conando mactasti.
non tu doluisti, qui eras prole priuandus,
sed qui iusserat te priuari Deus,
propterea victimam commutauit.
at tu rubuisti si minus effuso cruore,
certè perfusus pudore,
quòd non perfecisses cædem.
non timuisti, ne fieres reus necis,
sed ne reus voti.
adhuc tibi videbaris voti damnatus,
quia non senseras damna.
non didicisti, sed genuisti pietatem,
qui sine exemplo tollere voluisti de medio
à te genitum.
habuit religiosa posteritas, quem sequeretur.
auspicatò meremus te Duce stipendia,
cui cessit gladius in trophæum.
è tuo sinu filium abstraxisti viuentem,
qui sinu excipis vel exteros vita functos.
visus es immanis in filium, pius in Manes.
quàm amplo fuisti corde,
qui tot agmina collegisti gremio?
largus omnibus, præter quàm diuiti,
cui vel exiguum denegasti potum:
sed indignum ille se fecit aquis,
cum sanie stillantem vidit oculis siccis.
dignum se fecit immani latratu Cerberi,
cum commisit pauperis vlcera linguis canum.

SARA

Digitized by Google

# SARA

Abrahami vxor.

Synopsis. *Audiens oraculum, se iam anum parituram, risit, vnde nomen infanti inditum. eius vir obtulit Angelis hospitio exceptis lac, ipsa subcineritium panē. Rex Achimelechus eam retinens, vxore vsus est sterili.* Gen. 12.

## ENCOMION 13.

Fœcunda semper heroina fuisti laudibus,
quanquam sterilis diu prole.
cum tu de proxima fœcunditate risisti,
desierunt alij te vt sterilem deridere.
accepit filius nomen à risu matris,
sed propè factum, vt afferret luctum pater.
scilicet quem tu edidisti in lucem,
penè ille dedit edendum flammæ;
obstrinxisti tu fascijs,
ille vinculis;
lætus eum è mammis abstraxit tuis,
lætior traxit ad cædem.
sed sibi fecit auspicium de alendo mox filio,
cum cœlestem pauit hospitem lacte.
at cum tu subcineritium obtulisti panem,
meruisti, ne deuota soboles flammæ
abiret in cinerem.
apud barbarum Regem fuisti captiua,
sed nunquam visa liberior,
quia nullis ille te cepit illecebris:
imperauit purpuræ candor.
quandiù te Rex domi clausit suæ,
diuinitùs clausa est vulua Reginæ.
vt plurimam tibi laudem virtus pareret,
regius impeditus est partus.

LOTHVS

Digitized by Google

# LOTHVS

Abrahami nepos.

Gen. 19. Synop. *E Pẽtapoleos incẽdio diuinitus euasit. obstitit flagitiosissimis, et impurissimis ciuibus, qui diuinitus percussi sunt cæcitate. eius uxor, quòd contra præscriptum respexisset incendium, uersa est in statuam salis.*

## ENCOMION 14.

Viues perenniter hominum linguis
qui non consumptus es igneis,
vel hoc euasisti clarus,
quod euaseris flammas.
quanti fuit pietas apud Cœlites tua,
cui nisi parcerent piè,
punire nequirent impios?
nequicquam irati iacerent fulmen,
nisi antea euellerent laurum.
laureatum certè prætetulisti Ducem,
cum incestis strenuè restitisti ciuibus.
subita sunt illi cæcitate percussi;
nimirum facti Cupidini similes suo;
tametsi in se versa senserunt
illius vel tela, vel facem.
amiserunt lumina, vt acciperent flammas.
abesse ab incendio iussere te Cœlites,
veriti ne illud extingueres fletu.
at coniux, quæ patriæ cladem durior vidit,
quia salsis caruit lacrymis,
in sal abijt.
oculos suos ausa curiosè conuertere,
oculos aliorum prodigio ad se conuertit.
tibi quoque statua ponenda, sed ænea;
quia solidus, & constans ad iussa mansisti.

MEL-

Digitized by Google

# MELCHISEDECVS

## Rex,& Pontifex.

Synopsis. *Reticetur eius genus, quamobrem dicitur sine patre, & matre fuisse. Typus fuit magni liberatoris, cum panem obtulit, & vinum. obuiam ijt gratulabundus Abrahamo post partã victoriã, à quo decumas accepit.* Gen. 14.

## ENCOMION 15.

Vnde tuum repetam genus,
magne Rex, & Sacerdos?
tantò clarius genus, quantò nobis obscurius,
ignotior esses, si noti essent parentes:
fons absconditus fecit,
vt riuus vberiore manaret gloria.
magnum tibi beneficium præstitit tempus,
quòd immemor tui generis
te magis memorandum fecerit;
si tuos celebrasset maiores,
celebrareris minus.
nullas prætetulisti gentis imagines,
hoc illustrior, quòd caruisti fumo;
sed imago fuisti præclarior
Numinis magni,
cum arcana obtulisti liba pro victima.
non vno breui dici potes elogio,
qui duo complexus es maxima,
Regnum, & Sacerdotium.
parum tibi videbatur afferre splendoris
gemmis illuminata tiara regia,
nisi accessisset & pontificia:
tametsi tibi maior es visus
pontifex infulatus,
quàm Rex diadematus.



Digitized by Google

Nobilius acerram tractasti, quàm sceptrum,
quia hoc moderatus es populos,
illa Deum, ne sæuiret in populos;
ornatior es visus byſſo, quàm purpura.
plus tibi honoris attulit ara, quàm ſolium,
licet apud illam pronus coleres Numen,
apud hoc tui te colerent proni;
è ſolio iura dicebas,
ex ara ſumebas.
Non tàm magnificè te vidit aula iubentem,
quàm ara miniſtrantem.
quantò tui fama fragrat odore,
qui ſacro bis es inunctus vnguento?
ſemel in Regem populorum,
iterum in Regem ſacrorum:
occurriſti magno Duci noua cum victima
pro hoſtibus victis.
libaſti gratiùs Deo pane, quàm pecude,
vino, quàm brutorum ſanguine.
inter cruentas triumphatoris Abrahami manus
incruentus fecisti.
nullum Roma triumphum iactauit huic parem:
non aurati viſi ſunt currus,
non placuere inſtabiles rotæ
imperatori vel in nati nece conſtanti.
non vnus Tigranes captiuus eſt ductus,
ſed Reges quatuor,
te tamen vno Rege minores.
partem tibi Dux obtulit prædæ
tanquam ſocio belli præcipuo;
nempe videbat plus ad victoriam potuiſſe
vota, quàm claſsicum,
ſacra, quàm gladium.

ISAA-

Digitized by Google

# ISAACVS

Abrahami filius.

Synop. *Commendatur eius admirabilis pietas, et obedientia, quòd fuerit se à patre ligari, vt macta retur in victimæ morem. tandem iam senio confectus ante mortem vaticinatus est filijs euentura.* Gen. 27. Eccl. 44.

## ENCOMION 16.

Meritò sortitus es nomen à risu,
qui neque moriturus luctum feciſti patri;
nisi fortè ille tunc fleuit,
cum perficere non licuit cædem.
tu quoque nominis haud oblitus es tui,
cum obtuliſti te neci,
vultu penè ridente;
siuiſti tamen te vinculis adſtringi,
non quòd inuitus obires mortem,
sed ut caderes in morem victimæ.
nunquam tàm amplo fuiſti animo,
quàm cum arctè conſtrictus;
tute tibi ad aram baiulaſti ligna;
at plus apud te pōderis habuere iussa, quàm ligna.
non fudiſti lacrymas,
ne tardius illa conciperent flammam.
non opus fuit victimario patri
tua rimari viscera,
vt videret triſtia nè omina essent, an læta,
quia omen hilaritatis ipso fuit in nomine.
non sunt oculi gladij luce perſtricti,
non cupiditate vitæ in fletum soluti.
mobilis fuit, ac vibrans acies ferri,
immota acies luminum.
non ad amplexum, sed ad ictum paraſti ceruices;



Digitized by Google

Nudatum collum obtulisti, non pectus,
quia hoc constantiæ tegebatur ægide.
reuocauit pater ab ictu manum,
at neuter à consilio mentem.
retractus est ille voce Dei iubentis,
non filij gemitu nolentis.
pro te ad aram suffectus est aries,
dux videlicet gregis,
quia posteris præiturus eras exemplo;
tametsi aries ille è vepreto prosilijt
penè lacer inter aculeos,
at nullus pupugit dolor,
aut patrem cariturum filio,
aut filium vita.
significauit olim pater lætitiam epulo dato;
cum primùm te abstinuisti à lacte,
at cum ipse tuo abstinuit sanguine,
ingemuistis ambo;
satius illi fuit rogum apparare, quàm torum,
satius tibi carnificem habere, quàm patrem.
Hausisti idem ex tolerantia laudem,
cum aquam non licuit haurire per iurgia:
cessit puteus in gloriæ fontem.
Fudisti tandem moriturus oracula;
tam illa fuere certa, quàm tu dubius
filij quà voce, quà tactu.
nunquam tibi contigit vaticinari tam seriò,
quàm cum suspicatus es te delusum.
vt te alter natorum haberet munerādo lenem,
se fecit simulando asperum;
non tamen vulpinam, sed hædinam induit pellem,
quia non fraudi erat, sed imagini locus,
fuerunt quippe illa non tàm ficta, quàm picta.

REBEC-

Digitized by Google

# REBECCA

## Isaaci vxor.

Synop. *A nuptiarum curatore agnita est Isaaci sponsa, quòd camelis ipsius piè, ac benevolè aquam præbuisset. geminorum intra vterum duellum sensit. effecit, vt Iacobus licet natu minor, præponeretur maiori.* Genes. 24.

## ENCOMION 17.

Auspicari præclarius nuptias non poteras tuas,
quàm, vt fecisti, pietate:
obtulisti amanter paranympho putei aquas,
obtulit ille tibi amabiles thalami faces.
quàm purum esses initura connubium,
omen ipsæ fecerunt aquæ.
tunc maximè tuus se prodidit pudor,
cum occurrens sponso faciem texisti pallio.
aperuisti pudicam mentem,
cum operuisti frontem.
non alias attulisti rosas, quàm genarum.
satis deinde cum viro tranquillè vixisti,
satis etiam tecum ipsa pacatè,
præter vnum gemellorum bellum,
scilicet vterus tibi cessit in campum:
inierunt illi certamen antequã prodirent in Solẽ;
Andabatas imitati oculis tectis.
cum inserti adhuc essent parenti,
conseruerunt manus.
demirata es intra tumentem vterum
magis tumescere sobolem ira.
visus est alter primò vicisse,
sed alterum tu postea fecisti victorem.
nouo more athletam docuisti certare,
non nudum, sed artificiosè pellitum.

IACO-

Digitized by Google

# IACOBVS

Isaaci filius.

Genes. 25. 37. Synop. *Duellum cum fratre iniit in matris vtero, cuius astu deinde ius primigeniū acquisiuit. luctatus est cum Deo. vidit scalarum gradus è terris in cœlum. in Iosephi filij somnio se agnouit Solem.*

## ENCOMION 18.

Quàm tu insignis fuisti bellator,
qui ab vtero auspicatus es pugnam,
de primogeniti iure cum fratre decertans?
cupido incessit partæ laureæ ante maternū partū,
primus prodire gestiebas in lucem,
vt ex tua sobole verum proderes lumen;
prior optabas oriri,
vt illum ederes,
qui appellatus est Oriens.
dum te frater egrediendo præuerteret,
pedis plantam tenuisti manu,
vt eum cautè subuerteres;
sed ipse sibi fuit postea fraudi,
cum ius natale fecit venale
iure vili lentis.
dum ille prædando moratur in siluis,
tibi pro præda obtigit hæreditas domi.
factus es arte materna asper, & hispidus,
vt lenires patrem.
& hoc mirum: vt ex progenie tua
ipsa oriretur Veritas,
inuolucro vestis vsus es ficto:
sed caruit ars mendacio,
nam quia vera vox fuit,
effinxisti vera, dum fingeres,

Indui-

Digitized by Google

Induisti vestem odore fragrantem,
ne corruptus viderere mendacio;
nonnisi odor facti manauit ad posteros,
industriam dixit fama, non dolum;
contracta tamen est ex simulatione simultas;
nam vbi primùm cognouit frater
asperitatem à te fictam,
mutatus est ipse in asperum verè;
sed coegerunt eum fieri lenem
exasperati, ni cederet, Cœlites:
cum tu irato inermis occurreres,
Imperatoris summi obuia nactus es castra;
auxiliares tibi copias suffecit cœlum,
ne officeret frater.
At quis tecum impunè consereret manus,
qui antagonistam superasti Deum?
habuisti etiam agonothetam Deum.
Felix pugna: tecum Deus descendit in puluerem,
cui mundities cordi.
sed decus collectum est inde, non sordes.
cessit locus in palæstram virtutis.
sensisti quidem tu te ictum,
sed Deus se victum;
claudicasti pede, sed attigisti metam.
excitatus est puluis in pugna,
vt noscerentur virtutis impressa vestigia.
non excurrisset de te fama tàm longè,
nisi tu claudicasses pede.
pugnasti vno pede compresso,
sed vtraque manu pressisti Deum.
tactus tuus est neruus,
sed neruosior visus es Deo.
exaruit femur, sed euiruit laurea.

Humi-

Digitized by Google

Humilior o factus es pede,
sed sustulisti palmam manu;
ambiguus gressu, sed certus oraculo.
Tunc tibi altius erecta mens fuit, & vigil,
cum iacuisti sopitus;
nunquam recubuisti mollius,
quàm cum in lapide;
deiecisti ceruices, sed sustulisti oculos:
nunquam hi tàm perspicaces fuere,
quàm cum somno clausi;
subduxisti eos humo, vt traduceres cœlo.
obiectæ tibi sunt sublimiter scalæ,
quibus aut tu gradum faceres ad Deum,
aut ad te se demitteret Deus,
stupuisti, cum tibi visus est scalis innixus,
cuius nutu nititur Mundus,
ne nutet instabilis.
vidisti susq; deq; commeantes Cœlites
nouæ cum terris agitare commercia.
sanxisti fœdus, sed sine sanguine,
vt consanguineum haberes hominem Deum;
meritò erectus est à te in titulum lapis,
meritò leni illitus oleo;
siquidem durus antea sceleri Deus
cœpit pietate molliri.
Sed quàm tu illustris dicendus es heros,
quem filius sibi videre visus est Solem,
producentem stellas?
obtectus semel es nube mœroris,
tunicæ obtentu cruentæ;
at non potuit diù cohærere
vmbra cum Sole,
nempè vmbratilis fuit nex illa, non vera.

RA-

Digitized by Google

# RACHELI

vxor Iacobi.

Synop. *Viri in eam amor ostenditur, cui pascenti gregem diutinus labor visus est breuior. simulacra patri eripuit in fuga. per Lunæ typum à Ioseph filio visa, vt Iacobus Solis, ex ipsius viri interpretatione.* Gen. 29. 6.

## ENCOMION 14.

Eximia tua species fecit,
vt Amor, qui ceteris imperat, seruiret.
ouis tibi nomen est, sed, te vt haberet vnam,
sponsus socero pauit multas.
vrgebatur æstu, vt acciperet tædas;
volucres visi sunt dies,
vt pennatum consequi amorem posset,
breuis est visa orbita Solis,
vt potiretur te Luna:
tali te specie filius vidit in somnis,
te matrem Lunam, vt genitorem Solem.
quid te nobilius, aut illustrius matre?
eum sortita filium,
cui se prona submittere visa sunt sidera;
attulisti viro pro dote pietatem.
furata parenti es Deos impios pie.
fecisti diuinitatis fures obnoxios furto.
cilicina illos pelle texisti,
vt asperè tractati vilescerent:
delusisti parentem, illusisti Dijs,
vt essent illi ludibrio.
hoc mirũ, quòd Lunæ, hoc est Lucinæ similis visa,
tamen obijsti parturiens:
nec tamen tibi quicquam siniſtri obtigit morte,
quia peperisti filium dexteræ.

# IOSEPHVS

filius Iacobi.

Synop. *Videt per ſpeciē ſuos iacentes ad pedes Solem, Lunam, Stellas, commendatur inſignis eius caſtimonia, itemq; pietas in fratres, quibus licet infeſtiſſimis vſus eſſet, tñ euectus ad Aegypti gubernacula vltrò pepercit.*

Gen. 37. 39

## ENCOMION 20.

Nihil te orbis terræ vidit illuſtrius;
immò tunc primùm eſt cognitum,
eſſe aliquid lucidum ſupra Solem:
ſcilicet ille ad tuos accidit pedes,
qui eſt aſtrorum caput.
mirum viſu Sol oblatus eſt tibi,
ſed vnà cum ſtellis;
imperium & diei es ſortitus, & noctis,
alterum Sol detulit, alterum Luna.
radios Sol ſibi detraxit ſuos,
vt te coronaret Regem;
conceſſit & quadrigas,
vt excurreres ad regni metam.
tempus erit, cum Oſiris Aegyptius,
qui Sol habebitur,
inobſcurabitur à te Aegypti dynaſta;
cum Iſis, eadem quæ Luna,
à te ſibi fracta dolebit cornua!
ſplendeſcit tibi gemmatis infulis caput,
ſed clarius, vbi Sol iacet, ſplendeſcunt pedes.
cum deſcendit, vt te coleret, Luna
erubuit coram caſto maculoſa.
quàm clara reliquiſti vitæ veſtigia?
nempe ijs pedibus impreſſa,
quos venerata ſunt ſidera.

Vidi-

Digitized by Google

Vidisti spicarum quoque manipulos
decumbere pronos ad tuum:
nimirum tibi cessit in segetem gloriæ
liuor ipse fraternus.
ipsius inuidiæ falce es vsus ad messem,
vt colligeres laudem.
cessit aristarum culmus
in honorum culmen, & cumulum.
hebetasti fratrum oculos somnio Solis,
extabuerunt macie, cum meministi frugum.
contexta tibi est à parente in argumentum amoris
polymita vestis, ac discolor,
sed fecit illos liuore decolores.
in ficca te defodêre cisterna,
sed hausisti tanquam à perenni fonte gloriam.
vbi induerunt feritatem,
tunicam cruore tinxerunt ferino,
quam remitterent patri.
dederuut te mercatoribus venum,
qui ferebant aromata:
accepit virtus omen datura fragrantiam
ex pudicitiæ fama.
sed vtrum admirabimur magis,
quòd extinxeris odij,
an quod amoris incendia?
scilicet te mulier fœdaret impura,
qui fulgore præieras Solem,
candore Lunam?
Cupidini tu cederes cæco,
cui se cœli oculi submiserant, astra?
frustra pallium mulier rapuit tuum,
nam vt in tunica mentita est bellua,
ita menda fuit in pallio lupa.

In venustate non fuit nota iniuriæ,
sed nitor gratiæ.
illum esse verum putasti decorem,
qui longè abesset à vitæ dedecore,
eam formam probasti, quæ sibi comparat
aliorum non flagitia, sed iudicia,
fraudi futura nulli, laudi sibi.
at vafra pellex, quæ misit retia,
indagine capta est sua;
quæ prædatrix laqueos sparsit,
suis hæsit vinculis:
scilicet incongruum erat tectis his laqueis
tuos indui pedes,
quos Sol luce vestierat.
eos sibi poscebant astra, non vincula:
tametsi Venus in sidere culta
non ad pedes, sed infra pedes iacuit
conculcata videlicet castè.
venalis es factus alienis,
sed seruile nesciuisti ingenium.
libenter es passus indumentum capi,
ne fieres ipse captiuus.
magis fœmineam exhorruisti manum
armillis, & annulis ornatam aureis,
quàm alij hostilem
catenas inijicientem ferreas.
non vidit hoc amens, quòd, cum te nudum feci
athletam strenuum fecit:
tunc maximè se ostendit victam,
cum tuas cepit exuuias.
stultè putauit posse se paruo pallio
obtegere magnum nefas.
triumphasti ornatius, cum nudatus es spolio.

Velut

Velut ex unguibus euasisti
fortior accipitre columba.
prætulisti carcerem thalamo, compedes iugo.
damnatus es tenebris, quia respuisti faces,
vinctus es, quia non victus.
sed tandem solutus à vinculis,
quia soluisti somnium.
quanquam exoratus antea à te pincerna
& oraculi oblitus erat, & pacti.
nempè vbi rediit ad cyathum Regis
dulci fortuna factus est ebrius.
at cum fuisti è carcere deductus ad aulam,
non famuli, sed Regis interpretatus es somnia.
tuum certè erat videre de somnijs,
qui tàm fueras vigil
in pudore seruando.
Magnum fuit, quòd Aegyptum temperasti clauo,
maius, quòd temperasti iræ,
tametsi iratum finxisti te fratribus,
sed vt acueres amorem.
simulasti furtum,
sed vt ipsorum raperes corda.
reddidisti pretium vnà cum fructibus
ijs, qui te fecere venalem.
cum in saccum minimi natu fratris
imposuisti craterem,
ostendisti te ebrium amore fraterno.
simulasti eo augurari te solitum,
qui verè inauguratus eras insignibus regni;
sceptrum ostentasti, non gladium.
vt fictum à fratribus chlamydis cruorem elueres,
non fictas reddidisti lacrymas:
agnouisti simul, & ignouisti.

IO.

Digitized by Google

# IOBVS

## Rex.

Synop. *Commendatur admirabilis eius constantia in ferendis rebus aduersis, itemq; lucta, & victoria parta de hoste tartareo, à quo lacessitus est. proferuntur, & perpenduntur nonnulla, quæ de se ipse commemorat.*

## ENCOMION. 21.

Ostentet audenter bellator hic vulnera;
cœli terræq; plaudente theatro,
vulnera dico non aliena, sed sua,
vnde manauit tanta vis gloriæ:
nulla pars corporis vacat honore victoriæ,
quia nulla vacauit labore pugnæ.
totus insculptus, totus inscriptus
triumphalibus superbit notis.
sed quid dignum tanto dicetur heroe,
qui præconem nactus est Deum
etiam apud hostem?
Dum filij maderent mero,
madebat ipse largiùs lacrymis.
dum illi ad mensam redolerent vnguentis,
adolebat hic ad aram cum victimis thura.
parùm pius sibi videbatur natorum parens,
nisi pro illis fieret & sacerdos.
probauit hunc hostis, sed probro suo.
vt in paratum descenderet campum,
sparsit ipse sibi puluerem.
eò admirabilior victoria, quòd à fauc io;
fortius pugnauit lacertis laceris.
prædati sunt hostes arantes boues,
non habuit ipse, quo excoleret terram,
at habuit, quo coleret Deum.

Quo

Quò incultius relictum est solum,
hòc ampliorem collegit laudum messem.
desijt arari tellus,
exaratus est ipse vulnerum sulcis.
vt litaret hecatombe maiore,
ignis è cœlo largè delapsus
omnes simul absumpsit oues,
in vnum cedente sacrificium
innumerabili grege.
ventorum agmen, quod marmoreas euertit ædes,
ne commouit quidem animum;
nulla vis turbinis florem virtutis infregit.
audito nuncio dirutæ aulæ, ipse surrexit;
insilijt in hostem, immò victor exilijt.
scidit quidem sibi purpuram,
sed vt generosum pateret pectus;
nudauit se, vt gymnico more pugnaret;
pro arena felicius sparsit cinerem.
cum naufragium fecisset bonorum,
quasi euasisset incolumis,
veteri more totondit caput.
diadema frontis abiecit,
at non regiam mentem:
desiit esse vittatus,
at nunquam viluit victus.
suffecit huic triumphi materiam hostis,
datum est ei luctam inire, sed sine luctu,
simul & declaratus est hostis,
& esse custos iussus est vitæ.
nempe noluit agonotheta Deus subtrahi sibi
tam iucundum athletæ spectaculum.
mirum dictu satelles ipse, & carnifex mortis
coactus est cauere, ne antagonista periret.

Quot

Quot infixit corpori tela,
tot aperuit ora per vulnera,
vt caneret hic Deo pœana victoriæ.
aggressus est sibi deradere saniem testa,
vt omen soliditatis faceret arte quæsitæ.
sponte se abiecit in simum,
vt maturior fieret gloriæ.
stercorauit agrum, vt nobilitaret fructu.
ad excolendum testaceis vsus est rastris,
vt posset esse vir frugi.
Coniux ipsum est conata peruertere,
vt quondam prima mortalium mater virum;
tametsi illa egit blanditijs,
hæc conuicijs:
illa pomis certauit, hæc probris.
sed illa infregit virum, quæ mollior,
non ista, quæ durior.
Iniit idem solus cum triumviris luctam,
immò cum tribus dynastis, ac regibus.
non huius vultum illi agnouere, sed mentem.
religiosior est hic inuentus in hara,
quàm alij apud aram.
immortalia tractauit in cinere,
cœli rationes descripsit in puluere,
de Arcturo, Hyadibus, & Orione locutus:
nusquam visus cœlo dignior, quàm in cœno;
vertit stabulum in Lyceum,
de sapientiæ philosophatus est pretio,
cum iacebat abiectus, ac vilis:
tum sapientissimus, cum habitus à coniuge stultus.
de auri glebis egit in luto,
de sapphiris in fimo:
nunquam ornatior, quàm cum squallore horridus.

Per

Per ſpiramenta tot vlcerum
maiores hauſit ſpiritus.
Hiſtoriam de ſe ſibi ipſe conſcripſit:
digna res calamo, calamitati non cedere.
intumuiſſe ſe dicit fletu, non faſtu,
oculos habuiſſe fœderatos;
cautè ab acie timuit bellum:
icit fœdus, ne caderet ictus
luminum iactu;
maluit illud ferire, quàm per hunc perire;
vt tutius poſſet pudorem tueri,
noluit vel pudicas intueri.
gemellam ait ſibi fuiſſe pietatem,
è matris vtero ſimul egreſſam:
ſcilicet ſimilis, vt ſit, ipſe vel ore, vel more,
quàm ſyncerè hic pius, cui pietas germana?
claudo pes fuit, oculus cæco;
obtulit vtrique pro bacillo ſceptrum.
lauit ſibi butyro pedes,
vt ad leniores accideret pauper.
cucurrerunt ipſi abundè per ſaxa
olei riui,
ne deficeret, quo ſe inungeret athletam.
nunquam tam ſerena exſplenduit mente,
quam cum audijt loquentem de turbine Deum;
nullum tunc timuit fulmen,
quia de Erebi victoria laureatus.
quàm contempſit, ac deluſit hic mortem,
cui tumulus ceſſit in nidulum?
cinerem ſuum dixit fore natalem
more phœnicis:
hòc admirabilior, quòd congeſſit in buſtum,
non odoramenta, ſed fimum.



Digitized by Google

Nunquam cucurrit hic celerior virtutis in stadio,
quàm cum compeditum habuit neruo pedem.
parum fuit, quòd tot damna, tot probra
tandem desierunt in decora,
nisi hæc etiam fuissent numerosiora, quàm illa:
nam (mirum) qui dictus est simplex, accepit duplũ;
sed geminata sunt bruta, non proles,
quia hæc non perierat more brutorum,
quam superstitem seruabat æternitas.
tres illi à calamitate natæ sunt filiæ;
nempe vt perpetuò ageret numini grates,
monitus est numero Gratiarum:
at indidit eis nomina pulchriora, quàm Græci:
vnam appellauit Diem;
scilicet vaticinatus erat verè, cum dixerat,
post tenebras sperare se lucem.
Sol igitur ipse dicendus, si Pater Diei;
desijt Iuppiter dici Diespiter;
quanquam præferendus heros hic Soli,
quia dedignatus est superstitiosè intueri Solem,
cum fastu lucis clarior fulget.
noluit erraticum oculis sequi, ne erraret mente.
indidit alteri filiæ nomen Casiæ
ab odorato frutice:
mira res; qui iacuerat graueolente sub fimo,
genuit ex se fragrantiam.
tertiæ nomen abundantiæ fuit, *Ex Io. interpret.*
appellata videlicet est Amaltheæ cornu,
nihil tamen in his fabulosè dictum
quale comminiscitur Græcia,
nisi quòd Stygius hostis victus, ac spretus
verè abijt in fabulam.

COL-

Digitized by Google

# COLLATIO EXTERORVM,

## QVI MOSI, IOSVAE, &c. fuere Synchroni.

MAgnam planè habent ambo hi duces inter se cognationem virtutis, & gloriæ. Moses elementis imperauit, Iosues cœlo. cum enim ille totũ hoc spatium, quod infra Lunam est, implesset prodigijs, siquidem aquæ sunt in sanguinem versæ; terra desedit, vt inuidos sumeret; ignis erupit, vt absumeret; aer aut in tenebras horruit, aut in grandinem sæuijt; cum, inquam, inferior hic Mundus Mosis imperio paruisset, exortus est Iosues, qui Soli quoque, Lunæq; hoc est astrorum principibus iura daret. Sentio me magnitudine rerum ab vtroque gestarum penè obrui; hæret admiratione defixus animus vnà cum Sole. Sed in tanta tamen triumphantium gloria, inter tot acclamationes, ac plausus, nullam iactare vocem quantumuis absonam, & inconditam, inurbanum videri potest, atque agreste. Scilicet nondum Roma Capitolium extruxerat, cum hi opimis spolijs incedebant onusti, ac pulcherrima suspendebant trophæa, quæ nulla consumeret vetustas. Ac nisi mihi esset propositum, nostros heroes cum ijs tantùm conferre, qui coæui fuerunt; ostenderem profectò vniuersis illis Romanorum triumphis, qui numerantur in fastis, longè illustriores, ac præclariores certè duos fuisse, quorum alterum Moses de Aegypto retulit tenebris inductis, alterum Iosues de Gabaonitis luce producta.



Digitized by Google

# AARONI Synchroni.

AAronem Mosis fratrem paullò natu maiorem inauguratum ritè hierarcham opportuno tempore diuina prouidentia protulit terris; scilicet tunc indigitamenta, ritus, ceremoniæ, ac hierurgiæ vero numini sunt instituræ, cum accipiebat incrementum superstitio. tunc è gemmato pectoris sacerdotalis logèo edi vera cœperunt oracula, cum varijs è cortinis vana cœperant responsa peti Deorum. Erat ea tempestate in primis nobile Themidis Deæ oraculum, quod omnium primum fuisse Orpheus cecinit. arbitrabantur ab illa bonam mentem inijci mortalibus, vt id peterent, quod fas esset; nam græcè fas θέμις dicitur. habuitq; delubrum in Bœotia apud Ciphisum amnem. ex ea porrò natâ δίκην εὐνομίαν, καὶ εἰρήνην, ait Pindarus. hoc est iustitiam, legem, & pacem. eandem (vt est apud Ammianum) in cubili, solioq; Iouis Viuifici collocabant, quòd fas esset euenta rerum, & quæ Græci themimena vocant, per ipsam præsentiscere; ab ipsa item effici, vt pacta, conuentionesq; præstarent, qui inijssent, Phornutus dixit. Themidis huius simulacrum afferri consueuit olim ijs, qui caussas agebant, apud quod sederent, ac verba facerent, vt innuerent non nisi quod fas esset, se decernere. quin etiam Senatum Deorum ab ea cogi dixit Aristides. ad huius igitur Deæ oraculum Aaronis, ac Mosis ætate vndique populi confluebant; accessit in primis Deucalion, qui tunc viuebat, vt Deam consuleret quid facto opus esset, vt hominũ genus, quod immenso diluuio vniuersæ Thessaliæ demersum, & extinctum putabat, restauraret. id autem responsũ tulisse dicitur, vt velatis capitibus vnà cum coniuge ossa matris post se iaceret: admiratus primò diu hæsisse, quippe id & erat factu difficillimum, cum omnia limo essent obducta, & verò videbatur impium, si maternum sepulchrum moneret, atque effoderet; tandem in mentem venit communem omnium matrem esse tellurem, saxa illius ossa. quod certè Themidis oraculum illis ipsis lapidibus

Themis.

Genebr.

Euseb.

appe-

appetendum erat, de quibus ineptè loquebatur; sed nimirum à lapideo simulacro alia magis idonea edi non poterant responsa quam saxea. præter autem istud saxorum pondus, nihil habuit oraculum illud nisi ridiculum, & leue. at opposuit Deus ea ætate Aaronis oraculum, quod è logèi lapidibus, sed pretiosis edebatur, vt esset veræ tantùm religioni pretium. atque illud quidem Themidis qui potuit incorruptum esse, & integrum, cum ipsa à Ioue corrupta fuisse dicatur? aut qua ratione poterat fas præcipere, quæ commiserat nefas? cum contra Aaronis oraculo nihil esset integrius, quod certè candida ipsius Pontificis byssus significabat. Iam ad hoc Themidis accessit alterum etiam Aaronis ætate, Delphici videlicet Apollinis oraculum; nam Cecrops, qui proculdubio Aaroni, ac Mosi coæuus fuit, cum Athenarum vrbem condidisset, antequam illi inderet nomen, cum fortè in arce enata esset olea, misit eò legatos sciscitatum, quid arbor illa portenderet? responsum verò fuisse aiũt, oleã Mineruæ propriã esse, proinde vrbi imponeret nomen ipsius Mineruæ, quæ græcè Ἀθήνη dicitur. Itaque eodem tempore, quo profana illa, & impia celebrabantur oracula, Deus instituit, atque opposuit sua, cũ in logèo pontificio, tum inter aureas alitum cælestium pennas, quæ legis armarium inumbrabant, vnde tanquam è solio ius dicebat: nihil autem hic erat ambagibus implicatum, quod irretiret mentes. loxias dictus est Apollo is, quem Delphis consuluit Cecrops, hoc est obliquus, quippe nihil inde erui poterat certi, vt ita & consulentibus imponeret, & argui non posset, si falleret euentu: contra verò quæ ex Aaronis pectore edebantur oracula, non potuerunt esse non clara; ferunt enim sacrificij tempore intermicantibus gemmis & inusitato splendore radiantibus diuinitùs edi solita. Præter hæc sunt qui putant, hac ipsa ætate à communi hoste religionis æmulo duo monstrata fuisse oracula in duabus columbis ex Aegypto prouolantibus, Hammoniũ scilicet in Libya, & Dodonæũ in Græcia, quæ proinde vetustissima omnium dicit Herodotus. nam et Hammonis vocabulum factum videtur ab Ham siue Chã Noæ filio, & Dodanis nomen in sacræ geneseos habetur libro.

Apollo Delphicus.

*Iosephus.*

Hãmon Dodona. *Genebr.*

libro. ita, qua tempestate Deus religionem in Abrahæ familia, ac gente proseminabat, hostis superstitionem alijs nationibus inserebat. adeò duobus Hebraicorum oraculorũ generibus illa respondérunt, quorum vnum erat in Logèo pontificis mutum, perinde ac Hammonium, alterũ æquè ac Dodonæum, vocale è viua vel Dei, vel Vatum voce: vt enim veram religionem oppugnaret, & quasi recens exaggeratos eius muros arietaret in terram, arietinis se cornibus effinxit Iuppiter Hammonius; & cum accipitris more de mortalibus hostis ageret prædam, per columbam tamẽ responsa dedit: quanquam è collo, vnde dabantur, fictis fucato coloribus, vt fit in columba Sole aduerso, vanitas oraculi satis intelligi poterat. Aaron verò cum victimas mactabat vt pontifex, arietem maximè, tum Hammonium *Leuit.* Iouem quodammodo iugulabat; & cum columbas retorto collo plumis euulsis, & fractis alis aræ imponebat, tunc de Dodonæ columbis garrientibus pœnas sumere videbatur. Opportunè etiam eodem ferè tempore, quo excolebãt *Genebr.* Telmisei diuinationem Telmisei quidem ex insomnijs, Cares ex Cares. astris Phryges, & Isaurij ex auium volatu, Cyprij ex ani- Phryges. malium fibris, opposuit his Aaron cerimonias, ac ritus di- Cyprij. uinitus acceptos. quamobrem non immeritò quasi superstitionem vbique gentium regnantem superasset religione sacrorum, pro triumphali trabea ipsum induit Mundũ. *Euseb.* Viuebant autem adhuc Aaronis, ac Mosis ætate Prome- Prometheus, & Atlas fratres, quorum alter homines effinxisse di- theus. citur, alter humeris cœlum sustinuisse: atqui Moses hoc Atlas. maximè sibi sumpsit, vt rudes Hebræorum mentes sacris institutis, ac legibus informaret, melius quã Prometheus; Aaron verò non cœlestes modò orbes, vt Atlas, sed Mundum vniuersum in sacro indumento gestabat; atque in humeris quidem lapides duo ex Sardonice gemma fulgebãt, quibus duo significabantur hemisphæria; quorum lapidum is, quem dexter ferebat humerus, inter ipsa sacra diuinitùs instar astri clarissimi exsplenduisse dicitur. ita sub idem tempus duo floruerunt Atlantes, alter inclytus fabulis, alter veritate factorum.

MOSI

# MOSI
## Synchroni.

MOses magnus ille nomothetes, atque Hebræi populi ductor eo tempore natus est, quo eam gentem immanissimus Aegypti rex Amenophris (Pausanias Phamanophrim appellat) intolerandæ seruitutis iugo premebat; & vt durior esset calamitas, duratis igni lateribus exercebat. Sed illud monstro simile, quòd vt grauior esset labor, colligendis laborare iussit in paleis. vt autè robustior esset impietas, sæuiebat in mares. non satis erat ferro, quasi falce amputare gentem, nisi euelleret radices ipsas, ac fibras, quibus niteretur. at quis tandem hic tam crudelis, & ferreus Amenophris? nempe is, qui se Memnonem esse dicebat, & Auroræ filium; qui cum ad periti sculptoris operam præstigias addidisset, simulacrum habuit huiusmodi. E nigro lapide id erat, scilicet quòd atratos nece liberorum faceret Hebræos; quanquam Zezes instar columnæ fuisse dicit lapidem cum vocalem rubri coloris, ad omen videlicet cædis. potuit autem aut non vnum tantùm, aut non vnius formæ monumentum fabricari magicum: sed ei columnæ oppositæ postea fuit illa Hebræorum longè præclarior, quæ igni explendescebat, dux salutis, non machinatrix exitij. illud verò alterum simulacrum, quòd Memnonem referebat, atque hunc Aegypti regem, Aethiopi simile impubis iuuenis specie erat effictum, cum tamen in florentem maximè sæuiret ætatem, hoc est in infantes. exoriente autem Sole, ac simulacrum radijs attingente, repente eius oculi hilares apparere, os licet marmoreum, in molles cantus erumpere, ac sonum edere quasi lyræ, vel citharæ. id malis artibus factum nemo negauerit, qui Iuuenalem legerit appellantem magicas Memnonis chordas, præsertim cum Magis, ac præstigiatoribus abundaret Aegyptus. at quid in eo concentu tam absonum, & absurdum, quam vt is qui dulce melos edebat in marmore, libenter audiret miseros matrum gemitus, & eiulatus? & qui nascentem Solem gratulabundus salutabat, oriperet recens natis

*l.*

*Euseb.* Memnõ.

*Chiliad. 6.*

natis infantibus primæ lucis vsuram? denique vt qui se Auroræ filium dicebat, delectaretur non rore, sed lacrymis? dedit hoc simulacrum magicum diu responsa, quibus ca-
Hieron. peret mortales blando illo cantu delinitos, sed oriente vero Sole, hoc est liberatore nostro, ac vindice salutis, is qui ad Solis exortum canere solebat, obmutuit: scilicet vbi ad illius cunas lyristæ cœlestes, ac citharœdi, ceteriq; symphoniaci vnà cum pastorum fistulis auditi sunt, euanuerunt omnes illæ præstigiæ, magiciq; concentus. Hoc igitur Amenophri, siue Memnone in Aegypto regnante ortus est Moses, sed eius filiæ gratior fuit huius vagitus in scirpeis cunis, quàm patris cantus in magico marmore. iucunda est, quanquam non ignota rei gestæ commemoratio: nam cum contra immane regis edictum obstetrices Mosi recèn nato beneficæ pepercissent, mater eum tres ferè menses clã in penetralibus domus aluit; tandẽ metus incessit, ne si vagitu puer se proderet suo, cum tota familia ad suppliciũ traheretur. itaque eius vitam numinis prouidentię, pietatiq; committit; simulque ipsũ viminea cista bitumine oblita includit, ac proxima Nili alluuione deponit. vehebatur secũdo fluuio fatale superstitioni onus, atque adeo ipsi fluuio, quem videlicet postea reddidit virga cruentum. tum regis filia, quæ fortè cum æqualibus multis circa Nili ripam puellari lasciuia errabat, alueum conspicata, vt est humanus animus auidus scrutandi, si qua in occulto sint, iubet cistulam apprehendi, puerumq; intuita omni lepore affluẽtem, plausu gestiens in vlnis excipit, fouet, eblanditur, tum indigenæ mulieris mammis admouet; at eam puer alimoniam omninò repudiat, & velut aliena fastidit vbera. hic Mosis soror Maria quasi diuersum negotium agens, ceterùm occultè à parentibus ad id submissa, vt totius rei exploraret exitum, monet regis filiam, vti tribuli fœminæ alendum tradat, quòd infans sit peregrini sanguinis: annuit illa, atque hæc statim accurrens ad matrem rem nunciat: eam vbi filius agnouit, arripit auidè vbera, ac materno lacte in regia nutritur; quem cum in delicijs haberet regis filia; ferunt blandimenti, ac ludi gratia aliquando illum pueri caput paterno diademate ornasse, puerum verò

regium

Digitized by Google

regium insigne teneris manibus arreptum humi affixisse, ac pedibus proculcasse, præsertim cum falsorum Deorum imaginibus (vt aiunt) esset ornatum, aut potius fœdatum. id verò prorsus ominosum visum est ijs, qui aderant; ac fatidicus quidam Sacerdos, & fanaticus temperare non potuit, quin regem fatorum admoneret, apertaq; prædicatione affirmaret, videri sibi fore, vt puer is Aegyptijs cladem inferret, ac Dijs illuderet; proinde ne illum in publicæ pestem, exitiumq; aleret, immò extingueret potius, ac de medio statim tolleret; ad hæc Deorum, hominumq; testatur fidem. penè iterum maternis vberibus subtractus est puer, penè iugulatus, nisi indulgentia regis in filiam, quæ ætatis excusationem obtendebat, præualuisset: sed nimirum noluit Moses aptare fronti coronam auro, ac gemmis illuminatam, ne inde potius, quàm ex congressione cum Deo radiatæ fronti splendorem accersiuisse videretur. Iam ille inter Aegyptiacas disciplinas, & regias opes enutritus adoleuerat, cum fastidire cœpit aulam, nempè ad rerum præclarissimarum molitiones à numine præstitutus: itaque in desertum locum se abdit, abijcit purpuram, induit meloten, fit ouium pastor antequam populorum. Interea obuersatur oculis mirum ostentum virentis rubi, quem citra omnem foliorum cladem innoxia comprehenderat flamma; ac benè de suæ gentis reditu sperare iussus, prodigijs ad id cónfirmatur, quæ quasi prolusio fuit: nam pastoralis baculus repente conuolutus in spiras anguem induit, tum violentus, ac tumidus linguas in ipsum vibrat, ac ceruicè ex aduerso iubatam tollit, mox horribili illa specie vltro remittente baculus pristinam recipit formam. manus ad hæc sinu exerta inficitur, atque obducitur lepra. postremò aqua humi affusa rubescit in cruorem, quo tamen ferali ostento, ac mortis imagine animatus ipse potius est ad rem strenuè gerendam. omitto cetera multa, atque præclara; volui tantùm auspicia rerum gerendarum commemorare. Porrò Moses non insignis solum fuit virga, sed calamo: aggressus est enim Mundum ipsum è tenebris obliuionis extrahere, eiusq; cunabula deducere ad adultam vsque velut ætatem; vt opifex tantæ molis, & architectus obscurus

*Abul.*



Digitized by Google

*Euseb.* Cecrops. vulgo, immò etiam ijs, qui se sapientes haberi volebant, agnitus coleretur. Regnabat ea tempestate Cecrops is, qui Athenas condidit, hoc est illam omnium bonarum artiū, vt Græci iactabant, inuentricem vrbem, philosophorum, & oratorum matrem, & poetarum alumnam, vnde humanitas, doctrina, iura, leges, ac nō frugalitas modò, sed fruges ortæ dicebantur, atque in ceteras terras distributæ; de cuius vrbis possessione propter pulchritudinem inter Deos ipsos certamen proditum est; quæ auctoritate tanta fuit, vt etiam posteaquam fractum est, ac debilitatum Græciæ nomen, eius vnius vrbis gloria niteretur: domicilium igitur sapientiæ parabatur eodem tempore, quo Moses vir sapiētissimus viuebat in terris, & si alibi quàm Athenis degeret, atqui in Græcia non fuit indigena sapientia, sed aduena: quippe ab Abrahamo, ac deindeā Mose edocti Aegyptij, atque Phœnices Græcos erudierunt. nam Cecrops ipse cōditor Athenarum ideò biformis est dictus, quòd Aegyptiā, & Græcam linguā optimè calleret; tametsi id ipsum alij eò quoque referant, quòd connubij leges sanxerit, & certum virum cum vxore coniunxerit, cum vagaretur antea libido, & ignori essent genitores, nothi filij. ac Moses quidē non modò adulterio proposuit pœnas, etiam diuinitùs infligendas; sed vt certior esset torus, suis quæque connubia tribubus definiuit. de sapientia verò quid dicam? cum sacræ ipsæ literæ testentur fuisse eruditum omni doctrina Aegyptiorum: ipsum autem adeò admiratus, & æmulatus est Plato, vt Numenius Pythagoricus dixerit, nihil aliud esse Platonem, quàm Mosen Atticum, eiusdemq; doctrinam in multis secutum esse Pythagoram, & cunctas Græciæ disciplinas à Syria, & Aegypto manasse; qua de causa fortasse Clearchus peripateticus scripsit, Aristotelem fuisse Iudæum; ac Demetrius Phalereus etiam ipse peripateticus Alexandrinam bibliothecam non satis instructam putauit, quòd videlicet Hebræorum libris, hoc est omnis sapientiæ fonte, atq; principio careret. Ceterum quod ad religionem attinet, vide quàm fuerit oppositus Cecropi Moses; nam ille primus fuisse dicitur, qui in Græcia simulacrorum cultū instituit; Iouem indigitauit, aras extruxit, atque delubra, immo-

Digitized by Google

mmolari victimas iussit, denique omni superstitionum genere eam imbuit gentem; cum interea Moses totus esset in veri Dei cultu decernendo, & sacris institutis, legibus, ritibusq; condendis: in primis verò augustum illud extruxit tentorium, quasi vnà cum Hebrœorum gente, vel peregrinantis, vel militantis Dei, simul cum oraculi cortina, & penetrali sacrario: idq; opportuno planè tempore factum, quippe tunc diuersis in locis extruebantur fana Deorum, nonmodo à Cecrope, sed ab eius filio superstitionis hęrede Erisisthone, præsertim Apollinis Delij; in cuius limine *Euseb.* scriptos fuisse narrant versus, quibus edocerẽtur homines, qua herbarum compositione aduersus omnia venena vti deberent, cum interim impietatis veneno mortalium mẽtes multò perniciosius inficerentur. sed Stygio veteratori fraus postea constitit multo: nam cum Menophanes Mithridaticæ classis præfectus Delum euertisset, expilatis donarijs, & Delijs in seruitutem adductis, barbarus quidam ex eius exercitu ligneum Apollinis ipsius simulacrum in pelagus misit, quod diu post è naufragio eiectum, fluctibusq; iactatum ad Peloponnesi littora iacuit: mari videlicet opus fuit, vt tanta superstitionis labes eluereturꝰ opportunè igitur Mosis vera religio, qui ab vndis impunè euaserat, se opposuit impietati. Huc etiam facit, quod non multò post natum Mosen Epidaurus est condita, ea scilicet Epidaurus. vrbs, quæ ἄιμπρα à Græcis dicta est, hoc est cruenta, quòd ibi Aesculapij ara esset, quæ plurimarum victimarum sanguine redũdaret; αἷμα enim cruor est, eademque μειλίσσια *Euseb.* dicta, nã μειλίσσειν sacrificare est. in quo illud quoque animaduertendum, opportunè satis tũc Mosen editum terris, quippe qui vim diuinitus accepit in edomandis virga pręstigiatorum anguibus: siquidem Epidauri in Aesculapij templo anguis est cultus; qui vt latiùs venena diffunderet, ea vrbe non contentus, postea, vti suo loco dicemus, in Romanam, quæ arx erat omnium gentium, quò nationes omnigenæ confluebant, transferri voluit. Adulto verò iam Mosè Memphis exædificata est Aegypti metropolis, nec Mẽphis. minus superstitionum, quàm regum sedes ibi operosæ illæ fuere pyramides, obeliscí, mausolea, & principum busta,



Digitized by Google

ibi natio solita plãgere Memphiten bouem, hoc est Apim illum, quem tanquam amissum primò lugebant, deinde repertum magna cum lætitia, & gratulatione recipiebant: at Moses interea in arcæ, sacriq; tentorij fabricationem sedulò incumbebat, vbi verus Mundi opifex coleretur; atque id maximè nitebatur, vt Apis illius cornua infringeret, & comminueret. Vixit & Mosis tempore Hercules cognomento Desinas (multos enim huius nominis extitisse constat) atque in Phœnice clarus habebatur; à Cappadocibus, & Eliſienſibus ad Euſebij vsque tempora Desinaus dictus; at ea, quæ Moses gessit, admiranda prorsus, & plena prodigiorum eiusmodi fuerunt, vt Herculis facta, pueriles ineptiæ, ludiq; videantur. Arcas item ex Callistone Lycaonis regis filia ortus in Mosis tempora incidit. is aduersus Pelasgos sumptis armis Arcadicam, cui nomen dedit, regionem ditioni suæ subiecit. eum vnà cum matre in cœlum postea sublatum ferunt, atque inter sidera collocatum: & Callistonem quidem maiorem vrsam Astrologi vocant, Arcadem verò minorem, ambas nauigantium duces; sitæ autem ita in Cœlo sunt, vt nunquam mari mergi videantur: sed obruuntur hæ magnæ præclaris Mosis factis, qui in illa de Aegypto fuga non modò in rubro mari mersus ipse non est, sed effecit, vt tantus exercitus vnda, prodigiosè suspensa ne maderet quidem; secutus scilicet certiorem ducem, quàm claros septemtriones, eum inquã, cui tempora diuinitùs radiabant: qua in re visus est Moses cum Apolline ipso de splendore contendere, quippe Apollo, vt diximus, non ille quidem, cuius consulebantur oracula, sed alter, qui Latonæ filius fuit, ac pauit Admeti gregem, ad Mosis tempora refertur: ambo pastoritiam aliquando vitam complexi sunt, sed alteri probro fuit, quia coactus seruiuit; alteri gloriæ, quia præluſit imperio, didicitq, esse populorum pastor; ille verò, quem hic præferebat vultus splendor, nec nube obtegi potuit, nec nocte obrui. Areopagus etiam Mosis tempore institutus est in Græcia, vbi Mars, qui dicitur Ἄρης, homicidij crimine reus factus iudicantibus duodecim Dijs cauſſam dixit. cautum verò est, ne eum, cui diem dixerant, sub Sole iudicarent. resagebatur

*Euſeb.* Hercul. Desinas. Arcas. *Euſeb.* Apollo. Areopagus.

Digitized by Google

batur in tenebris, vt occulta facti veritas prodiret in lucẽ; sed quantò integrior in iudicando fuit conuentus ille seniorum, quem eodem ferè tempore instituit Moses? quibus etiam nonnihil impertijt eius afflatus, quo diuinitus ipse concitabatur. hoc certè cum Areopagitis Moses commune non habuit, quod in tenebris iudicia exercere non potuit, cum radiata fronte fulgeret, quo facilius occulta quæque ipsi patebant. Præter hæc ad Mosis quoque ætatem refert Eusebius initium Troiani regni, cuius conditor Dardanus, quod seminarium quoddam fuit discordiarum, atque bellorum; & propter incestas thalami faces receptaculum flammæ. accepit eius regni sceptrum Dardanus ijs manibus, quæ recens manabant fratris sanguine: nam cum de hereditario iure in contentionem cum Iasio fratre venisset, ipsum interemit; tùm veritus procerum, & populi vindictam conscensa naui in Samothraciam appulit, & inde abiens eam Asiæ partem, quæ Hellespontum tangit, obtinuit, ibiq; condidit Dardaniam, quæ deinde à Troe nepote dicta est Troia. neque verò alium exitum sortiri poterat, nisi vt incenderetur vrbs, quę cõdita erat ab eo, qui fraternis odijs exarserat; cum interim Moses Aaroni fratri ita coniunctus esset ad commune commodum, & salutem, vt ad hanc conspirarent ambo; atque ille quidem ducem ageret, hic pontificem; vsi autem sunt virga quasi sceptro ac potestatis insigni, qua non minus Naturæ, quàm populis imperarent. Inter hæc igitur duorum regnorum initia, Athenienſis à Cecrope, Troiani à Dardano, quæ regna nõ minus Deorum, vt aiunt, quam hominum dissidijs corruerunt, interiectus Moses aluit suam gentem veri Dei cultricem, & progenituram ex Virgine Deum: eamq; gentem & religione auxit, & robore. Quòd si primùm illud Assyriorũ imperium spectes, vixit Moses sub Sparteto rege, quo regnante, vt narrat is qui Berosi nomine circumfertur, miranda in orbe terrarum contigerunt. quid autem admirabilius, quàm ipse Moses, contigerit, non video. nam hic non modò admirabilem se præstitit mortalibus, sed ipsi Naturæ: quippe per ignei rubi ostentum excitatus exarsit in impietatem. à Deo in Aegyptum delegatus ad regem consti-

Dardan.

*Berosus.*

Sparte-tus.

cõstitutus est ipse regis Deus; thaumaturgus huiusmodi, vt prodigijs inusitatis, ac maximis attonitos fecerit Aegyptios, peruicaces afflixerit, ac prope deleuerit; quà cinere, quà grandine, quà sanguine impleuerit omnia: discidit maria, suspensos tenuit fluctus, ac sicco vestigio permeauit. huic similes percussi non ignem protulere, sed fontes; huic cœlum se soluit in nectar oppassa interdiu nubes fecit vmbraculum; ignea columna pro Cynosura fuit, & Helice: neque enim dignabatur ea gens, quæ æquiparata fuerat stellis cœli, astra sequi; nacta ducem viæ nõ naturæ ministerio, sed diuinitùs datam. Iam inter illa; quæ Sparteto regnante, & Mose viuente miranda contigerunt, Deucalionæum diluuium in Thessalia ponitur, & in altera parte incendium; sed facto accessit fabula, lapides à Deucalione iactos in homines versos; quippe reliquias ipse naufragij collegit; & rudes, incultosq; populos humanioribus instit: tutis, ac moribus informauit. quid Moses? non modò incolumis enatauit è fluctibus, in quos recens natus fuerat abiectus, sed gentem quoque suam licet mente præfracta obfirmatam, à qua aliquando penè lapidibus est oppressus, per Erythreum mare miro modo traductam mansuetudine, ac pietate ad humanitatem adducere, ac diuino cultu excolere certè conatus est. porrò eodem ferè tempore, quo hæc eluuio contigit, in alia item Thessaliæ parte post terræmotum subsecutum est incendium, quod alterum fuit ab illo, quod excitatum diximus Abrahamo viuente in Italia circa Istros, Cymeos, & Vesuuium. sed illa è naturalibus orta caussis plus habuerunt incommodi apud incolas, quàm admirationis apud Sapientes; hæc verò, quæ cum in aquis, tum in igne Mosi contigerunt, sunt omnia plena prodigij; Nilus videlicet in sanguinem versus, mare diuisum stantibus primò fluctibus, mox in gurgitem relabentibus accessit & horribile illud ignis supplicium, quo diuinitus consumpti sunt ij, qui in Mosen, incensi ferebantur, vel ira, vel inuidia, tellure ipsa dehiscente, & absorbente viuentes, flamma quoque inde erumpente vindice sceleris, his, ac ceteris prodigijs ingentibus Moses id assecutus est, vt digitus diceretur Dei. diuina enim hæc vigesta sunt, non astrorum,

inep-

Digitized by Google

ineptissimè enim dictum est à nonnullis astronomis, leges à Moſe fuisse traditas sub Cassiopeæ imagine in piscium signo tanquam doceret è cathedra, vt Cassiopea fingitur, & potestatem in aquis exerceret: ita illi eius disciplinæ hamo vafrè capiunt mentes.

## *MARIAE SORORI MOSIS, & huius Obstetricibus, Synchroni.*

MAria maximorum heroum soror, Aaronis, ac Moſis, quanquam ipsa paullò maior natu, hoc tamen loco de se dici libenter patitur. opportunè quidem satis, & accomodatè exorta prior est, vt infantem fratrem ad Nili vndas abiectum à morte seruaret. ferè æqualis ipsa fuisse dicitur Asiæ nobilissimæ illi matronæ, à qua vna pars orbis terræ nomen accepit. eam Græci in omnibus ludere soliti, Oceani, ac Tethyos filiam fecere, vt ampliſſimis scilicet finibus ipsius famam circumscriberent: atqui in Mariam ex aquis multò plus gloriæ redundauit, siue cum tanta cum industria simul, ac pietate effecit, vt regis filia fratrem extractum ab aquis non alij nutrici alendum traderet, præterquam matri; siue cum demersis Aegyptijs hostibus rubro mari pulcherrimum cecinit epinicion, ac mulierum instituit chorum, non vt circumforaneæ psaltriæ more colluderet, sed vt & impio illuderet hosti, & victoriæ auctorem Deum pro beneficij magnitudine commendaret. nunquam Asia tot, tamq; opimis, ac magnificis spolijs Romanos duces ornauit, quos etiam Asiatici nomine cohonestauit, quot, & quantis Aegyptiorum exuuijs Maria diuitem, & onustum fratrem vidit; quem laureatum ita complexa est, vt sibi quoque vendicare posset laurum, quia prophetis. Ad ipsius quoque Mariæ tempora spectat Apollinis soror Diana. nam, vti dictum est, Apollo Latonæ filius in Moſis ætatem incidit: quemadmodum igitur hic Apollinem, ita illa Dianam splendore superauit. oppoſuit, vt

Asia. *Bergom.*

Diana. *Euſeb.*

fit,

Digitized by Google

fit, aliquando hæc se Luna Soli, cum de vxore Aethiopica, cui se Moses coniugio iunxerat, est orta dissensio; atque vt in Luna quædam quasi macula apparet, ita Maria ob illud iurgium semel facta est maculosa per lepram, sed quam facilè fraterna pietate eluit: ceterum vt Luna choros ducit astrorum, ita hæc mulierum duxit in fratris triumpho.

Porrò cum Maria, quæ fratrem Mosen seruauit, cognationem quandam pietatis habent obstetrices, non immeritò in sacra historia laudatæ. eæ fuerunt Sephora, & Phua, quę neglecto impij regis edicto, quo iubebātur prodeuntes mulierum Hebræarum partus opprimere, ac necare, Mosi pepercerunt. inciderunt hæ satis accommodatè in idem

Lucina. ferè tempus, quo Lucina in terris numinis loco haberi cœpit, & illo ipso munere obstetricis fungi. nam hæc, vt aiunt, Apollinem è Latonæ vtero extraxit, qui Apollo synchronus Mosi fuit: at quantò clariùs harum obstetricum pietas fulsit, quàm ipsa vel in cœlo Lucina? enim verò meruerunt, vt maturo postea tempore non æquarent, sed præponerentur Lucinæ siue Lunæ, quam nunc de altissimo

S. Greg. cœli domicilio, ac sede pro beneficio ipsis exædificata, infra se despiciunt.

## IOSVAE
### Synchroni.

IOsues magni liberatoris nostri præferens nomen, vel hoc hosti formidolosus fuit, & naturæ ipsi verendus. Reges triginta, & amplius bello subegit. Regum ipsorum capita cum diademate aureo, gemmisq; distincto pedibus subiecit, & conculcauit. Regum manus gestare sceptrum solitas confixit cruci. vrbes trecentas, & octoginta cepit. Barbaros innumerabiles immensa cum strage deleuit. eo in aciem prodeunte armatæ bellatorum myriades primò expalluerunt metu, mox rubuerunt cæde; cœlo ipso coniurante in hostem, & immaniter grandinem instar lapidis iaciente. eius imperio flumina recurrerunt in caput, vt viam militi sternerent. communem Martem fecit sibi

pro-

Digitized by Google

proprium martialis ipse; & quodammodo victoriæ incidit alas, ne à se auolaret. Non est mihi propositum præclarissimi huius ducis facta omnia narratione, aut laudatione complecti; illud tamen tacitè abire non potest, quod videlicet gestum est clangentibus tubis, nec sine magno fragore ruentis oppidi Hierecuntis. vbi tunc bellica tormenta, quæ postea militaris disciplinæ magistra Roma vsurpauit, testudines, arietes, baliſtæ, vineæ, plutei, ceteræq; machinæ? vt omittam recès inuentum, fulmina pilarum, quasi ludente sæuitia in alea vitæ. nihil horum adhibitum. satis fuit indicere bellum tuba, vt caperetur oppidum, nec iam per portas, sed per ruinas murorum triumphalis pompa duceretur. atque hæc victoria parta est commota tellure, ac cessit altera immoto cœlo. Instruxerat dux fortissimus apud Gabaonitas aciem. statim sub primum congressum terror ingens iniectus hosti; secuta trepidatio, & fuga; disiecti, incensiq; currus. horribili cæde, ac strage sæuitum. hic Iosues, siue Iesus, vt ante noctem profligaretur bellū, fiducia numinis, & augusti nominis appellatione fretus nō dubitauit imperare cœlo, in duplum producto die, & Sole, Lunaq; stare iussis. Ad hæc quinque Reges, qui se in altæ speluncæ latebras penitùs abdiderant, inde extractos cum superbissimas eorū ceruices calcādas militū pedibus subiecisset, pro solio adegit in crucē; & pro gēmis, & vnionibus aceruo lapidū obruit. ita Iosues clarus euasit non modò à Sole, cuius lucē produxit ad pugnā, sed à spelūcæ tenebris, vnde reges eduxit ad necē. Tam amplā ille materiam sufficiebat historiæ, cum opportunè sub idem tempus exortus est Cadmus, qui characteres condidit græcos, sicut Phœnix frater eius phœnicios: nempe æmulati sunt ambo vicinorum Hebræorum literas, & nomina, vt ait Euptolemus; quò videlicet habere posset Iosues rerum à se præclarè gestarū non vnius idiomatis laudes. Cadmus igitur hac ætate in Græciam traijciens sexdecim intulit notas, quibus Palamedes sex alias addidit. ijs exculta est rerum cognitio, cum antea philosophia, resq; ciuiles per fabulosas tantùm narrationes in manus posteris traderentur. primus item Cadmus apud suos historiam soluta oratione contexere

*Euseb.*
*Genebr.*
Cadmus.



Digitized by Google

est aggressus vnà cum fratre Phœnice: ita rebus nouis, & inusitatis à nostro duce admirabiliter gestis nouæ literaturæ facta est accessio. ac certè si rectè Græcorũ diiudicasset historia, nancisci nõ poterat maiora, ac digniora, quæ scribi, & mandari literis deberent, quàm ea, quæ Iosues gessit: an verò materies vlla inueniretur illustrior, quàm quæ Solem ipsum obtemperantem heminis voci contineret? sed nimirum tanti prodigij splendor perstrinxit aciem hebetiorem Græciæ. quod si facta ipsa Cadmi regis (regnauit enim Thebis Bœotiæ à se conditis) cum Iosuæ factis comparemus, vtrum dignius literarum monumentis dicemus, huiusnè, cum Hierecuntinam vrbem destruxit, & *Paus.* muros solo tubarum sonitu euertit, an illius cum Thebanã Amphionicæ lyræ cantu extruxit? nam illud ab Amphione vel magicis artibus effectum est, vt nonnulli putant, saxis ad substructionem murorum decurrentibus, vel de rudium hominum duritie eloquentiæ vi ad mansuetudinem informata intelligi debet; hoc autem de mœnibus Hierecuntinis sacrorum lituorum sono deiectis iccirco à veritate non abhorret, quia diuinitus factum: itaque extructorum per fides murorum vacillat, ac labat fides, destructorũ verò, euersorumq; firma consistit. At enim Cadmi fortitudo laudatur, quòd infestissimum quendam regno latronem de medio sustulerit, & insurgentes in vltionem eius asseclas profligauerit; quæ res fabulæ locum dedit de interfecto à Cadmo draconе, eiusque dentibus satis, vnde armati extiterint viri, qui tandém & ipsi ferro ceciderint. Iosues certè cum ijs hostibus conflixit, qui & furoris, & impietatis veneno tumebant, de quibus stragem edidit maximam. porrò Harmoniæ coniunctus dicitur coniugio Cadmus, sed id multò gratius præstitit Iosues concentu virtutum: ferunt in Harmoniæ, Cadmiq; nuptijs Deos ipsos relicto cœlo interfuisse, ac certasse muneribus, Apolline interim cum cithara epithalamium concinente; at quantò virilior ille tubarum cantus à Iosue adhibitus, quo hostiles muri funditùs corruerunt: Iam præter Thebas in Bœotia *Busiris.* à Cadmo ædificatas, alteræ quoque Thebæ à Busiride in Aegypto etiam sub ipsa Iosuæ tempora conditæ dicuntur.

hæc

hæc vrbs Heliopolis vocata est, hoc est Ciuitas Solis; cuius ciues, vt ait Herodotus, omnium Aegyptiorum sapientissimi habebantur, & doctrinæ luce clarissimi; sed vtrum illustrius? indere nè ciuitati Solis nomen, an ipsi imperare Soli, & tantisper, quandiu voluit, eripere planetæ nomen, hoc est errantis? at quis Heliopolim cõdidit? Busiris, nempe is inter cetera huius ætatis monstra se obtulit terris; illaudatus hic à summo poeta dicitur, qui fuit indignissimus laude: scilicet ostentauit græcus rhetor in eo laudando acumen styli, quo potius in confodiendo vti debuit; armabat enim Busiris aciem gladij in hospites, vt in hostes; at Isocrates in eum lepores omnes dicendi contulit, qui omnium crudelissimus est habitus; orationis perennitatem, quasi flumen in eum deriuauit, cuius manus miserorum, sanguine manantes ne mari quidẽ eluí poterant: quamobrem frustra ille accersit laudes à Neptuno parẽte. quòd autem Libyam eius matrem dicit, quę Africę nomen dedit, monstrosæ feritatis omen affert, quanquam Africanas omnes belluas immanitate superauit. sed illa quid probrosius laude? cum ait ab ipso Busiride institutos hierophantas, & indicta Aegyptia sacra, quibus nihil execrabilius, cum etiã viliſſima bruta numerarent in Dijs: sed risu excipienda, est rhetoris excusatio, nam id à Busiride institutum dicit, vt assuesceret vulgus principum iussis stare, quantumuis absurda imperent; & vt disceret etiam in minimis, & abiectis seruare in religione constantiam. ad has videlicet ineptias tantus rhetor abijt, cum suppeterent egregiæ Iosuæ laudes, qui Busiridi fuerat æqualis. quantum orationi splendoris accessisset, si eum in cœlum extulisset, qui inaudito edicto Solem, Lunamq; consistere coegit? quàm amplus ipsi aperiebatur campus de tot ab hoc duce signis ereptis, spolijs reportatis, regibus triumphatis? condidit quidem Busiris Heliopolim, hoc est Solis ciuitatem, sed tùm cum hospitibus eripiebat lucis vsuram. Ferunt etiam Iosuę ætate Liberũ patrem, qui item Dionysius, & Bacchus est dictus, expeditionem instituisse in Indiam, cumque barbaras illas nationes domuisset, primum omnium triumphasse, ac circumdedisse capiti mitram, quam postea consuetu-

*Genebr.*

Liber. *Euseb.*

dinem imitati sunt reges, vt diademate cingerent frontem. Opportunè igitur Iosuæ a tate inuentus est triumphus, quia nemini obtigit triumphandi ratio maior. adde tunc quoque à Phœnice Cadmi fratre inuentum vermiculum, cuius cruore phœniceus, siue puniceus extitit color, vt videlicet habere posset Iosues, nisi animus abhorreret à fastu, purpuram, ac trabeam triumphalem. quin etiam sub idem tempus ab Erichthonio currus inuentus dicitur, ne quid deesset ad eiusmodi pompam. sed vtri digniùs decernendus erat triumphus, Liberonè, qui eum instituit, an Iosuæ qui meruit? nam ille quidem fertur in aciem prodijsse, cum Silenis, Satyris, Panibus, & vlulantibus Bacchis iactantibus thyrsos, & insano cum tumultu Orgia celebrantibus; contrà Iosues cum sacrorum ministris, quos canoris armauit tubis. illa verò triumphalis nostri Ducis pompa, an non Capitolina omni præclarior dicēda est? in qua vnum, & triginta reges ante currum captiuos ducere licuit: an non ille dignior corona, quàm Bacchus? sed noluit videri, vt hic, dulci fortuna ebrius: in Deum referre maluit partā ab hoste victoriam. nemo certè imperatorum, ac ducum tàm opima retulit spolia, tot insignia tyrannorum capita humi prona spectanda proposuit; atque hæc non inter inconditos bacchantium clamores gesta, sed inter epinicia numini dicta, non homini. ferunt item, eundem Liberum India deuicta columnas sibi in Oriente excitasse in monumentum reportati triumphi; quibus dignior planè Iosues fuisset, qui tunc maximè fulcimentum suæ gentis est visus, cum mœnia hostium diuinitus euertit, quæ docuit, vel sacerdotali flatu posse conuelli. præterea Liber idem habitus qui Sol; hoc enim nomine non modò à Marone, sed ab Orpheo dictus est,

*Genebr.* Erichthonius.

*Dionys. de situ orbis.*

*Macrob.*

Πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλτε Διώνυσος δ' ἐπικλήτη,
Οὔνεκα, δινῶται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον.

quod etiam indicat ipsum Mithrę nomen Persicum; sic enim ea natio appellauit Solem: itaque Liber, siue Bacchus Mithratus est dictus, & fictus. at Iosues non vsurpauit sibi iactanter Solis nomen, tùm quia sortitus erat aliud augustius, quod magno salutis vindici tribuendum erat; tùm quia

Digitized by Google

qua ſa maſor erat Sole, qui Soli imperabat. habuiſſe certè di- *And. Maſ.*
citur Ioſues in ſepulchro marmoreo inſculptam Solis effi
giem, quæ teſtaretur rem ipſius aliquando imperio geſtam.
quàm igitur ille præclarus fuit viuens, in cuius inferias il-
latus eſt Sol? Interea apud Latium Faunus regnabat: fuit *Seb. Ver.*
autem hic, vti ſcribunt, monſtrorum parens, Satyrorum vi- Faunus.
delicet, ac Siluanorum; ſororem habuit Faunam, vel vt alij
accomodatiùs nominarunt, Fatuam. Iam Fauni quaſi fa-
tidici Dei oracula conſulere ſoliti ipſi reges, ac ſubſtra-
tis victimarum pellibus per ſomnia quærere reſponſa. cor-
neam illi fecerunt frontem, & corneos pedes; quoniam
enim non niſi per nouas, & admirabiles, aut etiam formi-
dabiles Deorum figuras vulgus teneri poterat, iccircò hu-
iuſmodi multa ad terrorem compoſita excogitarunt: ſci-
licet acceperunt à brutis ea, quibus facerent Deos. hac igi-
tur ætate, qua Fauni, Satyri, Sileni, ac cetera id genus
monſtra impudica vigebant, Ioſues religione, & caſtimo-
nia inſignis diuinitùs terris eſt datus, qui eſſet illis oppoſi-
tus; ne Mundus hic, qui ab ornatu nomen accepit, omni ex
parte contraheret labem: quanquam hoc rectè factum, vt
obſcœna illa monſtra Faunorum, ac Satyrorum in occul-
tas latebras lucorum, atque ſiluarum inter arbuſta ſe con-
derent, dum Ioſues bellator verſabatur in Sole, imperatu
rus Soli. Illud certè ſatis ei auſpicatum contigit, quòd ipſo *Euſeb.*
viuente Delphicum templum incenſum eſt à Phlegra, Phlegra.
nempè eo, cui fatale nomen erat à flamma quippe φλέγειν
inflãmare eſt. adeo neque Apollo ipſe præuidit eo in loco,
vbi profitebatur rerum futurarum euentus docere, quid
de ſe, ſuoq; fano futurum eſſet; expertusq; eſt in ſua æde
per Phlegram, quod Phlegræis ſit in campis. conſumpti ſũt
aurei tripodes, exuſta tot anathemata, Apollo ipſe dilapſus
eſt in cineres; quo tempore Ioſues, aut hoſtiles incendebat
vrbes, aut ſacræ cortinæ per hierarcham petitis oraculis
milites armabat fortius pietate, quàm ferro. in eius igitur
felicitate ponatur, quòd tantam tunc iacturam ſuperſtitio
fecerit, famulante veræ religioni quà Sole, qua flamma.

CA-

Digitized by Google

# CALEBO, ET RAHABAE *Synchroni.*

*Iud. 1:*

CAlebi polemarchi virtus, & magnitudo animi, fidu-ciaq; in Deum in exploranda promissa suæ genti regione admirabilis sanè fuit; quippè non dubitauit tot propositis periculis bellicosam nationem ignotus adire, oram omnem obire ac penetrare. opposuit autem se ijs, qui eam eandem regionem lustrassent, deterrebant ab accessu populum, quòd quasi Titanium illud esset bellum, conficiendum videlicet cum hostibus, qui & mole corporis & viribus anteirent; at eleuauit dicta Calebus locupletior testis, abrogauitq; fidē, quamobrem penè lapidibus est à vulgo oppressus. meruit certè ex illo penè innumerabili suorum agmine vnà cū Iosue, ceteris extinctis, tandiù optata potiri tellure. Illa verò pugna nobilissima censenda, quæ ipso polemarcho pugnata est; capta videlicet literarum vrbe, quæ Hebraicè Cariath Sepher dicitur. eam fuisse ferunt tanquam emporium disciplinarum, & Athenas alteras. atque vt inflammaret Calebus militum animos, Axam filiam, quę potior erat omni auro, aut alio militari munere, se victori collocaturum est pollicitus. Gesta sunt hęc sub idem ferè tempus (vti dicemus, cum de Othoniele iudice mentio fiet, cui Axa cessit in coniugem) quo Cadmus, & Phœnix literas inuenerunt, alter græcas, alter phœnicias. sed illi sapientiam sibi calamo vendicarunt, Calebus, & Othoniel gladio.

Cadmus. Phœnix. *Euseb.*

Rahaba verò cum patriam diuino nutu, quemadmodū alijs impiorum vrbibus acciderat, excindendam nō ignoraret, hospites, qui ad lustrandam regionem venerāt, clam excepit, atque operuit amanter, ac piè, quo ipsa sibi aditū aperuit ad salutē: nā in vrbis excidio, ac ciuiū internecione, signo coccinei funiculi dato, incolumis ex cōdicto euasit. nupsit postea Salmoni principi, ac per eius progeniē texit se Deus mortali corpore abijciēs in fœnile, quę duūviros texerat fœno. ceterū hęc aut cauponaria fuit, aut scortū, hoc est aut vinū venale proposuit, aut corpus; atqui nōnisi maximè

maximè sobria tunc fuit, cũ & temporariæ vitę, & sempiternæ consuluit scilicet verum illa numen agnouit, quod etiam per posteros edidit terris. At quid interim agebatur apud exteros? omnia incesta, atq; insanda etiã inter Deos. Proserpinam rapiebat Orcus Molossorum rex; immò cum Europa Phœnicis filia miscebatur ipse Iuppiter; cum potius Rahaba eodem ferè tempore se Orco subtraheret cognitione veri numinis, & pulcherrimas accenderet tædas ad tàm illustrem è cœlo progeniem, caligine si qua fuit, superioris vitæ discussa. *Euseb.* Proserpina.

# TRIBVBVS HEBRAEORVM sub Mose, ac Iosue Synchroni.

NOn debet vacare laude etiam vniuersè spectata ea gens, quæ cum à Iacobo, tùm à Mose commendata est singularibus, & amplissimis verbis parentum nomine; duos videlicet præstantissimos nacta præcones. accedit delatus honos in logèo pontificis, quod singularum tribuũ, siue classium habuit nomina gemmis insculpta clarissimis; concepto etiam diuinitùs, vt aiunt, cum ille faciebat, splendore. in hunc autem locum earum laudationem conieci, ne Iosuen longius à Mose distraherem. Iam duodecim has classes sub quatuor ferunt militasse vexillis; sub leone Iudæ, sub humana forma Rubeni; sub boue Ephraimi; sub colubro Dani, idq multò ante, quàm Roma bellatrix, aut lupos ostentaret ad prędas, aut dracones agitati vento tumescerent, ac sibilarẽt in signis. ac certè si vtriusq. gentis castra consideres, ante in campis cœpit prędari Iudaicus leo, quàm martialis lupus; ante hostes coluber terrere, quàm draco. Ex his autem classibus ea, quæ Iudæ fuit, imperio, ac sceptris nata semper eminuit. res est digna spectaculo recensitus ille apud sacrum historicum, ac lustratus penè immensus exercitus, explicatæ alæ cum suis polemarchis, ac ducibus, miles in suam quisque tribũ, classemq; dige- *Exod. 39.*

digestus, atque distinctus. at verò Leuitæ dare nomen iussi non sunt ad pugnam, addicti videlicet ministerio sacrorũ, augustissimęq; cortinę custodiæ, sacroq tentorio gestando, cum conclamatis vasis castra moueri iubebat imperator Deus. quas igitur exterarum gentium legiones, quos exercitus summorum ducum cum hoc conferendõ putamus, cui pro belli tessera diuinus fuit nutus? multa apud alias
*Euseb.* nationes Mosis ætate gesta sunt bella: nam & Chaldęi ad-
Danaus. uersus Phœnices arma sumpserunt, & Danaus Stelenum, vt Argis potiretur, & Arcas Pelasgos oppugnauit: at Amorrhęi & Moabitę, cęteriq; hostes ita ab his Mosis bellatoribus profligati sunt, vt se non tàm cum mortalibus, quàm cum cœlo pugnare suo malo senserint. sub Iosue verò quot expugnatæ vrbes? quot subiecti iugo tyranni? quo tempo-
Liber. re, vti diximus, Liber ille, siue Dionysius Indiam debellabat non alijs copijs, quàm ebriorum, non alio comitatu, quàm Bassaridum, non tàm clamore militari, quàm vlulatu bacchico; quo in bello pro hastis thyrsi fuerunt, pro lituis cornua, pro sacris Orgia. atqui Hebræorũ exercitum cum Vates quidam ex edito loco, & excelsa quasi specula despexisset, admirando suspexit; cumque nihil animaduertisset nisi virile simul, & honestum, ac religiosum, non potuit
*Num.* 22. quin (contra quam fuerat ab impio rege præscriptum)
23. eum summis laudibus efferret, ac nemorosis vallibus, hortis irriguis, cedrisque altissimis compararet: tanti fuit imperatorem habere Deum, cuius cum illi obtemperabant iussis, insuperabiles reddebantur etiam exarmati. Singulis igitur tribubus, siue classibus suam laudationem impertiam, tametsi non castrorum, sed natalium ordinem sequar, qui in parentibus fuit. extremo autem loco Leuitas collocabo, quia extra militarem numerum, quibus Nazarços vtpotè religioni consecratos adiungam: votiuum horum capillamentum facit, vt velut à fronte oblatam occasionem laudationis arripiam. non exiguum addent
*Thren.* 4. operi decus, qui vel candore anteire niui dicuntur, & lacti, vel pulchritudine, pretioq. sapphiris.

†

AARON

Digitized by Google

# AARON.

## Pontifex Summus.

Synop. *Dignitas eius muneris ostenditur. ornamenta ipsa Pontificiæ vestis describuntur. ipsius tantum virga inter multas efflorescens indicauit ei muneri destinatum, emulis terræ hiatu absorptis.* *Exod.39.* *Num.16.*

## ENCOMION 22.

Te sacrum olim gestante logèum,
& aureæ apicem tiaræ,
nihil in terris Sol vidit augustius.
Pontificium in veste circumferens Mundum,
ipso maior visus es Mundo.
vndique fuisti verendus,
vel oris dignitate, vel muneris.
non aliunde petebas oracula,
quàm à te ipso.
quàm fuisti cordatus,
qui tuum consulebas pectus,
vnde Doctrina fulsit, & Veritas?
sapientior tu cum logèo,
quàm ceteri sub Lycèo.
quàm immensus, & amplus dicendus es heros,
qui sacro intextum indumento
tergeminum tulisti Orbem?
quidam posteà Mundum incluſit vitro,
sed nobilius tu antea gemmis, & auro.
quantum Mundus debuit tibi.
qui fecisti, nè nomẽ, quod ab ornatu dedit Græcia,
videretur inane.
Solis instar es visus,
cum Signiferum gestasti pectore
bissenis lucidum gemmis.

Sed meliora tuus habuit Signifer defluuia,
quippe vt mitia faceres sidera,
tuo fouisti pectore.
docuisti haudquaquam ab ijs humana contexi,
quæ tu veste ferebas intexta,
vnde proferebantur effata,
veriora quàm fata.
tuas Sapientia se recepit in vlnas,
ne fieret insipiens:
quam vniuersa capere nequiuit Græcia,
breui complexus es pectore:
terris quoque profuga Veritas
eodem se recepit hospitio.
nemo tuis est delusus oraculis;
non ambigua dedisti responsa,
quia non ternis nutarunt pedibus,
sed vno stabilita sunt pectore,
digni habiti sunt Delphici tripodes
vel igne, vel cinere.
gemuerunt & Dodonæ columbæ,
cum tu candida pulcher in byssо
candidiora edidisti oracula,
non fucata mendacio.
vbi capiti sacram imposuisti tiaram,
humilis postea fuit Dialis flaminis apex,
cum celsiore tui honoris apice collatus:
victus ille pudore
suo sibi vultum flammeo texit.
præcinuisti futura,
non inspectis occultis victimæ fibris,
sed tuarum luce gemmarum.
quadratum fuit, quod gestasti, logèum,
quia vaticinium stabile erat, ac firmum.

Hume-

Humeris quoque pretiosos tulisti lapides,
qui te faciente splendescerent.
ita visus es vel castior Alcide, vel clarior;
sonuerunt sacri amictus fimbriæ nouo concentu
non æris tinnitu, sed auri;
fecisti videlicet vel pretium Naturæ, vel gratiã,
quia cessit tonitrui fragor in sonitum,
fulgetrum in auri fulgorem:
prætetulisti elementorum Regem,
cum intexta limbo gestasti
punicorum coronamenta pomorum;
sed si punica ficta sunt mala,
non tamen Punica fuit oraculi fides.
nihil infulato tuo sanctius capite,
in quo omni diademate fulsit illustrius
diuinum fronti nomen inscriptum,
radiante inter tempora
auctore & æternitatis, & temporis.
primus ritè initiatus es sacris,
sed honore supremo.
meritò indidit tibi nomen à monte
sublimitas vel vitæ, vel muneris.
cessit tibi in sacrificij partem
victimæ & armus, & pectus;
alter in omen firmitatis, ac roboris,
alterum in amoris.
at aures imbutæ sunt sanguine,
ne tuorum audires cædes:
cum cruentum tinxisti pollicem,
fecisti, vt tui bellica virtute pollerent.
Viret etiam in senio tuum nomen, & floret
florente sub virga.
euectus es ad culmen honoris mirè;

Hæsit prorsus Natura prodigio,
cum aridus induit se stipes in florem,
vt tu pontificia efflorescceres gloria:
nullo is fuerat perfusus humore,
nisi postea lacrymis,
quas tu in inuidorum strage fudisti,
vt diuinitùs accensam extingueres flammam.
digna visa est virga florescens,
quæ aureo reconderetur armario,
intra augusti delubri adyta,
vnde tibi fundebantur oracula,
in floridæ monumenta pietatis.
tali si virga mortales verberet Deus,
plus florum, quàm sanguinis spargat,
fragrabit in flagris;
afferet potius decus,
quàm inferet plagam.
exaruerunt in Capitolio Cæsarum lauri
etiam positæ in sinu Iouis;
nimirùm qui igne calebat inceſſo;
at apud te castum vel aridus euiruit ramus;
immò virga tibi cessit in sceptrum,
qua in ipsam dominarere Naturam.
porrò qui in te exarserant inuidia,
vltrice consumpti sunt flamma;
sed statim supplex occurristi supplicio:
accepta acerra cum thure,
sacrum ignem opposuisti profano:
ignem, quem attulerant alienum,
sensere fatalem cineri suo.
aperuit & tellus hiatum, nempe auidis gloriæ.
labem fecit, vt deleret liuoris maculam,
desedit ipsa, ne illi pōtificio residerent in throno.

MO-

# MOSES

Dux Hebræorum.

Synop. *Ostenditur mirum imperium, quod in Naturam exercuit. prodigia commemorantur. præterea, quæ exhibuit virga. describitur vultus explendescentis instar corniculatæ Lunæ.* Exod.

## ENCOMION 23.

Non potuit coruscum fulmen extingui flumine.
cum diuinitùs ereptus fuisses ex aquis,
hoc prodigiosè primùm egisti,
vt diuinitatem, quam tribuebat Aegyptus,
eriperes aquis:
primum imperio cruentasti Nilum,
in quem proiectus reseruatus fueras vitæ,
ne ab illo beneficium putareris agnoscere:
effluxit è meme fluuius, fecit Deus.
adoptatus es à filia Regis in filium,
sed profanas respuisti papillas,
ne vnà cum lacte sugeres impietatem.
adultus aulæ præposuisti caulam,
purpuræ meloten, sceptro pedum.
prodigiosus in aqua fuisti, nec minus in igne:
quippe rubum, legem, columnam nactus es ignea.
inter spinas non tibi se obtulit Venus,
sed ipsa venustas Deus.
iussus es nudare pedes, vt incederes ornatior.
vt frutex ille viridior euasit igne,
sic inter damna gens eius fuit tua;
profuit ignis luce, non obfuit æstu.
Versatus cum Deo es nubem inter, & fumum;
at de nube serenam retulisti frontem,
ex fumo dedisti lucem.

Inter

Digitized by Google

Inter nubium tonitrus animosior factus;
è coruscatione prodiisti præclarior.
Lunæ cornua prætulisti fronte,
scilicet cum secula versabantur in nocte:
nunquam tamen nituisti tàm candidè,
quàm aduerso Sole diuino,
qui Taboreo flagrauit in monte.
ne natiuum in te videretur lumen,
exsplenduisti Lunæ instar à Sole.
Sed mirum; quòd vbi colloqui cœpisti cum Deo
dixisti te factum elinguem,
etsi inter vibrantes ignis positus linguas:
at non tu, sed potius Aegyptus obmutuit
attonita prodigijs tuis.
illa non solum tuam exhorruit manum,
sed digitum:
appellatus quippe es Dei digitus:
quin etiam Deus dictus es Regis,
quem sceptrigerum tua terruisti virga:
enertit hic digitus sæpe ingentem hostium manū.
Tunc maximè visus es diuini iuris custos integer,
cum in lapide scripta iura, sed violata fregisti.
vt impietatis nefariam extingueres sitim,
tuo iussu Deorum puluis cessit in poculum.
non vnum perdidisti Memphiten bouem,
sed in tota armenta grandine armasti cœlum.
plura quàm Alcides domuisti monstra;
pro claua fuit, immò pro sceptro bacillus,
cui se imbecillior Natura subiecit.
nouas adhibuisti ad bellum auxiliares copias,
abiectas ranas, locustas, cyniphes paruos,
sed vt admirabilius vinceres grandia.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam & illa de te, heros magne, quàm mira?
qui cum exsplendesceres vultu,
induxisti tenebras cœlo.
animasti lignum in anguem,
vt exanimares aduersarios metu:
cum vnus anguis voraſſet innumeros,
non modò non intumuit magis veneno,
ſed deſijt eſſe anguis.
inter ceraſtas verſatus, & colubros
fuisti in tuos insigniter mitis.
quàm tu ſuauiter fudisti preces,
cui cœlum fudit oranti nectar?
tunc maximè, cum tua gens exacerbabat Numen.
quàntus fuisti, cuius paſtoritia virga
ſeuerior lictoria fuit?
cum eam intendisti, timuit rubrum mare,
ne repetitis à te verberibus
rubeſceret etiam ob vulnera.
percuſſit poſtea Helleſpontum Xerxes,
ſed cum iam perierat claſſis,
verberasti tu mare,
ne tui vapularent ab hoſte.
mira res: vt eſſet vnda tuis mitis, obduruit;
vt eſſet hoſtibus dura, relapſa eſt liquida.
percuſſus deinde bis lapis protulit latices,
an potius ex ictu lacrymas?
ſed tuorum lacrymas ſiccauit ſuis:
verſi à te ſunt lapides in aquas, in lapides aquæ.
Ceteri Duces ſibi è frigido marmore,
at tu igneam tibi erexisti columnam,
ideo quia Dux eras illuſtrior.
immortalia edidisti facta,
etiam cum cœlum obduxisti cinere.

MA-

# MARIA

soror Mosis.

Exod. 2. 15 Synop. *Abiectum ad flumen fratrem non dereliquit, sed egit cum Pharaonis filia, vt traderet alendum matri. desinit epinicion post demersos Aegyptios choros ducens.*

## ENCOMION 24.

Non potes esse non illustris fama,
soror videlicet eius, cui inter facta præclara
diuinitùs radiarunt tempora.
sola secuta es fratrem morti deuotum:
spectabas inter vndas infantem
exundans ipsa lacrymis,
sed impetrasti lacrymis, ne periret aquis.
per te nutricis nomine est redditus matri,
ne ab Aegyptia impietatis fugeret virus.
affecta es gaudio, cum vidisti aquis ereptum,
nec minus postea, cum vidisti aquis imperantem.
dixisti præcentrix pæana victori,
tympana insonuere pro tubis.
duxisti choreas in orbem,
vt eas opponeres Fortunæ orbitæ.
equitem Regem Neptuno fidentem
inuentori, vt aiunt, equorum
cecinisti demersum vnà cum equo.
idem carmen fuit, & epinicion fratri,
& epicedion hosti.
cum tu narrasti Erythræi prodigium maris
fratris vaticinata victoriam,
nunquam manauit vox tua liquidius,
quàm inter vndas firmiter stantes.
mira res: accepit à mari stabilimentum gloria.

SE-

Digitized by Google

# SEPHORA, ET PHVA
## obstetrices Hebræorum.

Synop. *Ostenditur earum pietas, cum contra impium Regis edictum infantibus pepercerunt, quamobrem affectæ sunt à Deo beneficio siue fœcunditatis, siue cœlestis domicilij suo tempore incolendi.* Exod. 1.

## ENCOMION 25.

Viuere vos decet immortalis historiæ fama,
quæ feciſtis, vt infantes mortis deuoti
negatam acciperent vitam.
viciſtis pietatis splendore Lucinam
obstetricatæ clementius.
erubuit illa (nempe eadem quæ Luna)
cum à vobis superari se vidit
vel officio naturæ, vel beneficio artis.
hoc obtrinxiſtis infantes
arctius multò, quàm fascijs,
immò obstrinxiſtis & matres.
nimis acerbum putaſtis infringere calycem floris,
excindere tenerum germen.
non extimuiſtis edictum tyranni impium;
pluris fuerunt apud vos infantiles fasciæ,
quàm insulæ regni, vel fasces.
peperit sibi virtus laudem, cum eduxit partum.
pluſquam virilis animi negotium fuit,
non sine periculo seruare virilem prolem.
quia per vos ea natio de culmine deiecta non ruit,
satis idoneum virtuti præmium datum
exædificatæ domus,
quanquam suo tempore incolendæ, sidereæ:
meritò lucidas acquiſiuiſtis domos,
quia infantes reseruaſtis ad lucem.



Digitized by Google

# BESELEEL, ET OLIABVS

## Artifices sacri tentorij.

Synopsis. *Ambo electi, vt sacrum extruerent tentorium,*
Exod. 35. *& ornarent: ille aptus ad faciendum opus in auro, argento, & ære, sculpendisq; lapillis. hic insignis arte polymitarij, ac plumarij, totiusq; textorij operis.*

## ENCOMION 26.

Aemulatur in alijs ars naturam,
at in his vicit ars, vel natura Iudice:
nec vnius artificis in cœlando
cœlari potuit industria,
nec alterius in texendo
tegi solertia.
Non nobilis modò fuit ars, sed splendida,
quippe versata est eas inter gemmas,
quæ in pontificio logèo
Abulen. exsplendescere solebant diuinitùs.
sed hoc ille maximè celebrandus est nomine,
quòd in aurea frontis lamina
magni Numinis insculpsit nomen;
quod proferri non potuit ore
inferri potuit eius manu.
at alter in purpura versatus, & cocco
nobilitauit ingenium.
dum studet acu pingere,
ostendit acumen mentis.
extulit se de terra sublimiter,
nimirum in opere plumario.
meritò delecti ambo dicuntur oraculo,
quia structuri erant oraculo sedem:
sed quid ijs maius, qui potuere complecti
vniuersum in veste pontificia Mundum?

IO.

Digitized by Google

# IOSVES

Dux Hebræorum.

Synopsis. *Commemorantur eius præclarè res gestæ, in primis cum Hierecũthinos muros sacrarum tubarum sono deiecit; & cum Solem, Lunamq; stare iussit. victor triginta, & amplius Reges bello subiecit.*

## ENCOMION 27.

Vicisti Dux magne, virtute, & prodigijs famam,
noua bellandi ratione vicisti:
dignos fecisti milites corona murali,
& si non ascenderant muros.
vt deijceres Hierecunthinas turres,
non admouisti arietes,
sed immolasti;
arietasti mœnia non ferreis machinis,
sed æneis tubis.
non adhibuisti milites, sed tibicines.
euocasti ex ara hierophantas ad castra,
vsus es pro acie instructa
pompa sacrorum.
non ærea mouisti Martis arma,
sed aureum admouisti legis armarium.
non opposuisti mœnibus testudinem,
ne in victoria tarditas esset, & mora:
tantùm inflatæ sunt tubæ,
ne si virtute propria acta res esset,
inflarentur animi.
mira res. parta est victoria ore, non manu.
vel hoc dignus es oris præconio,
quòd parta illa est non mucrone, sed buccina.
minus est, quod commenta est Græcia,
mœnia erecta sono, maius funditùs fuisse disiecta.



Digitized by Google

Idem & initium pugnæ fuit, & finis;
belli signum, insigne victoriæ.
vsus es tuba, non vt erigeres oppugnatores,
sed vt dejiceres propugnacula.
detumuerunt hostiles spiritus,
cum tumuerunt sacerdotali spiritu tubæ.
Hierecunthinam in primis oppugnasti vrbem,
quę inditum habuit nomen à Luna:
deiecisti Lunam non magico cantu, sed sacro.
scilicet facilè subijceres Lunam in terris,
qui subiecisti & Solem in cœlo.
nouum consilium; qui Lunam iussisti stare,
Lunæ mœnia noluisti consistere.
ipsa tibi vrbs omen victoriæ fecit,
dicta videlicet vrbs palmarum,
quibus tota circum virebat consita:
plures tibi obtigere palmæ, quàm milites.
vna, quam ibi comparasti, victoria
insignia victoriarum tulit innumera.
felix Imperator, cui non opus fuit ferro,
vt concerperet hostem, sed vt decerperet palmas.
corruit subitò ciuitas humi depressa
inter ramos, qui nesciunt premi.
quin etiam obtulit ornamenta capiti
eadem vrbs, quæ dexteræ,
quia dedit non palmas modò, sed rosas,
quæ in Hierecunthinis agris præstant odore.
quid beatius, quàm quòd vel hostiles agri
militem tuum coronauere victorem?
decus obtinuisti camporum,
sine labore campestri;
effloruit gloria sine vepribus,
quia acutis non eguit telis.

At

Digitized by Google

At cum iussus est nihil de præda tangere,
ditior factus est miles,
quia eam Imperatori posthabuit Deo.
vnus, qui prædæ partem surripuit, miles
omnes penè sustulit commilitones.
meritò acrior in militem fuisti tuum,
quàm in hostem.
laudandus & cum vibrasti in prælio hastam,
& cum libraſti in iudicio crimen,
qui prædam expetijt, appetitus est lapidibus,
quia propter ipsum & iusti dura perpessi.
cum purpuram abstulit, Deum spreuit Regem,
cum regulam auream, prætulit eam diuinæ.
scilicet quem prodigij magnitudo non fregerat
ijs ipse obrui debuit saxis,
qui ruerant ex hostilibus muris:
cumulus lapidum cessit in tumulum.
Dux fuisti & admirandus, & felix,
cum extulisti pro vexillo clypeum;
noluisti eo tegere tuum latus,
sed militis caput;
sustulisti signum, vt hostis caderet:
insignem fecisti stragem
vmbone vsus pro mucrone.
Aliquando & Natura stetit attonita,
cum Solem stare vidit, & Lunam
ad hominis nutum.
quàm illustris ea fuit victoria,
quæ defixos tenuit cœli oculos?
hæserunt vel allecti spectaculo,
vel obstupefacti virtute.
nimirum tanta maiestas erat in nomine:
coercuit noctis vmbram
magni nominis vmbra.

Quan-

Digitized by Google

Quantus Imperator fuisti,
quem adiuuit cœli militia
nouo more pugnandi,
meliùs videlicet ſtatione, quàm curſu.
tunc primùm Luna non fuit inconſtans,
quia eodem conſtitit vultu,
omen tibi victori datura conſtantiæ,
dum tu hoſtilis exercitus infringeres cornua,
illa non immutauit ſua,
dum inimico rubeſceres ſanguine,
non variauit candorem.
te in terris caſtra metante
deſtitit illa metiri cœlum.
noluit obliquum ferri per orbem,
dum tu rectà ferreris in hoſtem.
nocturno abſtinuit regno,
vt tu pugna ſterneres Reges.
præſto tibi fuit illa, quæ iaculatrix eſt dicta,
vt tuo militi ſufficeret tela,
peperiſti victoriam ſine dolore,
quia obſtetrix adfuit, quę dicitur Lucina,
ſed veriùs Pietas;
Luna quæ terris eſt citima,
tunc primùm fuit in cœlo non citiſſima.
mirum dictu. feciſti ſiderum curſui moram,
vt ſuccurrerent tibi.
nunquàm tu extimuiſti Fortunæ rotam,
qui etiam precipiti Solis currui
adamantinum fixiſti clauum.
Sol non occubuit antequam hoſtis;
non ante ſe Oceano merſit,
quàm campos vidit natantes ſanguine;
equos continuit ſuos, vt excurrerent tui.

Quo

Digitized by Google

Quò longior illuxit dies,
eò plures hostes caruerunt luce.
vt totum inimicum configeres agmen,
obtulit ipse Sol abundè tela diei. *Lucret.*
non festinauit in noctem errando,
ne tu in tenebris aberrares ab ictu.
defecit ille de stadij cursu,
vt tu victoriæ attingeres metam.
coercuit freno iugales,
vt hostem coerceres iugo.
Sed quàm generosos fecisti milites,
cum iussisti calcare ceruices Regum?
plusquam regios hauserunt spiritus,
cum diademata capitis presserunt pede:
campus ipse Capitolium fuit,
vt capax esset tot excubijs locus.
ducti sunt in triumpho triginta,& amplius Reges:
plura tu sceptra in pompa tulisti,
quàm laureati Cæsares fasces. *Masius.*
meritò tibi mausoleum insculptum ferunt
illustri nota, Sole marmoreo,
nempè tùm,cum eum stare iussisti,
fecisti marmori similem.
tecum Sol est visus occumbere,
qui per te antea non occubuit.
quid tumulo magnificentius tuo,
in quem iniecta sunt pro inferijs supera?
mirum: tecum ibi Sol iacuit inter vmbras.
tumulatus est postea,& Syracusanus doctor
vnà cum sphæra,
sed ille cœlum apparauit vitreum,
tu imperasti æneo.
fingere ille potuit astra,tu figere.

CA-

# CALEBVS

Polemarchus.

Synopsis. *Vnus fuit hic exploratorum hæreditariæ regionis.præfectus est pugnæ,qua Othoniel ciuitatem literarũ cepit. quamobrem ei filiam suam matrimonio iunxit. Calebus Hebræis significat,quasi cor.*

Iudic. 1.

## ENCOMION 28.

Retulisti meritò hanc eximiam laudem,
vt dicerere cordatus.
Aelium Sextum anteuertisti gloria,
cui Roma hoc indidit nomen.
at non minus oculatus fuisti,quàm cordatus,
cum inspector,& explorator es missus
hæreditarij regni.
iniecerant alij populo metum
denunciatione periculi:
tu accendisti Martem nõ minus voce, quàm tuba;
nihil inuium fecisti virtuti.
penè appetitus es saxis
vnà cum Iosue eiusdem consilij socio;
sed vterque tectus est Numine.
cesserunt lapides in monumentum gloriæ.
non satis habuisti esse te fortem,
nisi proponeres etiam fortibus præmia,
filiæ nuptias.
eum putasti tàm nobili dignum coniugio,
qui hostes subijceret iugo.
inflammasti videlicet mentes ad prælium
nuptialibus tædis.
non ante hæ iucundè luxerunt,
quàm hostis euictus luxit:
cordatus cum fueris, non excides aliorum corde.

RA-

Digitized by Google

# RAHAB

## Hospita.

Synop. *Scorum quidam fuisse putant, alij cauponariam. Iosue 2.*
*vim veri nuncij, aguoscès exploratores regionis texit*
*stipula. salutis tesseram habuit funem coccineum è fe-*
*nestra suspensum.*

## ENCOMION 29.

Illaudabilis fuisti cum solebas mereri,
laudabilis cum cœpisti benemereri
etiam de hoste.
non prodidisti, sed profuisti patriæ,
cum eam Imperatori donasti Deo.
mirum prodigium pauidas oues seruasti lupa.
texisti duumuiros stipula leui,
sed solidum fecisti beneficio pondus.
liberos eos fecisti per funem;
illigasti scilicet animos;
ne capereris, fecisti pietate captiuos,
obtendisti, ne te funerarent, funes.
mirum omen, pignus voluisti salutis
concolorem sanguini coccum;
rubrum apposuisti signum,
ne inter cruentas ciuium cædes,
rubesceres vulnere.
ardens color domum seruauit à flamma.
per intorta fila stamen produxisti vitæ.
cum periret naufragio patria,
sola stetisti spe firma,
quia sacram anchoram iecisti per funem.
inaudito euasisti consilio;
quia ne vincireris ab hoste victore,
obtulisti ei funem.



Digitized by Google

# RVBENI
## Tribus.

Gen. 49. Exod. 39. Deut. 33. Synop. *Rubenitis Moses ita benè precatus est. Viuat Ruben, & non moriatur probro genti fuit parentis incestus torus; ac cauit, ne Iosephus necaretur, eius nomen in sardio inscriptum. ex hac tribu fuerunt Heliseus, & Iuel.*

### ENCOMION. 30.

Viuet eius gentis nomen in omnium ore,
cui acclamatum est oraculi sorte,
vt viueret, mortemq; vitaret.
nempe reddita est parenti gratia,
qui fratri donauerat vitam,
cum eum ceteri addixissent morti.
meritò Pontificis summi logeum
habuit illum inscriptum in sardio
gemma rubente,
quia pepercerat sanguini.
ideò non ferus, quia fecit, vt cruore ferino
rubesceret tunica, non fraterno.
vbi rediens eum non inuenit, ingemuit;
cum tunicam scidit suam,
nudo præsetulit pectore
doloris plagam.
tametsi maculam hic contraxit à toro.
at incesti notam parentis
multi delerunt posteri,
in primis duumuiri Vates.
horum alter non modò, dum viueret,
reddidit paruulum vitæ,
sed etiam mortuus adultum.
digna fuit hæc Tribus fausta precatione vitæ,
vnde prodijt Vates vitæ largitor.

SI-

Digitized by Google

# SIMEONIS
## Tribus.

Synop. *Ex hac tribu fuit Iuditha clarissima matrona, & religiosissima, ex hac item Nahum, & Habacuc prophetæ. quanquam Simeon natam contraxit in orde Sichimitarum, eius nomen in logèi topatio inscriptum.*

## ENCOMION 31.

Præclarũ hæc Tribus præfert nobilitatis insigne,
quia eam peperit heroinam,
cuius ope parta est patriæ salus.
attollit meritò ipsa in cœlum caput,
quæ vidit superbi hostis ab illa recisum caput:
comitatus est laureatus sine prælio miles
triumphalem victricis fœminæ curruum
canens epinicion.
sed non hoc vnum decus est gentis,
iactant & inclytos oraculis Vates;
illum inprimis, qui medios inter leones
mensam Vati impunè parauit in cauea.
hoc tamen parenti probro datum,
quòd cæde cruentarit manus:
at fororis vltus est probrum;
non temperauit iræ,
vt ab intemperantibus sumeret pœnas.
eius certè nomen inscriptum
in logèi topatio fulsit,
quæ ampliſſima est dicta gemmarum:
miteſcere Pontificis cœpit in pectore,
qui olim immitis fuerat manu.
didicerunt posteri non iam cælare sub corde,
sed ampla velut in gemma
cœlatam præferre pietatem.

## IUDÆI

### Tribus.

Synop. *Huic Tribui regnum datum cum leone collata est. constitutum habuit regnandi terminum Christi aduentum. Iudaibit cur anit Ioseph. venditum potius, quàm mactandum. ex hac tribu Dauid, & Daniel fuit.*

### ENCOMIUM. 32.

Postulat hæc Tribus præcipuos dicendi colores,
quia sibi vendicat purpuram.
non sine sermonis ornatu laudanda,
quæ imperij præfert insignia.
non minus splenduit in huius manu
ferreus mucro, quàm aureum sceptrum.
hebetauit hostium aciem luce armorum,
recreauit suorum splendore trabeæ.
in fronte simul, & euiruit victoriæ laurus,
& emicuit diadematis gemma.
spectabilis fuit, vel ornatu amicta regio,
vel spolijs induta barbaricis;
affluxit & aulæ diuitijs,
& campi manubijs.
augusta sedit in throno,
generosa fletit in castris.
verenda sub laqueari aureo,
metuenda sub pellibus.
meritò est cum leone collata,
dum ferox ascendit ad prædam;
tametsi ex hoc leonino genere
diuinus agnus est editus,
non horridus iuba, sed lenis vellere;
non vt degeneraret à stirpe,
sed vt esset generi decus.

Ascen-

Ascendit hic agnus acer ad prædam,
venaturus vt leo;
timendus, & cum accubuit ad cibum,
& cum recubuit ad quietem.
vix ortus regia potitus est præda
occultus in specu;
moriens prædatus est Erebum.
non ante Tribus hæc deposuit sceptrum,
quàm illud Regi cederet Deo.
hinc quoque diuinitus auspicatus est regnum
is, qui iunxit plectra cum sceptris;
scilicet prodijt leonina progenie,
qui paterni custos quilis
leonibus eripere solitus prædam.
hinc & ille præclarus extitit Vates,
cuius fuere vigiliæ
oracula somniorum.
de leonis est stirpe prognatus,
qui accubuit inter leones impunè:
nempe hi genus agnouere cognatum.
non immeritò huic genti sunt regni iura collata,
cuius parens fuerat auctor,
ne traderetur neci frater.
maluit eum commutare argento,
quàm iugulare ferro.
qui noluit inficere manum sanguine,
vestem induit infectam murice.
qui fratrem non spoliauit vita,
regijs est amictus insignibus.
qui non tractauit telum, gestauit sceptrum.
inscriptus est hic in carbunculi gemma,
cuius videlicet pietas fulserat noctu,
vbi caligo se offudit inuidiæ.

DANI

# DANI

## Tribus.

Synop. *Danus dictus coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi. à Mose & ipse catulus leonis dicitur. eius nomẽ inscriptum in sapphiro. ex hac tribu extitit Sampson celebratus leone mellifluo.*

## ENCOMION 33.

Non parum incussit hæc Tribus hosti formidinis,
quia similis ceraſtæ, vel colubro,
quem viator haud impunè calcauerit.
ei loricæ fuere pro squamis,
mucro pro lingua,
hitui, tubæq; pro sibilis.
tametsi non suum exuit spolium,
sed hostile.
& hoc mirum, quòd parens, qui anguis est dictus,
sculptus est in sapphiro,
aduersante venenis gemma,
è qua veluti stellæ promicat fulgor:
nempe inter angues nominantur & sidera.
perterruit nomine, sed prænituit omine,
oraculo videlicet expectatę salutis.
catulus quoque leonis dictus est parens,
quanquam soboles inuenta est acrior leone,
quippe ex hac stirpe heros ille ferociſſimus,
qui leonem interemit in via.
luserunt lepidè apes exarmatæ cum bellua.
obtulerunt cruento ori sę prædam,
sed infuderunt pro cruore mella.
ingesserunt etiam ceram,
fomitem flammæ,
sed tum, cum mortę fuerat vitæ ardor extinctus.

NEPH-

Digitized by Google

# NEPHTALIS
## Tribus.

Synop. *De hac Tribu tale edidit Iacobus elogium. Nepthali ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis, quòd in victoriis putetur diuinas cecinisse laudes. nomẽ insculptum fuit in iaspide. hinc exiuit Tobias.*

## ENCOMION 34.

Non nisi concinnè, ac venustè debet eloqui
qui eum laudat,
à quo pulchritudinis dantur eloquia.
perennet oportet eius fama,
quem facit insignem dicendi perennitas.
non arescent bellicæ laurus,
quæ nunquam destituuntur flumine.
sed illa sermonis est vera venustas,
in quo nulla versatur Venus;
nullus suauior est dicendi color,
quàm qui à pudore purpureus.
vt digna sit oratio, quæ laudetur oraculo,
pudico manet ex ore.
id pulchritudinis dicetur eloquium,
quod est de pulcherrimo Numine.
idem gentis auctor dictus est ceruus,
incitato videlicet ad gloriam cursu.
quanquam non se, sed hostem coniecit in fugam.
non semel suis infregit cornibus victor
hostilis exercitus cornua.
inscriptum eius nomen habuit iaspis:
maius huic pretium Nephthalites Tobias fecit,
clarus tunc maximè cum amisit lumina;
sed vt restitutam recrearet aciem visus,
viridem hanc nactus est gemmam.

GADI

Digitized by Google

## GAD

Tribus.

Synop. *De hac tribu ita vaticinatus est Iacobus. Gad accinctus præliabitur. Moses verò ita. Benedictus in latitudine Gad. habuit nomen in lyncurio. ex hac gente Iephtes victoriæ inclytus extitit.*

### ENCOMION. 35.

Vt præcingeret hæc Tribus lauro tempora,
accincta iniit pugna:
expeditum habuit cursum
vel ad prælium, vel ad gloriam.
cinxit balteo se, obsidione hostem,
mirum fuit, pectus generositate tàm amplum
potuisse cohiberi cinctu.
arctauit artus, sed latum voluit campum;
constrinxit se, vt dilataret imperium:
se religauit auro, aduersarium ferro.
latus pressit suum, vt hostile premeret telo:
nihil in se admisit laxum,
præter motum magni animi liberum.
vix suffecerunt ad innumerabiles laureas siluæ,
vix ad palmas Idumea eius arboris ferax.
in lyncurio gemma parentis inscriptum est nomẽ,
quam gigni ferunt ex lynce.
nempè Duci non opus tantùm acie ferri, sed mẽtis;
præuidenda hostis consilia, præcauendæ insidiæ.
quanquam ex hac gente extitit Princeps
in tractando quidem lynceus bello,
sed edendis minus oculatus in votis,
quippe non præuidit sibi victori
primam occurrere posse gratulabundam filiam,
hanc contra votum mactauit ex voto.

ASE-

Digitized by Google

# ASERIS

## Tribus.

Synop. *De hac Tribu ait Iacobus. Aser pinguis panis eius, præbebit delicias Regibus: typus fuit cœlestis panis. addidit Moses. Ferrum, & æs calceamẽtum eius. nomen inscriptum in achate. hinc extitit Anna Prophetis.*

## ENCOMION 36.

A beatitate nomen est Tribui,
quid auspicatiùs?
quantum illi affluet opum,
cui se felicitas præstat altricem?
parum dapsiles mensæ sunt Regum,
nisi hæc delicias sufficiat suas,
tritici florem.
ex huius agris metendæ sunt fruges:
flaua sit alibi Ceres, hic aurea.
Parens in achate inscriptus est gemma,
quæ albis intermicat venis.
nimirùm vel sacræ placentæ indicatus est candor,
vel placituri candore conuiuæ:
repelletur hic à mensa cum probro,
nisi candidam induerit byssum.
fecit parens felicitatis omen posteris,
quippe ex ipsius genere prodijt
felix illa matrona,
religione pariter, & oraculis præstans,
quæ puerum, qui inferebatur in templum,
declarauit Deum,
delicias videlicet nõ Regum modò, sed Cœlitum.
sed mira res. ipsæ deliciæ cedunt in robur:
quàm grauiter hostem hic miles obteret pede,
qui ære calceatur, & ferro?



Digitized by Google

# ZABVLONIS
## Tribus.

Synop. *Exercuit hæc mercaturã. de ea sic Iacobus: Zabulon in littore maris habitabit. & Moses: Inundationem maris quasi lac sugẽt, et thesauros absc̃oditos arenarum. parens in chrysolitho inscriptus. in eius sorte Nazareth.*

## ENCOMION 37.

Inter decumanos fluctus
Tribus hæc non expalluit metu,
modò Sidonias referret purpuras.
inter exaggeratos vndarum montes,
altior ipsa fuit animo.
spreuit elatum in cumulum mare,
vt accumularet aceruos opum.
cum canescere vidit vndas in spumam,
arbitrata est candido ali se lacte,
quo adolesceret gloria:
ne qua veteratoria fraus esset in mercibus,
primæ fuit memor infantiæ.
quanta fuit huius palati gratia,
cui falsus humor visus est nectare?
quid eiusdem sorte felicius?
cui vilis arena exsplenduit in aurum,
quæ thesauros effodit in littore.
meritò est gentis auctor inscriptus
in chrysolitho
aurei gemma fulgoris.
sed nullæ cum hoc conferri possunt opes,
quòd fortiti sint Zabulonitæ tellurem,
patriam pauperis Dei.
vel ideò fuit hæc illustrior Sole,
quòd ibi Dei obumbrata sit mater.

ISA-

Digitized by Google

# ISACHARIS

Tribus.

Synop. *Laudatur à robore. agricultura dedita fuit, itemq; literatura. nam* 1. *paral.* 12. *dicitur. De filijs quoq; Isachar viri eruditi; omnis autẽ reliqua Tribus eorum consilium sequebatur. nomen inscriptum in amethysto.*

## ENCOMION. 38.

Non defatigatur fama laudando
eam Tribum, quæ commendatur à robore.
semper germinat illud decus,
quod excolitur:
nempè exercuit hæc se in terræ cultura,
vt essent primitiæ frugum in Dei cultum:
tunc maximè gens pia,
cum in parentis viscera imprimeret ferrum,
ideò pro vulnere retulit gratiam
fruges, flores, & poma.
tunc tellus desijt squalere, cum saucia;
tunc viruit læta, cum scissa.
sed dum excoleret agros,
silvescere non siuit ingenium;
arauit campos, & exarauit literas;
acuit ferrum
cùm in vomerem, tùm in stylum.
magis gauisa est Iudæa tellus aratore literato,
quàm postea Romana imperatore laureato.
in eruderato solo floruit eruditio.
at ne doctrina faceret gentem
nimiùm dulci plausu ebriam,
nomen habuit inscriptum
in amethysto gemma,
quæ videlicet ebrietati resistit.

# BENIAMINI
## Tribus

Synop. *Auctor verno tẽpore natus, Rachele in partu mortua. à Ioſepho donatus argenteo poculo. inſcriptus in beryllo. ex hac Tribu fuit Eſther, & Paulus, ad quem ſpectat illud de rapaci lupo, & ſpoliis diuiſis.*

## ENCOMION 39.

Nullum huius progenies extimuit omẽ ſiniſtrum,
quia ipſe dictus eſt filius dexteræ.
tempore exortus eſt verno,
in omen efflorescentis gloriæ;
ſed berylli pallore notatus,
ob matris interitum.
à fratre ſcyphodonatus eſt argenteo,
in quo ille augurari ſe dixit,
at non vana ſecutus auguria:
nempè ex hoc genere illa fuit heroina,
quæ inaugurata eſt regno
ex captiua Regina.
cum infeſtum genti dynaſtam addixit trabi,
beneficium apud ſuos fixit clauo trabali.
Hinc etiam magnus ille exortus eſt heros
religionis ſignifer Paulus,
qui initio rapax lupus
ſacratum exterruit gregem;
poſtea Romanam edomuit lupam:
ſed ne Roma careret altrice,
moriens pro ferino lacte ſuffecit ſuum.
dedit huic manus Vrbs illa victrices
maiore robore victa pietatis:
triumphalia ſpolia tot à Ducibus parta
in huius ceſſere trophæa.

EPHRAI-

Digitized by Google

# EPHRAIMI
## Tribus.

Synop. *A frugum prouentu ei nomen inditum à Ioſepho, cum eſſet minor natu, quàm Manaſſes, Iacobus tamen manus dextera impoſita eius capiti, ipſum cõſtituit Principem. ex hac Tribu fuit Ioſues.*

## ENCOMION. 40.

Minor hic natu fuit,
ſed auito maior ex munere,
cum decuſſatis manibus ſenex
incrementum vaticinatus eſt gloriæ.
nunquam mens perſpicacior fuit,
quàm cum ſeni caligarunt lumina.
felix patrimonium, quod ex oraculo fuit.
habuit & incrementi omen in nomine,
quippe dictus eſt creſcens, & frugifer,
tunc cum parens creuit in regnum.
è fundo ille, vel ciſternæ, vel carceris
ad honorum euectus eſt culmen.
hauſit è puteo licet arente laudem;
accepit è loci tenebris lucem.
fuit eiuſdem quoque laus magna,
quòd ſedarit frugibus famem,
ſed maior, quòd fuerit ipſe vir frugi.
quàm illuſtri parente prognatus
huius Tribus auctor, & caput!
nempe eo, qui vidit vel dormiens Solem
accidere ſibi ad pedes.
quid mirum, quòd ex hac prodierit gente
Dux ille factis illuſtris,
qui vigil imperauit Soli?
quàm præclara gens, cuius ditioni Sol ſubeſt!

MA-

Digitized by Google

# MANASSES

Tribus.

Synop. *Cum hunc genuit Ioſephus, ait, Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum. ex hac Tribu fuit Gedeon Dux fortiſſimus, ad quē ſomniū illud ſubcineritij, & Dei panis pertinuit, qui dictus eſt gladius ipſius.*

## ENCOMION 41.

Vel iccirco Tribus hæc eſt memoranda,
quia ſortita eſt ab obliuione nomen;
hoc auctori magnus indidit parens,
cum ipſum ærumnarum cepit obliuio,
ſed eam obliuionem voluit eſſe teſtatam elogio
apud poſteros memores.
iuuat tamen eorum nos ad exemplum meminiſſe,
quorum iuuit illum ob lætitiam obliuiſci.
ſed mirum dictu; potuiſſe ab ipſo deleri
cicatrices tantorum vulnerum.
cum hunc gentis auctorem edidit in lucem,
omnis ſuperiorum temporum diſcuſſit caliginem.
tum demum cum hunc deuinxit faſcijs,
ſuorum oblitus eſt compedum.
vbi natalis huius illuxit dies,
intentatæ olim ſibi non meminit mortis.
vbi parere cœpit liberos
immemor ſeruitutis, libertatis memor fuit:
inclyta deinde progenies euaſit
Gedeone in primis fortiſſimo Duce.
inter immortalia eius facta
perennat memoria.
ille ipſe ſubcineritius panis
triumphalem verſus in gladium
ſuo viuit in cinere.

LEVI

Digitized by Google

# LEVI
## Tribus.

Synop. *Extra ordinem fuit hæc Tribus, nulla hæreditaria sorte; addicta aræ, atque delubro. ex hac hierarchæ, ceteriq; sacerdotes, ac ministri sacrorum. inde etiam extitit Moses Dux præclarissimus gentis.*

## ENCOMION 42.

Vicit hæc Tribus veris opibus reliquas;
iccirco ditior,
quia nulla ei hæreditas obtigit præter Deum.
nihil ei felicius accidit,
quàm quòd tellure ceteris sortitò diuisa,
ipsa caruit sorte;
hoc fortunatior, quòd sine fortunis.
humanis feriata fuit à curis,
vt esset ministra sacrorum.
non fuit studiosa quærendi opes hominum,
sed opem Cœlitum.
huic pro diademate regio, data
sacerdotales infulæ;
pro aurea corona, tiaræ;
oraculi cortina, pro solio.
nullam habuit imperij metam,
quæ totum circumtulit Mundum
veste contextum.
intentæ secures in victimam
pro sceptro fuere, vel fascibus;
delubrum in augustale cessit, & Regiam.
non potuit hæc esse non illustris,
non etiam immortalis,
cui mandata est ignis inextinguibilis cura,
qui ab æthere diuinitùs lapsus.

Nec

Digitized by Google

Nec laude vacant reliqua munia,
quippe baiularunt ſedem Dei curulem.
oppoſuerunt inermes hoſtilibus armis
ſacratæ legis armarium.
obiecerunt alis deprædantis exercitus
alata ſimulacra Cœlitum.
nihil hoſti fuit amarius, aut funeſtius,
quàm obiectum cœleſte nectar in vrna.
quàm certum omen ſibi fecere victoriæ,
cum ante aciem duxerunt humeris ſuis
trimphalem Dei currum?
diuina iura tulere pro teſſera,
nutus Imperatoris Dei
pro Ducis imperio fuit.
candidam induerunt byſſum,
vt cruentas hoſtium referrent exuuias.
Arcæ baiularunt vectes,
vt paterent arcium hoſtilium portæ.
quàm alacres ij proceſſerunt ad pugnam,
quibus non lacrymarum fuit vrna, ſed nectaris!
ſed mira res, ne ob crimina vapularent à Deo,
geſtarunt humeris virgam.
quanquam hæc ſe induerat in flores
decus allatura, non probrum.
Inſcriptus eſt auctor gentis in ſapphiro,
virente gemma:
adeò inter aram ipſam, & ignem
melius euiruit gloria.
ex hac Tribu magnvs ille legifer fuit,
qui Deo annuente Regis conſtitutus eſt Deus:
ſcilicet præclara horum hæreditas fuit,
vel facere Deo, vel (quà licet) fieri Deum.

NA-

Digitized by Google

# NAZARÆI.

Synopsis. *Fuerunt hi deuoti Deo: capillum alebant, qui tandem ad aram cremabatur. nõ ipsis licuit vinum, aut aliquid simile gustare, nec adesse funeri. dicti candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo.* Num. 6. Thren. 4.

## ENCOMION 43.

Auream, quæ fluebat per colla, cæsariem
non decuit vili tangi ferro.
terruistis hostem non ære, sed voto.
nempè in longum profusa coma,
ipsum obligastis, cui deuincti, Deum,
rei voti, non criminis.
mirum dictu. dum nouaretur, & poliretur virtus,
abstinuistis à nouacula.
nutrijstis comam, vt liberi,
tunc, cum eratis obstricti seruitio.
excipiebat tandem capillum flamma,
sed quæ vos illustraret, aræ.
magis sacros inter ignes vestra exsplenduit coma,
quàm quæ Berenices dicitur inter astra;
leuis capilli non leuis gratia fuit.
interdicta vobis ritè sunt vina,
quia suauiores interim fundebantur lacrymæ.
iussi estis esse sobrij,
cum maximè pietas faciebat ebrios,
sed amore, non mero;
cum abstinuistis à Baccho,
tunc maximè debacchati estis,
sed gaudio, non furore.
quin etiam vitare iussi acetum,
scilicet moniti, ne coacesceret virtus.



Digitized by Google

Non acetum, vt aiunt, in pectore
fas fuit habere, sed Deum.
at nunquam fuistis acriores in vitia,
quàm cum liquoris defuit acrimonia.
incubuistis ad pietatem
non acri tantùm mente, sed alacri.
nefas fuit interesse funeri, vel paterno:
hæsit certè Natura
nouum admirata genus edicti:
impium sit parentare,
dum piè addictus es rerum parenti.
diuino sis obnoxius iuri,
si humana solueris iusta.
sed nimirum ei, qui se deuouerit Deo,
rogandi debet esse cura, non rogi.
oderit Libitinam, dum oderit Venerem.
non illud tempus accendendi ignis ad bustum,
sed inflammandæ pietatis ad vitam.
pectus oportuit incendi tæda, non pyram.
scilicet vt liceret immortalitati vacare,
vacui fuistis funeris cura.
religionis candidatos
non decuit esse atratos.
meritò candidiores dicti estis niue,
quanquam tunc maximè feruidi.
nitidiores etiam lacte,
more innocentis infantiæ;
nutriti estis casto religionis vbere,
vt grandior adolescceret virtus.
fuistis ebore rubicundiores antiquo,
dum seruaretur & candor, & pudor.
vicistis ipsos venustate sapphiros:
vel ideò digni ornamento gemmarum,
quòd vestrum in vsum non gemmarunt vites.

COL-

Digitized by Google

# COLLATIO EXTERORVM,

## QVI IVDICIBVS fuere Synchroni.



AD subsellia nunc, & tribunal venio, an ad stationes & castra? vtróque. quid ita? quia qui Iudicia apud Hebræos exercuerunt, ijdem ferè administrarunt bella. Et sanè non parua inter hæc munia cognatio est; penè par, ac gemina laus. parumnè fortitudinis exigi putamus à Iudice? apud Thebanos quidē ad Iudicū abstinentiā significādā effingebātur eorū simulacra sine manibus: at hi multò laudabiliores, qui manus habuerunt, sed vt eas cum hoste conferrent, non vt fidem accepta pecunia desererent, pugnatur in castris ferro, vt spolia rapiantur aurea; at ferreus sit oportet animus Iudicis, ne rapiat aurum; non ille fortius gestiet lanceam tractare, quàm lances; bellator dux instruit aciem, Iudex institutam regit actionem. ille inter tela versatur; hic inter vtriusque partis argumenta. ab Imperatore cauentur hostium insidiæ, à Iudice testium fraudes, hoc tamen discrimine quòd ille prodit in Solem, hic aliquando tenebras amat, vt in Areopago. in campo belli puluere sordidum fieri non indecorum est, in iudicijs auaritiæ omnino fugiendæ sunt sordes. in multis tamen ferè conueniunt Imperator, & Iudex vtramque igitur laudem in Hebræorum Iudicibus coniunctam contemplari licebit.



Digitized by Google

# OTHONIELI
## Duci, ac Iudici, Synchroni.

*Iosue.15.* *Iudic.3.* OThoniel primus post Iosuen non modò Ducis, sed Iudicis munus obijt. hic vel ideò dignus est calamo, quòd vrbem literarum (id enim Cariathsepher sonat) quantumuis arduam, & munitam obsedit, ac cepit. Erat ea vrbs omnium disciplinarum palæstra, siue commune quoddam bonarum artium emporium, academijs, ac gymnasijs frequens, atque antiquitatis monumentis visenda; sed captu difficilis. quamobrē à Calebo polemarcho propositum est præmium ei, qui ipsam caperet, non aliunde depromēdum quàm domo sua, hoc est nuptiæ filiæ. Othoniel inuentus est, qui mira dexteritate vsus literarum vrbe potitus est. nullus certè potuit reportari triumphus ornatior; quippe præter opima spolia, ac trophęa, spectabantur volumina librorum, bibliothecæ, suggestus, & cathedræ, ceteraq; huiusmodi sapientium arma nihilominus ad pulchritudinem, ac decus accommodata, nec bellatorum modò laureæ, sed doctorum. Florebat hoc tempore Linus peritissimus lyristes, & vates, ac propterea Apollinis, atque Vraniæ filius dictus, qui discipulos habuit inter ceteros, Orpheū, & Herculem, vt narrat Herodotus. scripsit Linus de Mundi genesi, de Solis, Lunæq; cursu, de animantium ortu, de arborum fructibus, sed ex hoc magisterio hunc collegit præcipuum fructum, quòd cum aliquando Herculem rusticiùs & absurdiùs canentem, secus quàm ipsum docuerat, audisset, atque acriùs corripuisset, iratus ille magistri capiti plectrum, quod tractabat, vnà cum lyra illi sit, ac miserè fractum necauit. Porro eadem hac tempestate Idæi Dactyli, qui Curetes, & Corybātes dicti sunt, Cybeles furore correpti agitabantur, cymbala pulsantes, capitaq; nutantia saltando iactantes, alios quoque in similem rabiem concitantes: ac primò quidem in Ida Phrygiæ mōte sacra fecerunt, tum in Cretam nauigarunt, & occupato mon-

*Eusеb.* Linus.

Curetes.

monte potiti, hunc item Idã vocauerunt, vbi Ioue infante aluisse dicuntur; ac ne ille vagitu se proderet, inhianti Saturno inter se concursantes, æris tinnitu, & numerosa pedũ cõpositione partũ subduxerunt. aiunt ab Idæis his Dactylis varium ferramentorum vsum inuentum; ijsdemq; tribuitur æris in arma conflatio: atqui nemini æs, ac ferrum tàm præclaro vsui fuit, quàm Othonieli, quippe qui arma ad literarum vrbem capiendam adhibuit: acuit scilicet ferrum in gladium, vt in suam ditionem cederet stylus. Illud autem ad Othonielis Iudicis laudem plurimum facit, quòd in ipsius tempora inciderint illi, quos in iudicando seueritatis nomine mirum in modum iactat Græcia, Minos videlicet, & Rhadamantus: ille Cretensium, hic Lyciorum rex. ac Minos quidem cum Pasiphaen Solis filiam sibi matrimonio iunxisset, non modò ijs nuptijs illustratus nõ est, sed potius inobscuratus; siquidem ex illa minus pudica fœdissimum extitit monstrum, quod obscuro labyrinthi carcere clausum est; apud Inferos verò constitutus dicitur Iudex Minos, nempe is, qui hospitis iura violare solitus, & Ganimedem per vim rapuit, vt scribit Euhemenes; dignus, qui in Inferis crucietur vt reus, non qui sententiam dicat vt Iudex. nec multò iustior Rhadamantus fuit, qui, vt narrat Isacius, ipsa naturæ iura rescidit interfecto fratre, quamobrem profugus in Bœotiæ ciuitates se abdidit. huiusmodi igitur Iudices apud exteros celebrabãtur, cum Othoniel & Iudicem agebat æquissimum, & bella administrabat egregiè; & quanquam non Soli affinis, vt dicebatur Minos, rebus tamen gestis longè præclarior, nempe is qui alteri Lucì successit in munere, à quo exercitum imperium fuerat in Solem.

Minos. Rhadamanthus

*Suidas.*

Axa quoque Othonielis vxor laudum ornamenta suo quasi iure sibi vendicat; quippe & Galebi ornatissimi Ducis filia fuit, & nomen ipsum apud Hebræos ab ornatu sortita est. concessit viro in præmium virtutis bellicæ à patre propositum, cum Othoniel literarum ciuitem armis cepisset. ecquam verò congruentiùs, & accommodatiùs dotem ornatissimæ filiæ tribuere potuit pater,

*Iosue.* 15. *Iudic.* 1.

quàm

quàm literaturam, quæ est animi singularis ornatus? Cele-
*Euseb.* brabatur tũc apud Argos Hypermnestra Danai filia, quæ
Hyperm. sacerdotio fungebatur, habitaq; est Isis, & sacris ipsa Isia-
nestra. cis culta, vt illa apud Aegyptum antiquior. sed in Axam,
potius confluant oportet laudum fontes; quippe quæ im-
patiens aridi soli geminatas aquarum scatebras susq; deq;
manantium à parente impetrauit. Ad hanc item ætatem
pertinent Pandionis Athenien sium regis filiæ miserabili
facto nobiles, Philomela, & Progne; quarum altera à Tereo
Thracum rege violatã defleuit pudicitiam, lingua etiam
abscissa, ne flagitium detegeret; altera Ithyn filium tanquã
bacchicis Orgijs lymphata concerpsit: ac dum Axa hone-
stissimis cum Othoniele nuptijs contractis in vrbe litera-
rũ feliciter degebat, Philomela in tela velut in tabella no-
tis quibusdam, quasi literis iniuriam, ac probrum sibi illa-
tum graphicè describebat.

## *PHINEAE PONTIFICI Synchroni.*

PHinees ea ætate pontificem egit, qua Othoniel ducẽ.
*Num. 25.* dignumq; sanè eo se gessit munere, cùm propter vir-
*Psal. 105.* tutes ceteras, tum propter insigne religionis studium, &
castimoniæ; vtriusque iniuriam seueriss imè, vt par erat, vl-
tus est. nam cum vnus è sua gente ausus esset omnibus spe-
ctantibus ad hostium castra transire, vt per summam im-
pudentiam Madianitico se scorto coniungeret, tàm indi-
gnum facinus detestatus Phinees, in confertos hostes insi-
lijt, ac fœditatem tantam vtriusque nece, ac sanguine eluit.
hoc pudoris studium in Phinee multum abhorret ab im-
pudẽtia eius ætatis hominum exterorum, immò Deorum,
ac Iouis ipsius, à quo hoc ferè tempore gesta commemo-
**Danae.** rantur ea, quæ Danae puellæ probrosè, ac turpiter contigerunt: cum scilicet Iuppiter ad patrandum stupr um ver-
sus dicitur in aurum. atqui tunc Phinees ad simile flagitiũ
vindicandum adhibuit ferrum. viluit potius ille in auro
tanquam libidinis venale mãcipium, cum hic nobilitatus

est

Digitized by Google

est ferro vltor pudoris. Sunt qui referant ad idem hoc tempus Europæ raptum filiæ Agenoris Phœniciæ regis quam idem Iuppiter Sidone rapuerat, atque auexerat, siue, vt est in fabulis, in taurum mutatus, siue naui vectus, cuius erat insigne taurus. itaque Phinees diuinitùs fuisse videtur oppositus tantis eius ætatis maculis, atque probris. Europa. *Euseb.*

## AODDO IVDICI, & DVCI, Synchroni.

AOddus post Othonielem, & bellator fuit, & iudex, qui sicut in iudicijs exercendis æquitatem vtraque lance seruauit, ita in militia ambidexter fuit, vtraq; videlicet manu æquè fortis, ac valens; missus est autem legatus ad Moabitarum regem Eglonem nomine, non minus religioni, quàm Hebræorum populo infestum; quippe qui simulacra Deorum constituerat in Galgalis. itaque Aoddus cum gladium sibi confalsset vtrinque pariter acutũ, (adeo nihil habuit non æquè par, ac simile) eum sub militari recondidit sago; tum remotis arbitris tanquam arcanum aliquid auribus cõmissurus accedit ad regem; designat, ac notat oculis ad ictum eius aluum adipe tumentem (erat quippe obesus, ac pinguis rex ob delicias) in eamq; penitus infigit ferrum; quo necato delecta manu palantes hostes inuadit, atque omnes ad internecionem delet. fuit ea regis Eglonis cædes significatio quædam (vt nostri sapientes interpretati sunt) profligatæ libidinis cuius ille imaginem referebat obesitate corporis, & abdomine inter illecebras enutritus. magnam igitur ex ea cæde laudem est consecutus Aoddus, ac multò maiorem quàm Perseus, & Bellerophon, qui eadem tempestate vixisse dicuntur: nam Perseus quidem Gorgonem confecit, quam mulierculam fuisse aiunt, aut potius insigne scortum; Aoddus verò Regẽ impium, & impurum trucidauit. præterea Perseus rem gessisse fingitur acceptis à Mercurio talaribus, & adamãtina falce, à Plutone quoque galea, & à Pallade siue scuto, siue speculo; at Aoddus à natura ipsa munitus, & quasi factus Perseus. Bellerophon.

Digitized by Google

tus ad pugnam, scilicet ambidexter, Deo quo que iuuante telũ a: mauit anceps, & quolibet adamante durius, vt tur-
Sallian. pem cõficeret tyrannũ. Quid Bellerophon etiã ipsi æqualis? monstrum superauit, Chimæram, hoc est Lyciorum regem (vt alias omittam poetarum ambages) interfecit, qui immaniter tyrãnicã exercebat, naui uectus Chimęræ argumento depicta: cum interim Aoddus non modò regẽ infestis armis Hebræorum oppida depopulantem, sed vno prælio decemmillia hostium, qui omnes robusti, & fortes fuisse dicuntur, ita deleuerit, vt nemo supereſſet nũcius calamitatis; quæ res Moabitis tantum terroris incussit, vt deinceps se commouere ausi non sint; itaque octoginta ipsos annos Hebręi quieuerunt; nec mirum, quòd Aoddo rẽpublicam gubernanti nihil acciderit sinistri, cum esset ambidexter, quo munere cum tunc Bellerophon careret, in miserabilem illum incidit casum, sua videlicet manu fatales literas perferendo. Inter hæc dum Aoddus captiuis illudit hostibus, & bellicis coronis victor ornatur, Isthmia instituũtur apud Corinthũ, hoc est ludi Melicertę, siue Polęmoni, siuè Portuno marino numini dicati; in quibus qui vicissent, apio primũ, postea pinu coronari soliti sũt. adeò infelix illa ætas in maximo salutis naufragio portus Deo cultum exhibebat, vt in ipso portu fieret iactura. Eodem quoquẽ fere tẽpore Zamolxis in Scythia Gothis leges tradidit, qui tanta apud ipsos auctoritate fuit, vt in Dijs numeratus sit; at frustra humanas accipiebant leges, cum diuina iura violabant; Aoddus autem tunc se verum iudicẽ agere putauit, cum efficeret, vt diuinis legibus parerent humanæ: de Eglone rege, vel eam ob causam repetit pœnas, quòd simulacrorũ esset præcipuus cultor. Præter hæc extitere sub Aoddo apud exteros, vates insignes; in primis apud Apollinem pythium vaticinata est Phemonoe hexametris versibus; Elisa item Sibylla Libyca multa cecinit. Amphiaraus quoque vates celebratur, scilicet is, qui ne ad bellum Troianum proficisceretur, vbi se periturum præuidebat, delituit; nec tamen præuidit, se ab vxore prodendum. tandem absorptus dicitur à terra, cum interea Aoddum bello inclytum fama efferret in cœlum,

Phemonoe.
Elisa.
Amphiaraus.

SAN-

# SANGARI BELLATORI Synchroni.

SAngar, quem nonnulli inter Iudices recenſent, poſt Aoddum ſui ſpecimen dedit ſanè præclarum; nàm cũ ab illius morte hoſtes in ſpem prædæ veniſſent, atque excurſionem licentiùs facere auderent, huic, vt erat tùm in agro, telum fecit ira vel ruſticum; ſiquidem armatus non enſe, ſed vomere inſiliit, ac ſexcentorum hoſtium corporibus quaſi glebis ferro conſciſſis, in eorum vulnerum ſulcis iecit ſuæ ſementem gloriæ. itaque exceptus eſt poſt victoriam cum vomere laureato. adeò tanquam triumphalis arator eſt habitus, qui collegerit è bellico campo laborũ fructus, ac lauream decerpſerit ex ijs arboribus, quas in ſuo agro excoluerat illo ipſo vomere, quo cæcidit hoſtes. Et verò illud animaduerſione dignum eſt. quòd circa hæc tempora in Eleuſine Atticæ regione Triptolemus celebratus eſt, quanquam eum nonnulli, ad Ioſephi tempora retulerunt; nimirùm poſterior Græcia, quæ ab Aegyptijs acceperat, alijs attribuit; is quidẽ primus ibi vomeris, & aratri vſum oſtendit, ac longa naui vectus, vt ait Philochorus, quæ ſerpentis geſtabat inſigne, frumẽta populis diſtribuit. luſit in hoc ſuo more Græcia; ſed hic tunc erat literis commendandus, qui duplicem vomeris oſtendit vſum, non ruſticum modò, ſed bellicum, non ad colendam tantùm terram, ſed ad excolendam gloriam, qui & manu conſereret laurum, & capiti aſſereret lauream.

*Iudic. 3.*

*Euſeb. Hiſt. ſcholl.*

Triptolemus.

# DEBORAE, Baraco, ac Iaheli Synchroni.

DEbora lectiſſima fœmina, & prophetis egregia conditionem, qua nata eſt, virtute ſuperauit. exercebat iudicia, decernebat de bello; & vt eſſet ſimul auſpex victo-

*Iudic. 4.*



Digitized by Google

riæ, id agebat sub palma, arbore videlicet triumphali. neq; verò quicquam congruentiùs fieri poterat, quàm vt hæc heroina cum Iudicis munere fungeretur, pro tribunali haberet palmam: est enim (vt Sapientes adnotarunt) hæc arbor imago quædam æqualitatis, atque iustitiæ; quippè quæ foliis maximè æqualibus viret, ac fructus edit pari cum foliis æquamento, præter hoc incorrupta est palmæ materia, ac propemodum expers senij; perinde ac decet incorruptos esse, neque aliorum arbitrio flecti, qui administrant iura. renititur quoque ponderibus, & in aduersum resistit, quod facere Iudices debent, vt eluctentur in eos, qui per vim agunt. Deboram igitur Baracus dux è tribunali eduxit in campum, & ex umbraculo palmæ arboris in Solem; diceres, & appellares eam matrem castrorum, quod postea nomen sibi vsurpauit Faustina Augusta Antonini vxor. hoc certè matris nomen Deboræ ipsi in suo epinicio placuit. Sibylla hoc tẽpore canebat, atq; omniũ ore celebrabatur, insignis Persicæ vocabulo, præsaga eorũ, quę euentura erant. quid autem Deboræ vel oraculis certius, vel carminibus elegantius? quid eo pæane, quo victoriam celebrauit, grãdius? Eumolpus quoque poeta egregius ac Tiresias vates ad hæc tempora referuntur; sed hic vt cæcus non nisi cæca fudit oracula, in illa scilicet ignoratione veræ diuinitatis; ambobus autem præripuit canendo palmã Debora sub palma sedens. Ac vide communis hostis, vel inuidiam, vel vafritiam; nam dum Debora prophetis sanctissima oraculis, ac vaticinationibus inclyta florebat in terris, suscitauit ipse eodem tempore diuinaculos, atque haruspicinam instituit superstitionis matrem hoc ostento. Cum in agro Tarquiniensi terra araretur, & sulcus altius esset impressus, repente de gleba quidam puerili specie, sed virili prudentia extitisse dicitur, Teges dictus: eius aspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremq; cum admiratione edidisset, concursus est factus, ac tota breui tempore eum in locum Hetruria conuenit. tum is multis audientibus verba fecit, quæ omnia exceperunt, literisq; mandarunt; omnis autem oratio fuit de haruspicinæ disciplina, quam artem mulieres ipsæ deinde edoctæ sunt. quo spectant

Sibylla Persica. *Genebr.*

Eumolpus.

Tiresias.

Teges.

cant illæ Plautinæ percantatrices, collectrices, hariolæ, atque haruſpicæ. oportuit igitur Deboram illuſtrem pietate, religione, ac vaticinijs fœminam eius ſeculi monſtris, quæ ſuperſtitio pariebat, opponi.

Baracus verò inter fortes, & virtute inſignes heroes numeratur in ſacris literis: hoc pugnante Debora victoriæ parabat inſignia ſub palma decumbens, ramos videlicet inde decerpens ad decus triumphi. nihil illuſtrius Baraci victorijs, quippè de cœlo dimicatum dicitur, & per ſtellas depugnatum in ſuo quaſque ordine ſtantes militari more; ſiue quòd ignitis quibuſdam formis, vt in meteoris accidit, deterriti hoſtes diuinitùs ceſſerint, ſiue quòd exorta repente tempeſtate cœlum in ipſos exarſerit fulgetris, atque fulminibus; idque Baraci nomini eſt maximè congruens, quia videlicet Baracus apud Hebræos à fulgurando dicitur; multò enim ante quàm Scipiones in Romanis, in religioſis Hebræorum caſtris extitere belli fulmina. Floruit hac itē ætatę Mars Italus; (quippe nō pauci hoc ſibi nomē vſurparunt) ſed dum Mars in Italia fragore tonabat armorum, Baracus fulgurabat ſpiculis è cœlo miſſis. pugnatum igitur eſt in Palæſtina ſine Marte felicius, vbi Debora Palladis, ſiue Bellonæ locum, maiore cum laude, vel ſapientiæ, vel bellicæ virtutis, tenebat. *Abut.* *Mars.*

Iahel quoque admirabilis cùm fortitudinis, tùm conſilij fœmina præcipuum in hoc bello per Baracum geſto ſibi gloriæ partem vendicat meritò, ac iure. hæc quippè hoſtiū duci Siſaræ ſanguinem ſitienti lac propinauit. quid ni dicatur hæc peperiſſe victoriam, quæ fuit miro modo victoriæ nutrix, dum hoſtem aluit lacte! ſcilicet hæc, vt in bellē faceret hoſtem, fecit infantem; Ducem, qui ſe adoleuiſſe gloria putabat, & paruiſecit, & declarauit paruum poſt hæc caput penè laureatum horribilius concuſſit clauo, quàm ſi adhibuiſſet Alcidæ clauam. Alcide proinde ipſo, qui tunc viuebat, vel generoſior heroina, vel fortior. efficacior fuit ictus impreſſus malleo, quàm gladio. alitur igitur Iahelis memoria etiam nunc apud poſteros eodem lacte, quo vicit. *Alcides.*



Digitized by Google

# GEDEONI
## Iudici, ac Duci Synchroni.

*Euseb.* GEdeoni autem strenuissimo duci, quem exterorum sa-
Argonau tæ. ciam parem? viuebãt tunc Argonautæ illi celeberri-
mi heroes, è quorũ numero Hercules fuit Iã expeditiones
ab ijs factas ad vellus aureum rapiendum in Gedeonis tẽ-
pus incidisse nonnulli putant; quo scilicet tempore hic in
vellere prodigiosè siue madente, siue sicco rerum admira-
*Iudic. 6.* bilium typum, & argumentum accepit. viluit deinceps vel
lus illud Argonautarum, quamuis aureum cum hoc collatum: nihil enim rapinæ, nihil auaritiæ datum. illi in nauigando, hic in hostibus debellãdis occupatus, & quod sum-
mis laudibus efferẽdum est in superstitione delenda. enim-
verò tam acre bellum Gedeon Deorum simulacris indi-
xit, vt ex ijs confractis, & comminutis triumphale nomen
acceperit, ac deinceps Ierobaal, hoc est Baalis idoli de-
Orpheus structor sit appellatus: cum interea Orpheus, qui vnus ex
Argonautis fuit, impia Deorum initia, ac mysteria doceret.
canebat alter lyra, sed alter magnificentius tuba. ille in
odeo, hic in campo; ille plectrum agitabat, hic gladium,
eaq; bella gerebat, quæ sufficere potuissent alteri præclario-
rem canendi materiam. ac Gedeon quidem ita rem belli-
cam administrauit, vt totus videretur addictus aris, ac sa-
crificijs, cum contra Orpheus non caruerit suspicione ma-
*Pausan.* gicæ artis in saxis, arboribusq; trahẽdis. dicitur etiam Aor-
num adijsse, vbi peruetus erat per Vmbrarum euocationẽ
oraculum, vt Euridicen vxorem educeret ex Inferis; sed
oblatum tantùm est eius inane spectrum, cum se veram
Euridicen sequi putaret. itaque cum se delusum animad-
uertisset, manus sibi attulit, mortemq; ipse consciuit. quã-
quam alij à bacchantibus mulieribus discerptum narrant,
quod ipsarum viros abstraheret cãtu. Aequalis quoque Ge-
Dedalus. deoni Dædalus fuit, qui admirabili rerum artificio morta-
lium oculos suspensos tenebat; lignea enim simulacra pri-
mus

Digitized by Google

mus tam affabrè compegit, vt inambularent. celebratur in primis eius Venus, quæ hydrargiro infuso pedes motabat. aues quoque ligneas certis librabat pōderibus, easq; tanquā animatæ essent, passis alis per aerem volitantes ostendit; sed hæc ludibria quędam oculorum fuerunt, neque vlla inde vtilitas emanabat: at quantò admirabilior panis ille hordeaceus per aerem in somnis volitare visus cuidam è militibus, qui instar bellicę machinę in hostis tentoria delatus ea prorsus euerteret, & castra turbaret? quamobrem placenta illa gladius dictus est, & Gedeonis, & Dei. Labyrinthum item Dædalus ædificauit perplexis parietibus, & cellis inter se recurrentibus inobseruabili errore subeuntium: at Gedeon militaribus stratagematis vsus ita implicuit hostem, vt se explicare nequiuerit: cum videlicet testaceis vasis tædas recondidit, tum ijs repente confractis, ac facibus emicantibus perterrefecit hostem, ac subito impetu belli perculit. Ad Gedeonis quoque tempora referunt, quæ de Sphinge, & Oedipode, dicta sunt, quorum in gryphis, & ænigmatis soluendis acre ingenium admirata est vetustas; sed quantò occultiora, & verò sacratiora Gedeoni sunt oblata mysteria? siue conflati panis in gladium, siue velleris modò rosidi, modò aridi, non sine arcana significatione futurorum. Sphinx. Oedipus

Porrò sortitus est Gedeon Abimelechum filium omnino degenerem, quem insitæ à natura pietatis oblitum, & immaniter in septuaginta fratrum cæde grassantem mulier interemit vlta impietatem, non ferro instructa, sed saxo; & meritò quidem, congruenterq; res acta; quippè is fratres supra lapidem victimarum more, sed impiè iugularat. cum igitur turrim quandam hic oppugnaret, mulier tanquam ex alta specula eius caput, quo consilia cędis agitabat, conspicata, ingens molæ fragmen deiecit, quo cerebrū oppressit, & contudit. conatus est ille, sed frustra, moriens effugere dedecus accersito armigero, à quo confoderetur, ne diceretur occisus à fœmina, sed interijt proprijs confossus armis, quæ fraterna infecerat cæde. acta sunt hæc quo tempore à Philemone in Græcia inuētus est chorus, instrumentū videlicet ex pelle cōfectum cū vicutis ęreis duabus, Philemō Hist. sch. per

per quarũ alterã accipitur ſpiritus, p alterã redditur ſonus. quid autem ab ſurdius fieri potuit, quàm dum noua concentuum genera excogitabantur in terris, Abimelechus ipſam naturæ harmoniam deſtrueret fratribus cæſis? quanti verò animi fuit mulier, quæ ipſum lætitia geſtientem, ac
Iaſon. penè triumphum agentem oppreſſit lapide ſupernè deiecto? quantò hoc præclarius factum, quàm quod de Medea,
Borgom. quæ ſub idem tempus incidit, poetæ fabulati ſunt: cum cecinerunt ab ipſa veneficijs inſigni demonſtratum Iaſoni modum, quo cripedem taurum, ignemq; ſpirantem vnà cũ dracone conficeret, ecquod autem tàm immane monſtrũ fingi poteſt, quod cum Abimelechi immanitate conferri queat? ſed repetijt pœnas mulier, natura quidem mollior, ſed propoſito durior, non alijs videlicet armis munita, quam ferro.

## RVTHAE, ET BOOZO
### Synchroni,
### Sub Thola Iudice.

HOrum cõiugum virtus inter tædas ipſas thalami pulcherrimè ſplenduit. nam Rutha quidem & paternã domum, & patriam ipſam, & quod præcipuè laude dignum eſt, relictis gentilibus Dijs, & Penatibus, atque Laribus, denique ſuperſtitione omni, Noemin ſocrum yltro ſequi voluit ad peregrina loca tendentem. inſignis verò animi demiſſio ſpectata eſt, ſiue cum ei, quem virum appetebat, ancillæ more ſeruiuit, vltima ſequuta metentium in agro veſtigia, ſiue cum ad ipſius Boozi accubuit pedes. atque is à fortitudine congruenter acceperat nomen (Booz enim hebraicè robur eſt) quippè qui non ante puellam admiſerit, quam alter coniunctior ex ſacratarum legum præſcripto propinquitatis iuri cederet; neque ad frangendum robur animi quicquam aut ſolitudo, quã nactus erat, nocturneq; tenebræ, aut impunitas valuit illecebræ. maior planè in-
Geryon hoc fortitudo, quàm in Geryone, qui ea tempeſtate viue-

bat,

Digitized by Google

bat, ac tricorpor est dictus. Vigebant tunc etiam Medeæ veneficæ artes, quibus & Boozi castimonia, & Ruthæ pietas opponebantur. porrò ex his genitus Obedus ad Dei nascentis prosapiam pertinet: ex quo apparet quàm illustres illę fuerint tædæ, quæ orienti prælatę sunt Soli. Celebratę hac ætate sunt Pirithoi nuptiæ, sed plenæ furoris, atq; libidinis, ob Lapitharum videlicet, & Centaurorum pugnam, cum sponsam rapere pro se quisque certaret. ac Cētauri quidem bimembres, atq; semiferi humana facie, & equino tergo dicti sunt, quòd inuentores fuerint ephippiorum, atque frenorum, cum potius ipsi ad incestam voluptatem adhinnientes maximè omnium effrenes visi sint. Quo item tempore Chiron vnus è numero Centaurorum cum medendi artem profiteretur, huic suorum vulneri, siue vlceri, quod acerbissimum, & fœdissimum est, medicinam afferre nesciuit: immo tunc etiam Cyniras Cypri rex Venerem meretricem (quippe plures huius nominis fuerunt) in Deas retulit: quam tantam eius sæculi fœditatem religiosę Boozi cum Ruthæ nuptiæ opportunè eluerunt. Ceterum floruerunt quidem vnà cum Rutha Hierophyle Sibylla Delphica, Sicula, Samia, Rhodia, & Claria, quæ se ἀρτίμιδα indigitauit, & nunc Apollinis sororem nunc filiam iactauit: sed quantò Rutha præstatior, atque illustrior? cum hæc ex sua progenie editura esset eum, cui Sibyllarū omnium carmina, atque oracula seruiebant.

Medeæ.

Lapithæ.

Cētauri.

Chiron.

*Genebr.*

Venus.

Sibyllæ

## THOLAE, ET IAIRO *Iudicibus Synchroni.*

NOn sunt in hac certè collatione cum exteris hi ambo prætereundi silentio, quamquam in diuinis literis nihil de ijs commemoretur, quod apertè præcipuam aliquam contineat laudem. at Thola quidem Iudice Hebræorum respublica pacatè, & quietè habuit, nullo strepitu, ac tumultu, cum interea Salmoneus elatus arrogantia, vt se Ioui ostenderet parem, artificiosis machinamentis fulmina, & tonitrua ederet. Iairus verò post Tholam non modò iudicio-

*Iudic.* 10.

Salmoneus.

diciorum exercendorum æquitate videtur fuisse rectus, sed principatu, & dominatu se ix. multas condidit ciuitates, quas suo nomine dedicauit. numerosam habuit prolem, hoc est triginta filios omnes equitatu insignes. nemo inter eos ex tãta multitudine vt fit, abiectus, segnis, ac deses fuit. singulos autem singulis præfecit ciuitatibus, qui rem administrarent publicam. nec argumentum leue Iairi pietatis est, quòd ipso viuente religio stetit, mortuo populus ad simulacra defluxit, quamobrem irato numine ab hostibus impune sæuitum est. Interim apud exteros Pyrrhus Dędali filius lusoriam pilam primus inuenit otiosorum negotiũ, atque inertiæ, desidiæq; præcipuum instrumentum: cum contra Iairus non nisi principe digna & cogitaret, & faceret, extruendis videlicet, ac tuendis vrbibus occupatus vnà cum prole; perinde atque existimaret ciuitates optimis institutis, ac legibus temperatas Fortunæ, vt dicitur, ludo non esse obnoxias. Hoc item tempore Carmenta mater Euandri floruit, quę dicta est vates Arcadica pangendis carminibus illustris, & quæ latinas literas inuexit in Latium, quas nostris hisce lucubrationibus religioni consecramus.

Pyrrhus.

Carmenta.

# IEPHTAE
## Iudici, ac Duci Synchroni.

IEphtes fortissimus imperator, idemq; iudex æquissimus fuit, quanquam à nonnullis iniquus putatus in filiam, quam videlicet, cum rediret victor ex acie, iuxta votũ acie ferri victimam immolauit; sed venia fortasse religionis ardori danda: ac certè incredibilis in eo animi fortitudo laudanda quòd non pepercerit filiæ: impius videri maluit in suos, quàm à concepta in Deum (vt sibi persuadebat) pietate desciscere. alligauit more victimæ filiam, vt se solueret voto innocentem damnauit, ne reus esset. in puella verò vtrum magis admirere, religionem ne, an constantiam in su-

*Iudic.* 11.

Digitized by Google

subeunda morte; quod posteris tam admirabile, ac spectosum est visum, vt exteri exemplum rei transtulerint ad suos, cum Iphigeniã virginem Agamemnonis, qui hac tẽpestate vixit, filiam ad aram statuerunt, nisi quòd pauidã natura ceruam substitutam fuisse dixerunt, vt Iphigeniam liberarent metu mortis: at quã generosè Iephtę filia ipsa se obtulit neci? non execrata est facinus, non deuouit diris votum, non incusauit patrem. Incidit quoque hæc puella in eandem ætatem cum Helena, de cuius pulchritudine certatũ dicitur etiam inter Deos: sed illustris hæc in sua flamma, qua cremata est; infamis illa in Troiana, quam excitauit; pulcher huius cinis, quia virginis; turpis illius, quia pellicis. Floruerunt etiam huius puellæ tẽpore Amazones, heroinæ scilicet illæ virili robore, ac virtute præstãtes; in primis verò Orithyia, quæ ne successibus deesset auctoritas, generatam se Marte prædicabat. ei præter singularem in re bellica industriam, seruatę virginitatis studiũ laudi fuit; sed cessit tandem Herculi vnà cum ceteris bello deuicta: ita omnem Amazonum gloriam, famamque Iephtę filia superauit, quæ vt parẽtis victoris, ac triumphatoris impleret votum, virgineum collum securi subiecit. adurebant sibi quidem illæ mammas, vt expeditæ essent in pugna; hæc totam se cremari ad aram passa est, vt post pugnã parens Imperator litaret Deo. Supererat hoc quoq. tẽpore Erythręa Sibylla annosissima; iam tum enim, cum Greci proficiscerentur Ilium, vaticinata dicitur; sed spectata in teneris annis huius puellæ virtus maiorem admirationem extorquet. Celebratus est hac itẽ ætate ab Hercule agon Olympicus: Hercules enim primus certamen cursus fratribus per ludum indixit, quem quinquennalem esse voluit, ppter quinque fratres: in eo Iolaus auriga curru vicit, Iasius Arcas equo singulari; Castor, & Pollux cæstibus; Hercules ipse de ludo, & pancratio coronatus est oleastro. quid hoc tempore Iephtes? non ludis vacabat, sed illudebat hosti. non coronatus oleastro, sed vel olea ipsa, vel lauro. Denique, quod prætereundum non est, subductis annorum rationibus in eundem annum incidisse videtur mors Hercylis, & Iephtæ; sed ille furiosus in ignem se conIphigenia. Helena. Amazones. Sibylla Erythręa. Hercules. *Euseb.* *Salian.*

T iecit

iecit, hic triumphalibus spolijs ornatus ritè sepultus: ab vtroque liberi sunt interfecti; sed ab vno furente, ab altero vouente; ille immanitate naturæ impulsus est, hic religione ductus.

## ABESANO, AHIALONI, & Abdoni Iudicibus Synchroni.

Neptunus.

Alcinous.

Agamẽnon.

*Genebr.*

Abesanus quoque videtur dignus, qui certè cum exteris conferatur: nam etsi in sacra historia peculiarem laudationem non habet, tamen si Hebræorum monumentis credimus, tantam æquitatis, ac iustitiæ famam sibi comparauit, vt cognomentum acceperit Iusti. trãquillitate delectatus est, quo ferè tẽpore Neptunus maris Deus haberi cœpit; sed huius virtus laudabilior in componendis reipublicæ fluctibus fuit, quã illius vis in marinis cõcitandis; ita tñ quietẽ hic amauit, vt nõ dederet se desidiæ, nec langueret inertia, quod agebat tunc Alcinous rex Phoeacum; qui totus in hortorum delicijs, & oblectamentis erat occupatus. Regnabat eadem tempestate Agamemnon, pastor ille populorum dictus, Mycenis; gestabat à Vulcano, vt aiunt, fabricatum sceptrum, & clypeum, in quo Gorgonis erat effigies, in vmbilico autẽ draco voluminibus, ac spiris intortus ad terrorem incutiendum; nec tamen his armis ita munitus fuit, quin ab Aegysto Thyestis filio necaretur: cum interim Abesanus æquitate, & ipso iustitiæ nomine tectus rempublicam inuiolabilis administraret.

Paris.

Menelaus.

Ahialon autem tam prudenter, ac piè se gessit, vt neq. ipso Iudice ciues à veri Numinis cultu desciscerẽt, neq. hostis auderet se cõmouere: quo tempore Alexander siue Paris Priami filius in Helenam insaniebat; quam cum rapuisset, tot ac tantas tragœdias excitauit, vt in summis calamitatibus in prouerbium abierit Ilias malorum. Menelaus etiam rex Spartæ dum vxorem repetit, totum Græciç robur decennale conflat in bellum.

Aixa-

Digitized by Google

Ahialonem consecutus est Abdon, de quo, quemadmodum item de parente, licet peculiare nullum in diuinis literis extet elogium, videtur tamen non degenerasse à maioribus, & magna cum tranquillitate omnia moderatus, scilicet cum procella Troiani belli immaniùs detonabat, cum tota Asia armorum sonitu circumstrepebat, cũ tota Phrygia, Mysiaque vastabatur, ardente Priami regia, atque Ilio in suis cineribus consepulto.

## SAMSON I.
### Iudici, ac bellatori Synchroni.

SAmson Hercules alter est habitus; à sterili matre conceptus, sed fœcundus ipse gloria. quid eo firmius, qui inter columnarum amplexus occubuit? quid eo fortius, qui vnus cũ esset, triginta simul hostes dedit inferias suorũ Manibus? qui iumenti maxillam vertit in clauam; ingentis edificij valuas humeris imposuit pro trophæo; taureos neruos, ac funes, vt aranei telam dissipauit, atque difflauit, quàm formidãdus hic hosti, cuius coma pro fatali cometa fuit? quàm callidus stratagematum auctor, qui non militũ manus, sed vulpium caudas armauit? qui vsus osse pro ferro, dente pro gladio? quanti denique spiritus fuit, qui non nisi inter strages hostium expirauit? Laudetur verò Polydamãtis illius athletæ præclarissimi robur, qui in subita tempestate speluncam subire coactus, cum incursu torrentium aquarum labefactata rueret, ceteris comitibus fuga elapsis, solus restitit, tanquam humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus, sed pondere immaniore pressus defensam latebram habuit sepulcrum, meritò demens habitus, qui vellet è tenebris specus sibi gloriæ lumen accendere, & è casu rupis in altum caput attollere. Milo verò Crotoniates, cùm iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus accessit; insertisq. manibus diuellere conatus est, quas arbor excussis cuneis in suam naturam



Digitized by Google

reuocata compressit, eumq; cum tot gymnicis palmis lacerandum præbuit feris: ita ille infelici arbori velut insertus est infelicior ramus. percepit ex arbore discissa amarissimos laboris fructus, cum cõtra Samson ex leone conscisso perceperit dulcedinem mellis. quære quid emolumenti eo conatu Polydamas, aut Milo spectarint; planè nihil; at Samson libertatem, & decus suorũ: antecedat igitur illis Samson gloria, sicut anteceſſit ætate. tametsi sapientes exteri ita habuere persuasum, nimio robore membrorum aciem mentis hebescere, nec posse eundem, & valentissimum esse, & sapientissimum, abnuente Natura, nè vtriusq. boni largitio supra mortalem felicitatem sit. at quis hebescentem dicat Samsonis aciem etiam exoculati? qui tam multa vidit ex ijs, quæ inaudito robore agebat, promanare in suam gentem commoda. denique ne omnia, quæ plurima, & admirabilia sunt, consecteris, quàm illustris, atque præclarus fuerit hic heros, habes ex ipso nomine, siquidem Samson Hebræis est, Sol eius, scilicet gentis; nisi quòd aurea coma Sol fingitur; huius comam, si vim, qua præstabat, consideres, adamantinam dicas, aut ferream. Solis item vis in leone maximè viget; Samsonis virtus contra leonem viguit: ac Solis quidem leo caloris vehementia molestiam exhibet, huius leo cum mellis dulcedine exibuit voluptatem. quanquam illud sanè miserabile spectaculum cuipiam videri possit, quòd Sol hic muliebri delinitus illecebra pro orbita illa cœlesti versare sit coactus trusatilem molam, sed hæc significatio quædam fuit arcana, & rerũ sublimiorũ typus. Non est tamẽ silentio prætereundum ad hæc tempora referri quæ de Scylla, & Charybdi prodita sunt. diceret fortasse quispiam in hæc ipsa quodammodo incidisse mõstra, in hos offendisse scopulos Samsonẽ, cum incidit in Dalilã: enimuerò, vt sapientes narrãt, meretricia lenocinia, quibus nauigantes alliciebant, cum Scyllam, tum Charybdim ad monstri fabulam traduxerunt. Quid q; hac ipsa ætate Sirenes fuerũt? quæ item insignia scorta dicta sunt, solita pellaci cantu, & amatorijs verbis viatores ad se pellicere, ac demũ perdere. illeuisseaute dicitur prudẽter Vlysses sociorũ aures, & obduxisse cera,

*Val. Max.*

*Euseb.*
Scylla.
Charybdis.

Sirenes.

erat

erat hæc certè cera in promptu Samsoni, quippe eam ille ipse, quem occiderat, leo ore offerebat; sed desipuit etiã in melle. Iam ne quid omittam, quod ad rem facit, hoc itẽ tempore viuebat Circe illa venefica, ac famosa præstigijs mulier, neque tamen hæc tantum detrimenti, atque dedecoris Vlyssis socijs attulit, cum eos, vt aiunt, in leones commutauit, ac lupos, quantum Dalila, cum fortissimum heroem, & leonum domitorem, at tot rerum gestarum gloria florentem vilissimi iumenti more ad pistrinum adegit: in quo vel illud turpe fuit, atque indignum, quòd qui iumenti maxillam armauit aduersus hostẽ, atque inde admirabiliter profluere iussit aquas, exarmatus viribus damnatus sit ab ipsis hostibus ad iumenti laborem, manans, ac diffluens ipse sudore. quanquã, hæc omnia vti diximus. ita sunt ab illo gesta, vt ad mystagogiam, & honestissimarum rerum argumentum referenda esse videantur. Circe.

## *HELI PONTIFICI, AC IVDICI itemq. Samueli, & eius matri Annę, Synchroni.*

HElis dum impensius patrem agere, quã Iudicem studet, in tribunal ipse incidit diuinum; amisit liberos, quos non erat ausus increpare liberiùs, confossi sunt hostili ferro, quos molliùs tantùm lingua pupugerat. caret quidem ille in sacris literis pleniore elogio, qui in castigãdo parcior fuit eloquio: non tamen illud videtur vacare laude, quòd audita acri sentẽtia, quæ in ipsum est dicta, nõ detrectauit mulctam: accepto autem nuncio de capta Arca, ita commotus est non animo modò, sed corpore, vt resupinus de Põtificia sede ceciderit, & solo caput illiserit, illud, inquam, caput, quod sacris insulis, & ipso Dei nomine solebat ornare.

At verò Anna Samuelis mater virtutibus fœcundior, quàm prole fuit. nunquam tàm sobria, quàm cum ei obiecta est ebrietas; nunquam tàm amans filij, quàm cum ipsũ

è sinu

è sinu, gremioq; suo abstraxit, vt numini cõsecraret statim, quem acceperat serò. Orestes hoc tẽpore errabat insanus, & Furiarum tædis ardentibus agitatus ob paricidium, cũ Clytemnestrã matrem necasset. ducebatur autem à Pilade ad Tauricæ Dianę aram, vt expiaretur, vel potius alterã quoque contraheret labem superstitiosi cultus, maculosæ videlicet Deæ: at Oresti paricidę oppositus tũc est Samuel etiamnum puer, matris non minus pietate quàm lacte nutritus, & ab ea ministerio sacrorum dicatus: Clytemnestrę autem adulterio, cuius caussa interfecta est, Annæ ipsius singularis pietas, & matronalis stolæ pudicitia ex aduerso steterit.

Oreſtes. *Genebr.*

Iam Samuelem penè lactentem sibi vendicauit religio, puer erat, cum minaci vaticinio exterruit indulgentiorem erga filios hierarcham senem; at cũ adoleuit ætate, exterruit etiam Regem summo Imperatori minùs obtemperãtem, eumq; etiam mortuus, per speciem euocatus propè exanimauit metu, ipsaq; vmbra sempiternam regi denunciauit noctem; quo exaugurato Dauidem regem nec opinãtem inaugurauit. Hoc autem ferè tempore, quo Samuel nouum apud Hebræos constituit regnum, cum antea penes Iudices esset administrandæ reipublicæ ratio, apud exteros item noua quædam regna sumpserunt initium, Lacedæmoniorum videlicet per Euristheum; & Corinthiorum per Alethen quẽdam luctatorem, qui Corinthum secundò condidit, vel certè amplificauit. ac Saulem quidẽ regem ipsa mole corporis, & robore præstantem nemo, Samuele præsertim alipte, lucta, pugnauè vicisset, nisi ausus esset temerè obluctari Deo.

Euriſtheus. Alethes, *Genebr.*

OTHO:

Digitized by Google

# OTHONIEL

Iudex, & Dux.

Synopsis. *Expugnauit hic ciuitatem literarum, quæ hebraicè dicitur Cariathsepher. ferunt enim in ea varias fuisse literatorum hominum academias, ac gymnasia; eius victoriæ dignitas, ac triumphus describitur.* Iudic. 1.

## ENCOMION 44.

Tuo tibi iure vendicas, heros inclyte,
& calamum, & literas,
quippe qui tua cepisti manu
ciuitatem literarum.
tametsi tunc sibi literæ visæ sunt liberæ;
cum à te sunt factæ captiuæ.
vicisti acie gladij acumen styli,
vt materiam sufficeres stylo
laudandi tui.
nullus eo triumpho pulchrior fuit,
in quo laureatus Imperator
laureatas tulisti literas;
pro spolijs barbarorum opimis
infensam barbaris bibliothecam.
Capitolij locus Musèum fuit.
certarunt tubæ cum lyris,
sceptra cum plectris.
tot in tuas laudes soluisti linguas,
quot alligasti literatorum manus;
cepisti bello etiam Syriæ Regem:
sed nihil in pompa spectabilius fuit,
quàm Regina,
Sapientia videlicet de triumphatore triumphans;
ipsa tibi intexuit victori coronam,
quia sapienter est victa.

AXA

# AXA

## Othonieli desponsa.

Synop. *Filia hac fuit Calebi polemarchi, quam despondit ei, qui uicisset Cariathsepher, hoc est ciuitatē literarū. nupsit igitur Othonieli victori, qui itē Iudex fuit. impetrauit autem Axa à patre irriguum locū aquis, susq; deq;*

Iudic. 1.

## ENCOMION 45.

Ex Hebr. etym.

Ab ornatu puella es meritò dicta,
cui & pater, & vir ornamento fuere,
ambo inclyti bello Duces.
nulli sponsæ tam ampla dos obtigit,
capta videlicet vrbs literarum:
non mundum quæsiuisti muliebrem,
sed; quæ dominatur in Mundo, Sapientiam.
pulchrius hac incessisti adornata, quàm gemmis:
pro thalamo ingressa musèum.
nullæ nuptiæ tædas habuere tam claras,
nullum initum tam auspicatò coniugium:
quippe pronuba fuit industria;
discriminalis acus acumen ingenij;
cœlibaris hasta non vna,
sed quotquot à viro infixæ sunt pectori hostium.
non est datus cæco Cupidini locus,
vbi perspicacitas fulsit mentis.
literarias tunc duxit choreas in orbem
Encyclopædia.
hoc tamen vnum præter spem accidit,
quòd inter perennes Sapientiæ fontes
aridum inuenisti solum,
sed impetrasti aquas à parente per lacrymas;
quot ocelli maduere, tot meruisti scatebras, binas.

PHI-

Digitized by Google

# PHINEES

## Pontifex.

Synop. *Pontificium honorem meruit, quòd vltus esset in incestum Iudæum chiliarchum, qui in hostiũ castra transfugerat omnibus spectantibus, vt cum scorto rem haberet: ob eam necem laudatus diuino præconio.* Num. 25. Eccl. 45.

### ENCOMION. 45.

Vt hierarchæ parentis succederes gloriæ,
sacrasti manus cruore, antequam oleo.
vindex pudoris acerrimus
deuotam Cupidini victimam deuouisti ferro;
non minus piè tractasti gladium,
quàm postea secespitam.
laxiorem nactus es aram,
bellicum campum.
ira exarsisti, vt extingueres libidinis flammam.
non eum agnouisti Ducem,
qui deterior erat milite,
captiuus videlicet Cupidinis, & turpe mancipium.
præposuit ille tentorio militari lupanar,
campo, & Soli prostibuli tenebras;
commutauit honestum belli puluerem
cum scorti sordibus, ac cœno.
inimica tibi fuerunt castra non casta.
tunc iram sopisti Numinis,
cum excitasti tuam.
pudori litatum est, licet victima non pudica.
nec semel in incestos est te auctore sæuitum,
quippe oraculi monitu
iterum turpe facinus vlta sunt arma.
mendacem feci sti Græciam,
cum potiùs Mars pugnauit in Venerem:



Digitized by Google

# AODDVS

Iudex, & Dux.

Synopsis. *Fuit hic ambidexter. Eglonem Moabitarum*
Iudic. 3. *Regem Hebræis infestum interfecit, producto gladio ancipiti, quem subter sagum in dextero femore abscõderat. ita diù res quietæ fuerunt.*

## ENCOMION 46.

Prodiga fuit tibi Natura donorum,
quia vtramque armauit manum
pari robore.
nihil tibi poterat siniſtrum accidere,
cui siniſtra non fuit,
certauit robore læua cum dextera,
vt omnes certando peruincĕres.
non opus tibi clypeo fuit,
cui alteram insereres manum.
splendebat vtrinque mucro, non vmbo.
ancipitem tibi fabricatus es gladium,
vt victoria esset certa, non anceps.
pertimuit hostilis exercitus acies
duplicem vnius acinacis aciem.
in Eglonem Regem adipe crassum
subtilitate te mentis ornasti:
quippe fictos colenti Deos
finxisti ferre te munera.
apud ipsa simulacra Deorum
simulasti fœdus,
vt fœdissimum ferires
veritatis hostem.
omni fuisti arte dexterior,
cum Rex inertissimus te ambidextrum
sensit sibi siniſtrum.

SAN-

Digitized by Google

# SANGAR

Bellator.

Synop. *Nonnulli & hunc inter Iudices numerant. defensor fuit suæ gentis percussis ex hostibus sexcentis, non aliis usus armis, quàm rustico vomere. id insuetum teli genus, & victoriæ magnitudo commendatur.* Iudic. 3.

## ENCOMION 47.

Bellatorne, an arator fuisti felicior?
collegisti vberem laudis segetem:
non gladio pugnasti, sed vomere.
rustica sumpsisti arma,
vt vrbanam excoleres gloriam.
exarasti altiùs hostium corpora,
vulnerum sulcis.
per aratrum factus es dignus,
quem commendaret posteris fama
stylo literis exaratis.
fecisti, ne postea insolenter Roma iactaret
proscissam à Senatore tellurem
vomere laureato.
elicuisti è venis hostium sanguinem,
vt eo quasi per elices ducto
progerminarent feliciùs lauri.
vertisti pacis insigne
in instrumentum, & ornamentum belli.
industrium prætetulisti colonum,
sed egregium egisti Ducem:
sexcentos vnus comminuisti hostes.
obtusus visus est gladius Martis,
cum vomerem exacuisti tuum:
magis hic exsplenduit attritus in agro,
quàm ille extritus in campo.



Digitized by Google

# DEBORA

Iudex,& Prophetis.

Synop. *Vaticinata est sedens sub arbore palma. à Baraco Duce diuinitùs parta victoria cecinit epinicion, in quo ipsa se gentis suæ matrem dixit. eius nomen hebraicè Apem significat.*

Iudic.4.

## ENCOMION 48.

Vera mater es dicenda castrorum,
quæ triumphalem tibi peperisti laudem.
inter ferrea captiuorum vincula
alligasti aureum numeris carmen.
inter milites laureatos
duplex tibi obtigit laurea,
quia fuisti & bellatrix,& Vates:
oraculo præcinuisti victoriam,
ore cecinisti victores.
non inane tibi fuit inditum Apis nomen,
quia & execrationis aculeum erexisti in hostem,
& ad prælium acuisti tuos.
inter amarissimas impiorum strages
carmen piè fudisti melleum.
iura quoque dixisti mulier viris
sedens sub palmæ arbore:
aptum iudicijs accommodasti tribunal,
nam & recta fuisti,& palmæ instar erecta.
flectere vocem didicisti,non mentem.
sub vmbra cubans milites euocabas in Solem,
dabas victoriæ omen ex palma,
decerpebas victoribus ramos.
spretæ sunt Dodoneæ columbæ
fundentes oracula è glandifera quercu;
cum tu funderes è triumphali palma.

BA-

Digitized by Google

# BARACVS

Dux.

Synop. *Barac hebraicè fulgur est. hoc præsetulit in pugna. quanquam de cœlo potius dimicatum, & stellæ contra Siſaram pugnasse dicuntur, tonante videlicet cœlo cum igneis meteoris, vt quidam interpretantur.* Iudic. 4. 5.

## ENCOMION. 49.

Quid tua vel clariùs virtute, vel fortiùs,
qui nomen ducis à fulgure?
tonuisti videlicet belli fragore,
coruscasti victoriæ prodigio.
pugnatum est à stellis in hostem:
non arma terrigenæ mouerunt in cœlum,
sed in terrigenas armauit se cœlum.
quàm illustrem dicemus te Ducem,
qui cœlestes accendisti faces?
non vt significares hostem,
sed vt perderes.
nempe tuis militauere stipendijs,
non tàm milites virtute clari, quàm sidera.
astra tecum metata sunt castra.
exarsisti ad pugnam vnà cum cœlo.
tibi aureum gladium distrinxit Orion,
tibi iacula suffecit Arcitenens.
hostilis exercitus cornua Taurus inuasit.
sub luce siderea pugnans
offudisti sempiternam hostibus noctem.
inter belli fulmina
nihil aptiùs potuit versari, quàm fulgur.
& inuictus fuisti imperator, & mirus:
quia duo inter se aduersa iunxisti,
& fulmen, & laurum.

IA-

# IAHEL

Matrona:

Synop. *Fugientem Siſaram excepit hoſpitio. ſitienti lac dedit, & in phiala principum butyrum. tum dormienti clauo trãsfixit tempora: interim domeſticis triumphos, & thalamos fruſtra meditantibus.*

Iudic. 5. 6.

## ENCOMION 50.

Confeciſſe per te noua dicitur bella
Imperator Deus,
quòd ab imbelli fœmina ſit parta victoria.
plus egiſti domi, quàm foris:
domus & campus tibi, & Capitolium fuit.
malleum accepiſti pro gladio,
non modò vt ferires hoſtem,
ſed vt ſculperes tibi ſigna victrici.
non alio tua facta cœlata ſunt malleo,
quàm quo cœlatum ſtramine contudiſti hoſtem.
præclariùs de te facinus memorat fama,
quàm de Alcide.
meliùs tu monſtra domuiſti ferreo clauo,
quàm ille lignea claua.
confixiſti tempora,
quæ videlicet ille deſtinauerat lauro.
non viruit frons fronde, ſed rubuit cæde.
vxor parabat victori pyramidem,
tu victo pyram.
illa genialem ſternebat torum,
tu emortualem.
lac propinaſti, vt eliceres ſanguinem.
inuicta dici poſſes Amazon,
niſi mammis lacteſceret virtus,
quibus partam aluiſti victoriam.

CE-

Digitized by Google

# GEDEON

## Iudex,& Dux.

Synop. *Ab vno Cœlitũ salutatus est, quo virga sacrificiũ tangente ignis emicuit. simulacra Deorũ confregit,quã-obrẽ Ierobaal dictus.panis subcineritius eius gladius vocatus. aquã lambentes ad pugnam elegit facibus vsus.* Iudic.6.7.

## ENCOMION 51.

Salue heros non meo præconio, sed Cœlitum,
quorum vnus fortissimum te dixit virorum.
dum exiguum excuteres triticum,
electus es Imperator,
omen fuit colligendæ gloriæ messis.
accepisti quoque victoriæ omen ex victima,
qua iussus es facere.
non tu aræ subiecisti ignem,
sed prosilijt mirè de saxo
contactu virgæ.
vtrius virgæ dicam prodigium maius,
eiusnè, quæ de arenti lapide vndam,
an huius,quæ protulit ignem?
hinc scilicet tibi animus exarsit ad pugnam.
Sed visus es statim homine maior,
cum bellum indixisti Dijs:
non aggerasti montibus montes
more Titanum,
sed vnum fecisti aggerem
ex ara videlicet,simulacrisq; confractis,
vt tumularent ipsi se Dij.
illa,quæ prosilijt flamma de lapide,
incendit te in signa lapidea.
Immolare iussus es taurum numini vero,
quem pater destinauerat falso.

Macte

Digitized by Google

Macte pietate qui mactasti victimam
impiè deuotam:
vt afferres parenti vitam,
sacrilegam iugulasti hostiam.
acriora obtulit domus bella quàm campus,
quia pugnatum cum domesticis Dijs,
facilior deinceps pugna cum ceteris hostibus fuit:
miro tamen vitæ confirmatus es omine,
videlicet cinere,
sed is tibi immortale peperit nomen.
visus est quiescenti militi subcineritius panis
per aerem in hostium castra deuolui,
fulmen fuit illud, an panis?
pauit tuos spe victoriæ,
sed depastus est hostes nece.
in Imperatoris penè laureati tentorium incidens
fulminis illud more disiecit.
accepit in castris panis
nouum nomenclaturæ genus,
dictus est gladius Gedeonis, & Dei.
nempe herbescit initiò tritici spica
culmo erecta geniculato,
quasi vaginis pubescens includitur.
*S. Ambros.* mira vis panis; respersus ipse cinere
*M. Tullius* hostis tentorium redegit in puluerem;
at tibi cessit in alimentum gloriæ:
adoleuisti hoc ad bellicam laudem.
in orbem visus est verti,
vt disceret hostis hunc magis timere
quàm volubilem Fortunæ rotam.
nouo prodigio accessit noua bellandi ratio,
quia iussus es, vt faciliùs vinceres,
dimicare cum paucis.

Spe-

Digitized by Google

Speraſti fore, vt qui lamberent aquam,
hoſtilem quoque lamberent ſanguinem.
mirus delectus militum
eorum, qui biberent canum more,
ſed probata eſt in Deum, velut in herum fides.
cum iuſſiſti accipi pro iaculis faces,
inſtruebas hoſtibus rogum.
nunquam pugnaſti conſtantiùs, ac firmiùs,
quàm cum pro armis vſus es fictilibus vaſis,
vt frangeres aduerſarij vires.
in aquarum receptaculis abdidiſti tædas,
vt lucerent puriùs, & liquidiùs.
fortisnè fuiſti magis, an felix?
cui fluxit ad voluntatem cœlum.
nam aut aruit tibi vellus, aut maduit.
pretioſius vellus hoc fuit perfuſum rore,
quàm illud, quod iactauit Græcia
perlitum auro.
Dictus es ex Gedeone Ierobaal,
hoc eſt impugnans ſimulacra Deorum:
viciſti hoc triumphali nomine
omnium titulos Ducum.
non dictus es ex Arabe deuicto, ſed Erebo;
non ex Africa nutrice monſtrorum,
ſed ex domitis monſtroſis Dijs;
infames eorum ſuccidiſti lucos
glorioſior falce, quàm gladio.
vel hoc dignus corona victorum,
quòd amputaſti quernos, & laureos ramos,
ne in hoſtis Stygij cederent vſum.
non mirum, quòd in milite canũ quæſiuiſti mores,
quia tu quoque acerrimè oblatraſti
in Deos diuinitatis fures.



Digitized by Google

# RVTHA

Vxor Boozi.

Synop. *Hæc è patria, vbi ſuperſtitio regnabat, egreſſa, cũ ſocru in Iudæam venit. dum autem colligit reliquias ſpicarũ in meſſe, Boozo nubit, propinquiore ius cedente, ex horum progenie Chriſtus natus.*

## ENCOMION 52.

Dum relictas à meſſoribus colligis ſpicas,
fœcundior tibi meſſis obtigit gloriæ.
natali ſolo poſthabito,
vbi falſa colebantur numina,
hoc præclarum conſecuta es decus,
vt ex tuo genere naſceretur verum,
nempe id electorum dictum eſt triticum,
tametſi pro mortalium vita
ſiuit ſe falce demeti mortis.
ſponte domeſticos damnaſti focos,
vt orbi terrarum accenderes lumen:
auſpicata es felicitatem ab exilio,
peregrinando ſtrauiſti tibi ad honorem iter.
eas adamaſti connubij tædas,
per quas diſcuteretur tetra caligo.
at is, qui noluit tecum iungi propinquior,
abiecit de more calceum:
ſcilicet nudo inceſſit pede,
qui tanti capitis nudatus eſt munere:
cum ceſſit thalami iuri,
eius ſe progenie fraudauit,
qui iura dat Mundo.
vt virum acciperes frugi,
omen feciſti metendo.
ſpicea corona donareris, vt Ceres,
niſi magis tibi frugalitas eſſet cordi, quàm fruges.

IEPH-

Digitized by Google

# IEPHTES

Iudex, & Dux.

Synop. *Pugnaturus cum Ammonitis votum nuncupauit, quicquid primum occurrisset victori, à se oblatum iri in holocaustum. obuiam habuit filiam; hanc volentem victimæ more mactauit.* Iudic. 11.

## ENCOMION 53.

Perstringis, heros, aciem oculorum acie ferri;
siue gladium intentas capiti hostis,
siue secespitam ceruicibus filiæ.
æquè acerbus, & bellator, & Iudex,
te ferente sententiam
suspensis reis contremuere subsellia.
immo ad tribunal tuum exhorruit Natura:
non licuit patronæ suam tueri clientam.
procurristi celer in campum,
sed præceps in vota;
deuouisti quicquid occurreret primum
redeunti victori:
vt nullam faceres moram pietati,
penè visus es impius.
asperius filiam mactasti, quàm hostem,
quia hanc à cæde etiam victimæ more cremasti.
stupuit ipse hostis atrocitate spectaculi;
non tam se doluit vinci,
quàm pro se victo talem mactari victimam.
non tàm ille tuas exhorruit manus,
cum vidit in se armatas,
quàm cum in filiam.
exardescere visus es magis in aræ cinere,
quàm in campi puluere;
cum vicisses hostes, vincere voluisti Naturam.



Digitized by Google

# FILIA IEPHTÆ

## A patre deuota.

Iudic. 11. Synop. *Insignis huius virginis magnitudo animi ostenditur, quæ cum occurrisset victori parenti vnà cum festo cæterarum puellarum choro, vbi votum eius cognouit, obtulit se victori mactandam.*

## ENCOMION 54.

Quodnam, virgo inclyta iter affectas?
quò te tuus sequitur chorus?
ad campumnè, vt patri occurras victori,
an ad aram, vt occumbas victima?
versatilis iste choreæ, quem ducis, orbis,
suspectus nimiùm est,
quia sic sæpè se vertunt humana,
commutantur læta cum tristibus.
parenti occurris laureato,
sed incurres in cupressum.
pro eo, quod concinis, epinicio,
concinetur feralis tibi nænia.
inter opulenta, quæ capta sunt barbarorum spolia,
spoliaberis vita.
per cæsorum cadauerum aceruum
gradum tuam tibi facis ad cædem.
tela, quæ hostili calent adhuc sanguine
elicient, ac fundent tuum.
sed quàm generosam prætefers heroidem,
dum nec refugis, nec detrectas necem?
accedis ad aram hostiæ more deuincta,
vt voto parentem soluas.
hoc accipis de toto eius triumphali ornatu:
ab infulato Imperatore, vt immoleris, infulas,
à laureatis fascibus, vt concidas, secures.

SAM-

Digitized by Google

# SAMSON

Iudex, & Dux.

Synop. *Insigne illius robur ostenditur præsertim in leone necando, cuius in ore mortui fauum inuenit. Samson hebraicè idem est, ac, Sol eius. iumenti maxilla & hostes fregit, & elicuit aquam.* Iud. 13. 14

## ENCOMION 55.

Macte heros, vel virtute, vel gloria,
qui cum collatus Alcides
imbecillis est, & imbellis.
dignior es, qui te leonis spolio iactes,
quia non numerasti hunc inter labores,
nam interfeciſſe eum diceris, quasi hædum;
tanta facilitas in superando fuit.
vsus es in edomandis monstris
non roborea claua, sed robore.
nihil fuit hostibus grauius,
quàm tuus capillus leuior.
non recidisti tibi ex voto crinem,
sed hosti ceruices.
non texisti galea caput,
sed capitis coma te texit.
non fictam imitatus es Chimæram, *Virgil. de Turno.*
artificioso igni accendens crinem,
sed crinis ipse te accendit ad pugnam.
magnum prætetulisti omen in nomine,
quippe Sol eius, scilicet gentis tuæ dictus.
illustrem admodum te reddiderunt facta præclara.
rametsi obscuros proposuisti gryphos,
de dulcedine, quæ manaret ex forti.
pulchrior fuisti forti coma, ac penè ærea,
quàm ipse Sol aurea.

Non

Digitized by Google

Non alij arcana commisisti, quàm fœminæ,
sed leuior illa, quàm tuus fuit capillus.
felicius versatus es inter belluas:
leo animal insatiabilis alui
tibi cessit in aluear.
bellua fortis, & valida
penè liquescere visa est in ceram;
pro spuma furentis nectar effluxit,
pro prædæ cruore purpureo
mel flaueſcens.
inter aculeos apum
voluisti ænigmate aculeatus videri.
at ei arcanum gryphum soluisti de melle,
*Adag.* quæ te laqueo irretiuit melleo.
leones vincere potuisti, non lupas.
non ante cœpisti ab hostibus vinci,
quàm victus à fœmina.
scilicet & Sol, hoc est Mundi oculus
excæcari potuit!
penè Mundus in tenebras ruit,
cum tibi effossa sunt lumina.
penè suos lacerauit Natura crines,
cum solares vidit euulsos.
hæsit indignitate spectaculi,
cum planetam, qui versat annuum orbem,
versare vidit turpiter molam.
sed idem fuisti molari fortis in dente,
cum iumenti maxilla comminuisti hostem;
nempe depasci maxilla visus es hostem,
vt adolescerès in heroem;
eadem ex se defudit aquam,
quæ ab alijs profuderat sanguinem;
non ante sitim extinxisti, quàm hostem.

Adhi-

Digitized by Google

Adhibuisti nouum genus armorum,
quia nouum heroicæ virtutis exemplum.
incendisti semel hostium messem,
sed segetem tibi messuisti gloriæ.
non aliud agmen instituisti, quàm vulpium,
vt vlciscereris hostium fraudes.
tandem Sol occidisti, sed spontè,
vt hosti sempiternam offunderes noctem.
diuinitùs abstinere iussus es mero,
vt sobrius perderes ebrios.
cœna ijs tragicam cessit in scenam,
crater in vrnam.
epulum datum est solemne, sed funebre;
rubuit Bacchus etiam cruore.
in hostili acerno cadauerum
celsum tibi extruxisti mausoleum.
amplexus es moriens columnas duas,
vt poneres fortitudini metas;
aptum imposuisti terminum strenuæ vitæ,
solidas columnas;
vel hoc visus es maior Alcide,
quòd alij eius transiliere columnas,
at nemo tuas,
quia nullus te æquauit heroum.
plures exanimasti efflans animam,
quàm vegetus vita;
vnius mors multos coegit mori.
& factis, & nomine prætetulisti Solem,
sed futurorum simul prætulisti vmbram.
non adeò exsplendesceres fama,
nisi veri numinis, & luminis
fuisses vmbra.

ANNA

Digitized by Google

# ANNA

Mater Samuelis.

Synop. *Cum ex sterili mater esset effecta diuino munere, puerum ipsum Samuelem Deo deuouit, ac statim à lacte depulsum detulit ad Pontificem. carmen eucharisticum pie concinuit.*

## ENCOMION. 56.

Fœcundus laudum campus exuberat,
etiam dum sterilis matrona laudatur,
quia semper eius euiruit virtus.
non potuit non edere pulcherrimum germen
tot irrigata lacrymis gleba.
cum ab æmula es proscissa conuicio,
lingua cessit in vsum vomeris,
vt cultus ager facilius, & feliciùs pareret.
ebriam te putarunt orantem,
sed incalueras mera pietate, non mero.
quin etiam filius vixit abstemius,
quia de matre sobria.
non sine vaticinio peperisti vatem.
penè aram attigit ille antequam cunas:
concepisti ante vota, quàm prolem.
tunc magis amasti natum, cum negasti mammas;
noluisti aræ offerre lactentem,
ne magis inhiaret tibi, quàm Deo.
quem impetrasti cum lacrymis,
reddidisti cum gaudio.
statim ac soluta es felici partu
illigasti metro carmina.
cum vnum edidisses infantem
plurimos te peperisse dixisti,
quid ita? quia fœcunda virtutibus.

SA-

Digitized by Google

# SAMVEL

Propheta.

Synopsis. *A pueritia Dei obsequio se mancipauit. eo sacra faciente hostis prodigijs, & ostentis deterritus fugam iniit. Reges inunxit. eius umbra euocata Sauli praenunciauit exitium.* 1. Reg.

## ENCOMION 57.

Nulla vacauit pietate pars tui,
qui diuinitùs promissus es matri
nasciturus è sterili.
nondum solutus ex vtero
deuinxisti parentem voto.
vix depulsus à lacte
inter victimarum versatus es sanguinem.
diuinis es admissus arcanis
adhuc puer, & tyro.
vix didiceras inter mortales eloqui,
cum cœpisti cum Deo colloqui.
nihil in tuos efficere potuit hostis,
te faciente pro tuis.
magis ille timuit secespitam flaminis,
quàm gladium militis.
scilicet dum tu ardebas in vota,
cœlum exardescebat in fulmina.
plures tonitrus sunt auditi, quàm litui,
plus egit fragor aeris, quàm clangor æris.
vertisti nubes in pharetras,
trisulcos ignes in iacula.
simul tu & aram incendebas, & cœlum.
simul & hostia conflagrabat, & hostis;
dum illa colligabatur ad aram,
captiuus hic incidebat in vincula.



Digitized by Google

Quàm dignus Imperatoris es nomine,
cui militauit æther?
nihil te infensius habuerunt Dij;
vt victoria obtingeret, sustulisti Martem.
tunc euocasti è cœlo fulmina,
cum fulminator extinctus est Iuppiter.
quem erexisti nobilem victoriæ titulum,
appellasti Adiutorij lapidem,
scilicet lapideos deieceras Deos,
qui nec se poterant adiuuare, nec suos.
Quantus eras, cum tuis submittebant se manibus
inauguranda capita Regum!
quanquam qui primus à te est perlitus oleo,
lubrico lapsus est regno.
cum diademate regium religasti caput,
obstrinxisti simul diuinis legibus mentem:
meritò, quia non obtemperauit,
actus est intemperijs.
vetuit Deus eius à te defleri casum;
quia tanta tuis vis erat in lacrymis,
vt vel iustam extinguerent iram.
indulsisti Regi viuens, sed restitisti mortuus:
nempe cum ille tuam euocauit vmbram,
sempiternam sibi attulit noctem
ille te extraxit è tumulo,
tu ipsum è solio.
qui adhibuit in te præstigias,
à te damnatus est in Styge.
consuluit Pythiam,
responsa reddere solitam dubia,
sed accepit mortis oraculum certum;
scrutatus à Manibus sortem pugnæ,
cecidit immaniter in alea belli.

COL-

Digitized by Google

# COLLATIO EXTERORVM,

## QVI DAVIDI, AC SALOMONI Regibus fuere Synchroni.



EXuperantia quędam, atque pręstantia siue virtutis, siue sapientię facit, vt Dauidem, ac Salomonem seorsim à ceteris regibus laudando prosequar: ille bello clarus fuit, hic pace, à qua & nomen accepit nobilius certè quàm qui postea ex debellatis populis dicti sũt Numantini, Germanici, Getici. Ille gigantum capita fœdauit acie ferri, hic aulicorum ornauit scrobe auri. alter laurũ prætulit, alter oleam. vtraque laus magna prudentiæ, & eum togata rempublicam administrat, & cum sagata defendit. patria libertas, ciues, atque adeò ipsi reges latent in tutela, ac præsidio bellicæ virtutis. iam pace quid dulcius? quid etiam pulchrius? de ea pace loquor, quæ habet laudem honestatis, non pretium seruitutis. Sed nescio qui sublatẽs scopulus impedit laudationis cursum: nempe hic ille Salomon & sapiens, & insaniẽs, qui ex tanto splendore generis tàm tetras degenerauit in sordes, nobile nequitiæ portentum. quid enim monstro similius? scilicet in tanta domestica gloria ortus, inter fulgẽtissima paternarum virtutum lumina, purpuram incestæ turpitudinis maculis ob solefactam in publicum detulit; regium decus mulierum imperio subiectum habuit, hòc fœdius, quòd exterarum. sed referam pedem, deformesq; vitiorum vmbras in lethèo veluti gurgite latere sinam. satius erit ad ea narrationem conuertere, quæ in ipso laudem ha-

*Iosephus.*



Digitized by Google

habent, cuiusmodi sunt anteacta cum virtute vita, & sapientiæ magnitudo. ac certè inter heroes, quorum extant in sacris literis elogia, Salomon est. nunc de sanctissimo parente, cuius eximiæ pulchritudo virtutis me ad se iamdudum vocat, aggrediar dicere, collatione cum exteris facta.

*Ecclesiast.* 47.

# DAVIDI REGI *Synchroni.*

NOn vnum, aut alterum, sed vniuersum illud heroum, exterorum agmen proferat oportet antiquitas, vt cũ vno possint Dauide conferri; tot videlicet hic abundat laudibus: enimverò in quamcumque memorabilium partem exemplorum conuertas animum, in Dauidem incidas necesse est. ecquod genus ornamentorum excogitari potest, quo ille non fulgeat? ecquis nobilissimas virtutum, in primis quatuor, quadrigas, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ, atque prudentiæ, quibus ipse tanquam clarissimus Olympionices inuectus est, assequatur? res certè ab eo gestæ superiores sunt omni genere laudis, quàm vt quisquam exterorum cum ipso venire possit in certamẽ gloriæ. quid? an non illud antiquitatem omnem obruit? quod adolescẽs exarmatus monstrum immane confecit, gigantem inquã Dei populo insultantem; solus occurrit, & inermis armato, vt patriæ labenti succurreret, paratus suæ gentis salutem sueri oppositu sui corporis. Codrus tunc regnabat Athenis, qui se pro ciuium incolumitate deuouit: nam cum ingenti hostium Dorienſium exercitu Attica regio infestaretur, ferro igniq; vastanda, de euẽtu belli solicitus Codrus misit legatos ad Apollinem Delphicum scisciratum, quo tandem modo illud tam graue periculum discuti posset; responsum est, hanc vnam superesse spem salutis, si rex ipse hostili manu cecidisset, vnumq procuratis, hoc est diademate vittatum, in sulatumq; daretur caput in victimæ morem. id cum non solùm Athenienſium castris, sed etiam contrarijs percrebuisset, edicitur, ne quis Codri corpus

*Euseb.* Codrus



Digitized by Google

vulneret; quod vbi ipse cognouit, depositis insignibus imperij, ac permutato regis habitu cum pannoso, sarmenta ceruicibus gestãs castra hostium ingreditur, ac pabulantium globo se obijcit, tum vnum ex his aggreditur atque inter iurgia falce percutit, tãquam hac ratione messurus gloriam: ita ignotus ab hoste lacessito interijt parta, vti vulgo creditum est, ex eius interitu genti salute. incredibile quantum in hoc Codri facto se iactet Græcia: atqui ad regem pertinebat suis aliqua ratione consulere; quantò hæc pietas, & hic ardor animi admirabilior in adolescente? qui seorsim in agro degens nunquam viderat campum; qui vnus non dubitauit etiam alijs ab audaci consilio reuocantibus, commisso in compendium bello, cum teterrimo hoste congredi; tantumq; adijt discrimen, vt ignominiam solus vlciscereturinustam religioni, ac suis; cũ impius ille Mimas tanquã vnus ènumero Titanũ sacri legã emitteret vocẽ. sed nimirũ Dauid tanquãsacratus quidẽ, vt ita loquar, Hercules fuit, non semel versatus in edomandis belluis, solitus ex leonum, & vrsorum faucibus extorquere prædam. atque hic tam acer in bellis, tam formidandus hosti, quàm incredibili mansuetudine in ceteros fuit? illa lex, quam sibi sponte indixit, vt Saulem sibi infestissimum tàm toleranter ferret, immò amanter, an non omnem obliuionis legem ab exteris sancitam longè superat? quid enim admirabilius, quàm cum eum aduersarium occasio sibi in manus traderet, non modò vlcisci noluerit. sed ad vitandum periculum excitarit; non ipsum si minus ferro, at certè verbo perculerit, quòd iniquè sumpsisset arma in beneficum. quid quòd excubias potius regis increpuit, quæ in eo tuendo negligentes essent? tum ad pietatem composita oratione compellat regem. nam quid agis, inquit? aut quo te transuersum rapit ira? cur pergis in me priuata simultate furere, cum publicus non desit hostis Iudaicæ religioni infensus? vnus ego videlicet placeo, in quẽ inimica exerceas arma, cuius iugulum petas? nẽpè eius, qui regnũ, atque adeò caput tuũ in eo quasi Titanico bello, vt leuissimè dicam, certè texi. at me regia ista tua dignitas, & delibuta sacro oleo tempora, & augustales insu-

*Iustinus.*

læ

le hostili certamine tecum agere vetant. quin etiam si in cæco aliquo exercituum concursu te fortuitò vmbonis mei impulsu prostratum agnoscerem, cõciderem ipse animo, applicatumq; ceruicibus tuis mucronem solicitus reuocarem, ac pœnas à me ipse repeterem cœpti, in quod inuitus incideram, paricidij. tuum ergo crimen sit, ò Rex, & ciuem amantem tui, & militem pro te morti deuotum extinguere voluisse; meum non erit vnquam, rex occisus: proinde aliam caue, ne cadas, dexteram, quoniam mea didicit te seruare, non perdere. In hanc ferè sententiam locutus Dauid fregit tunc regis animum; sed mox recaluit furor. dedit verò vtrique cœleste numen debitum exitum, siquidem Saul in hostili prælio propter hostile in innocentem odium necatus est: Dauid propter insignem in ipsum mansuetudinem in regnum euectus. quantò igitur huius felicior euentus, quàm Codri? nam alter ita suos periculo expedijt, vt moriendo desereret regnum, alter ita, vt triumphando reciperet.

## NATHANI, & GADDO *Dauidis Prophetis Synchroni.*

2. Reg.

*Euseb.* Homerus, Hesiodus

AMbo hi' vaticinijs inclyti fuerunt cùm apud Dauidẽ tùm apud Salomonem reges: sub idem verò tempus vixere, quo Homerus, atque Hesiodus, vt dicemus, sed dum illi fabularum nugis occupatum habent ingenium, hi in seria laborant historia; neque enim tantùm acuerunt linguas in crimina, sed etiam stylum in literas. nam si Achilles, atque Vlysses suos habuere præcones, quantò æquius erat Dauidis, & Salomonis præclarissimorum regum facta describi? inuenti sunt igitur in Palæstina duo hi sapientissimi, ac sanctissimi Vates, qui res ab ijs gestas, immò à se perspectas non inquinarent fabulis, sed incorruptis monumentis consignatas posteris traderent. ac Nathan quidem duo conscripsit volumina, quorum primo Dauidis, posteriore Salomonis acta continebantur; Gaddus autem non

non modò de rebus suo tempore in Iudæa gestis scripsit, sed omnium regnorum complexus est historiam.

## ABIGAILI, & ABISAGAE Dauidis vxoribus Synchroni.

1. Reg. 25.
3. Reg. 1.

INter Dauidis vxores præconium hæ sibi maximè vendicant lectissimæ fœminæ, quarum altera regē ob Nabalis viri sui stultitiam, & inurbanitatem iratum blāda, & ad pietatem accomodata oratione placauit, altera vitæ scintillam, quæ vix in Dauide affecta iam ætate supererat, ne omnino extingueretur, effecit, idq; singulari quodam pudicitiæ quasi prodigio, quia inter thalami tædas neuter coniugum arsit, illibatumq; puella retinuit florem. itaque ex duabus vxoribus illa titulum meruit prudentis: hæc etiam pudentis. Amazones per id tempus bellicosissimæ mulieres Asiam occupauerant, multaq; ediderant fortitudinis argumenta præclara armis instructæ; verùm harum heroidum multò maior est laus, Abigailis, inquam quòd iratum regem exarmauit, Abisagæ quòd inter ipsas nuptias intacta Cupidinem expugnarit. Amazones.

## DAVIDIS bellatoribus, & amicis Synchroni.

MVltos habuit Dauid in castris egregios bellatores, quos si Græcia cognouisset, aut inter Hercules suo more recensuisset, aut ab Hercule prognatos dixisset; nam eius posteri ad hanc vsque ætatem peruenerunt, quos tamen à Dauidis militibus virtute superatos ostendam: atq; vt hinc potissimum incipiam, quàm præclarum heroicæ virtutis argumentum in triumuiris illis spectatum est, qui sitien-

fitiente rege per medios hostes sibi viam fecerunt, atque, vsque ad Bethlemicã cisternam peruaserunt: modò hauirent regi aquam, libenter suissent suum exhauriri sanguinem. deuouerunt se hostium telis milites pro rege nobi-
2. Reg. 23. liùs certè, quàm Codrus rex pro militibus, quod hoc ferè tempore factum diximus. itaque ob hanc insignem animi magnitudinem cum pietate coniunctam communem habebunt laudationem; ijdemq. singillatim etiam à præclaris alijs facinoribus commendabuntur in encomijs. fuisse
*Hist. schol.* hi putantur Abisaus, Banaias, & Sabochaus. atque Abisaus quidem ab ipsis lethi faucibus eripuit regem; quippe cũ hic aduersus Philisthæos pugnaret, Iesbibenobus quidam non minus barbaris moribus, quàm nomine asper, ac teter, ingenti nixus hasta, cuius ferrum trecentas vncias appendebat, & nouo accinctus ense splẽdenti, audacter in Dauidem irruit, ac toto conatu intendit ictum; sed eum Abisaus oppositu sui corporis elusit, neque hoc contentus. vltus est audaciam, percussumq; hostem humi strauit. at Banaias incredibili robore præditus non vno in genere consecutus est laudem, nam & virum Aegyptium quinque cubitorum mole, & lancea texentium liciatori simili armatum aggressus est virga, tum arrepta ipsius hasta interfecit. præter hæc Moabiticos leones duos, siue veræ belluæ fuerint, siue validissimi hostes ita appellati, necauit. adde illum verum, prorsus horribilem, ac iubatum, qui se in cisternam abdiderat: adeò non modò πολέμαχος sed θηριόμαχος incredibili robore dicendus est. atque hoc eò difficilius factu fuit, quòd niue tunc omnia erant opleta, torpente, vt fit, ac stupente propemodum manu: sed nimirum æstus quidam animi ipsum egit in cædem, atque aquarum receptaculum impleuit belluæ sanguine. Sabochaus autem quendam ingenti mole gigantem Zaphum nomine conspicatus in campo, non dubitauit cum eo cõgredi; nec ante à pugna destitit, quàm deijceret, ferroque conficeret. His porrò accedunt alij triumuiri item strenuissimi; Iesbaamus polemarchus inter triginta singulari virtute præstans, qui vna vice, vnoquè impetu trecentos hostes hasta confodit. at Eleazarum patrui Dauidis filium

quædam

Digitized by Google

quædam in obterendo hoste quasi contumacia tandiu tenuit, donec deficeret manus, & obrigesceret vnà cum gladio. post hunc Semmas Ararites excelsi animi vir, ac planè inuicti, qui conuersis in fugam suis hostium metu, restitit solus in campo, multos eorum vulneranit, victoria diuinitùs parta. Fecit eadem militaris ars, & Ionathanum Dauidis nepotem rebus præclarè gestis nobilem, qui in bello Gethèo monstrosum gigãtem senos in manibus, pedibusq; habentem digitos, conuicijsq; in Hebræos insultãtem cùm audacia, tùm vita priuauit. adde Adeodatũ (si alter is à Dauide est) non minus insignẽ bellica arte, quàm textili; quippè polymitarius dicitur, qui & ipse immanem gigantem oppressit. neque verò Vriam inter strenuos bellatores præterire debeo, qui non fortiter modò ante aciẽ, sed innocenter cecidit in pugna. nam Ioabus quanquam imperator, tamen quia increpitus est à rege, quòd manus domestica cæde cruentasset ipso inuito, meritò à mansuetiore hoc dicendi genere excludendus videtur. De reliqua verò Dauidis militia quid dicam? certè Gaditę (vt reliquas exercitus classes omittam) ob insignem fortitudinem hoc in diuinis literis habent elogium, *Viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam. facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus.* quos tu Heraclidarũ, hoc est posterorum Herculis cum istis conferes? qui quidẽ Heraclidæ cum aliquandiù in Peloponneso regnassent, hoc tamen ferè tempore, quo Dauidis bellatores florere cœperunt, amisso imperio extincti sunt in Peloponnesiaco bello aduersus Athenienses inito, cum hi post Codri deuotionem victores extitissent: nouum igitur exortum est sub Dauide bellatorum genus Herculeo maius; obscurit enim quodammodò Heraclidarum luminibus horum altitudo gloriæ, & tanquam minora sidera euanuerunt ad Solaris lucis aspectum. ac posteri quidem Herculis etiam antequam ea regione potirentur, ludibrio fuerunt oraculis ipsis, quę cõsulebant. neque enim, vt Hebræi, aut Pontificis logeum, aut veridicos vates, aut Arcæ cortinã, vnde certa, & indubitata reddebantur responsa, adibant. itaque cum ingruente pestilentia è Peloponneso digredi à Delphico Apolline iube

2. *Reg.*

*Paral.* 22. Heraclidæ.

*Euseb.*

Apollodor. liberentur, duplici oraculo delusi sunt. primum id erat, quo τρίτου καρποῦ hoc est τρίτης γενεᾶς vt expectarent moniti, ipsi de tribus annis interpretati sũt, ac nõ tã de triplici genesi, nempè de vteri, sed de trium annorũ fructibus, quos certè sibi acerbos ab oraculo collegerunt, infelicem videlicet eius expeditionis exitum sortiti. alterum oraculum fuit, quod Aristomacho, vni ex Heraclidarum numero eũdem Apollinem sciscit anti proditum est

νίκην καίρουσι θεοὶ δι' ἰσθμοῦ στενόχωρον

hoc est victoriam à Dijs præmonstrari per iter humoris angusti; quo ipsi putarunt Isthmon significari, cum potius vafer hostis mare intelligeret, quo ad eas angustias ederetur. ita commisso prælio Aristomachus perijt. tamen multò post nouam expeditionem adornarunt, ac Peloponnesum tenuerunt. durauit hoc Heraclidarum imperium centum, octoginta, & amplius annos, donec Dauidis ætate concidit: sed nimirum Herculis posteritati succedere huius bellatores, quorum robur, ac virtus insuperabilis fuit, regente præsertim numine. è sacris autem adytis non implexa, vt illi, sed expedita, & vera acceperunt oracula, nunquam delusi in ludo Martis.

Iam his Dauidis heroibus bello præstantibus etiam ij, qui cum ipso coniunctissimi alias ob causas fuerunt, annoti possunt; quibus sua impartienda laus est. horum quasi signifer fuit Ionathas Saulis regis filius, iuuenis & bello clarus, & Dauidi arctissimis amoris vinculis adstrictus, atque inhærens; cuius dum causam ageret apud iratum patrem, penè paterno confixus est telo. locutus aliquando est cum ipso caute nouo inuento, per sagittas, quibus scilicet nõ iaciendis modò in hostem, sed accipiendis pro amico paratus semper fuit. exuit se purpura, vt hunc indueret, hæreditarium regnum vltrò concedens. ceterùm tàm formidãdus inimicis, vt eius vel proni aspectum, & arrepentis ad saxa in ascensu arduo vultum ferre non potuerint. & atroniti, ac fanatici mutua inter se cæde corruerint. Accedit non amicitiæ modò, sed naturæ nexu colligatus Dauidis ipsius patruus Ionathã, qui inter regis liberos est versatus, vt eos cùm optimis moribus, tùm literis, ac disciplinis eru-

1. Reg.

diret,

Digitized by Google

diret; dicitur enim vir literatus, & prudēs. Chusaus quoque Dauidis amicus memoratur, quod habitu ipse præstitit, cū ei erranti, ac fugienti sordidatus ipse occurrit scissa veste, iniectoq; capiti cinere; immò re præstitit, cum mira vsus industria Absalonem iam inuadentem tandiù tenuit mora, quandiù Dauid potuit sibi fuga consulere. Fuit & Dauidi religionis caussa coniunctus Abimelechus sacerdos, qui ipsum, cum fame laboraret, pane de sacra mensa deprompto pauit, quamobrē Saulis iussu impiè necatus est. Sadocus autem cum adhuc puer esset egregiæ indolis (hanc enim laudem sacræ illi impetiūt literæ) ad Dauidem cum familia se contulit, eius partes secutus; idem postea inauguratus pontifex Salomonem inunxit regem. Asapho etiam, & Obededomo sua laus est, quorum alterum Dauid sacræ melodiæ præfecit, alterius domi Arcam, hoc est augustum Dei solium asseruauit.

## SALOMONI REGI Synchroni,

SAlomonis præstantem in omni genere gloriam quisquis animo reputat, siue sapientiæ magnitudinem diuinitùs acceptæ, siue immensas opes, ac vim auri, atque argenti, ceteraque regni decora in contentionem cum exteris reuocet, neminem planè reperiet non modò eorum, qui tunc viuebant, ac varias terrarum partes obtinebant, sed qui postea consecuti sunt, parem: ipsi Romani Imperatores, ac Cæsares submittant oportet fasces. Regnabat tunc apud Aegyptum Vaphres; apud Assyrios Laosthenes; apud Lacedæmonios Strato; apud Corinthios Ion; apud Athenienses Archippus; apud Latinos Alba Syluius; quorū vix nomina extant, facta, si qua fuerunt insignia, vetustas obrūit. Sed quid abdita isthæc, atque in antiquissimis annalibus penitùs abstrusa commemoro? proferri potest è sacra ipsa historia qua nihil incorruptius, regina è felicis, vt quidam putant, Arabiæ finibus profecta (Nicaulam Iosephus appellat) quæ vbi Salomonem regem conuenit, hęsit planè,

*Pineda.* Vaphres. Laosthenes. Strato. Ion. Archippus. Alba Syluius.

rè, ac penè hebetari sibi sensit aciem mentis, quasi insolito quodam sapientiæ splendore perstrictam: ecquod præclarius, ac luculentius testimonium adduci potest, quàm eius heroinæ, quæ cum opulentissima esset, sapientiaq; viris ipsis longè præstaret, tàm longum, ac difficile iter susceperit, regia relicta, & regni gubernatione tantisper intermissa, vt Palæstinæ regem, tanquam nouam orbis terræ adiret oraculum: quippe illam sapientiæ prope diuinæ constans, summaq, omnium sermone increbescens fama primùm auribus accepta commouit; tùm ita videndi, conueniendiq; studio exarsit, vt imperij sedē peregrinationi posthaberet; videntem verò iam, & stupentem ad tàm insigne prodigiū detinuit felicior species, quàm Arabiæ, cùm ille in aureo, eburneoq; throno, quo nihil magnificentius est visum in terris, altè confidens, iura daret; cū regiæ domus amplitudo, cum aulicorum splendor, ac nobilitas, cum augustissimi delubri forma, opes, sanctitas. sacrificiorum statorum solemnitas, ritus, hierurgiæ oblata sunt oculis, quarum rerum in attenta contemplatione defixa, penè à sensibus abstracta est. postremò toto corpore, & animo contētioni vocis asseruiens, maius aliquid exclamando, debitum tantæ dignitatis ac sapientiæ magnitudini præconiū detulit; & ipsa certè laudatione, atq; encomio digna, quæ nō (vt à nonnullis posteà philosophis est factum) peregrinata est, atque alienas obijt terras, vt inanem, ac futilem; sed vt solidam, veramq, sapientiam quæreret. frustra, vt hanc inueniret pertrāsisset Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissimaq; Indiæ regna penetrasset. non Hiarcham vidit apud Brachmanas in throno sedentem aureo, ac de Tātali fonte potantem, sed clarissimum regem ex augustiore solio penè oracula fundentem, ac de accersitæ diuinitùs sapiētiæ scatebris haurientem: quā certè sapiētiā inuenire minimè potuerunt alij, & si Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Aethiopes adierint; Gymnosophistas cōuenerint; & celeberrimam illam Solis mensam obcæcati ipsi superstitione in fabulo viderint. admirata hæc verò regina est auream illam in sanctissimo delubro à Salomone extructo mēsā sacris refertam panibus,

in

in qua ferunt Signiferum mira arte fuisse cœlatum, hoc est duodecim illa signa, per quæ annua conuersione Sol permeat, ac proinde multò dignius ea mensa dici poterat Solis. Sed inter multa, quæ in Salomone argumenta prudẽtiæ, ac sapientiæ fuerunt, illud in primis admirabili spectaculo exhibitum est. Contendebant inter se mulieres duæ generis ignobilitate pari, sed prolis felicitate disparis: nam cum in eodem domicilio degerent, effetq; vtraque eodem ferè tempore marem enixa, fortè accidit, vt altera altiùs, arctiùsq; somno grauata hærentem vberibus filium ipso corporis pondere oppresserit, atque extinxerit; siue igitur metu supplicij, siue alendi cupiditate, vafro consilio altera, quã in proximo cubantem dormire sensérat, furtim filium adimit, extinctum substituit, ac leniter quiescentis lateri acclinat. vbi verò dies illuxit, deprehensa fraude vociferari hæc, filiumq; sibi vafrè sublatum arguere; audacter illa factum negare, atque vnà conuicium alteri facere, quòd impudenter necato per negligentiam infante, aliena clade vellet orbitatem, in quam inciderat, euitare: mutuo igitur se cõuicio lacessentes ad regis tribunal se sistunt. vtraque satis cõstanter causam dicit. erat iudicium coniectura anceps; stabat circumfusa multitudo in euentum, ac sententiæ dictionem suspensis animis erecta tum rex lictori mandat, vti infantem gladio dissecet in partes duas, atque vtraque dimidium referat; stupuerunt qui aderant nouitate sẽtentiæ, ac visum fortasse cuipiam dictum aut præceps, aut impium. verùm cum reclamaret illa, cui fuerat infans subtractus, ac diceret, malle se viuum puerum alteri addici, quàm sibi dimidiatum reddi; altera contra non detrectaret decretum, censuit Rex ei adiudicandum infantem, quæ se manifesto pietatis argumẽto indicauerat matrem, quòd filium viuere maluisset, quàm in alterius inuidiam perimi. vertit tunc id iudicium populum in admirationem prudẽtiæ, magnaq; ex eo præcipuè sapientiæ fama Regi conciliata est. Neque res iudiciaria tantùm sublimem illius mẽtem declarauit, sed omnes philosophiæ partes copiosè ac diligẽter pertractatæ: disseruit de herbis, plantis, arboribus, de volucribus, ac ceteris animãtibus, siuè quæ terram, siuè

quæ

quæ mare incolunt. similitudines verò, quas Græci parabolas vocãt, miro sententiarum pondere conscripsit, de quibus extat illud Romani Clemẽtis elogium, in ijs plus acuminis quàm in omni poeseos genere reperiri, denique gentilia cantica quinque millibus carminum complexus est atque, vt nõnulli autumant, Tragœdiam quoque conscripsit. quanquam hanc de se potius ipse dedit, ac certè omnium maximè luctuosam, cum ad impietatem desciuit. Inciderunt cùm in Dauidis, tùm in Salomonis præsertim tempora Homerus, & Hesiodus, sed paullo hic iunior, ambo inter poetas præstantissimi. quàm amplus his campus aperiebatur, quàm præstãs canendi materies ex rebus ab vtroque Rege gestis? at in nugas, & ineptias abierunt: scilicet alter, Homerus inquam, Achillem fortitudinis exemplar, Vlyssem prudentiæ sibi proposuit: atqui Dauidem (numeretur, & hoc inter eius cæcitatis incommoda) non vidit bellica laude florentem; Salomonem contemplatus non est sapientia omnibus antecellentem. anilia commenta sunt illa, in quibus tanti poetæ desudauit ingenium præ ijs, quæ à nostris solida, atque testata potuit accipere, & inserere carmini. Tiresiam inducit vaticinantem, nimirùm cæcus cæcum; Xanthum vnum ex Achillis equis loquentem facit. immò ei mortem vaticinantem: quo scilicet ferè tempore Nathan, & Gaddus sanctissimi, clarissimique vates habebantur: nam quid ieuius, quàm quod idem poeta de ventis fingit vtre conclusis, quos apud se habuisse dicitur Vlysses? monomachiam describit modò Paridis cum Menelao congredientis, modò Hectoris cum Aiace: at illud singulare certamen, quod Dauid etiamnùm adolescens, & exarmatus cum immani gigante commisit, dignius profectò erat Homerico carmine. Remodocum facit canentem Martis adulterium cum Venere, & ambos à Vulcano implicitos reti: at defleri poterat Dauid adulter, sed explicans tamen se de pedicis, recantato consilio. Circèas narrat præstigias, & Sirenum illecebras: at in prõptu erat materies haud dissimilis, & amplior, & verior: exteræ scilicet mulieres, & peregrini cultus, quæ corruptelarum quasi veneficijs Salomonem infecerant. Achilles in-

*Euseb.*

Homer⁹
Hesiod⁹

duci-

Digitized by Google

ducitur lugens Patrocli mortem: at Dauidis potius commemorandus erat luctus, & profusæ lacrymæ cùm in Ionathæ sibi coniunctissimi, tùm in Saulis (quod inauditæ pietatis fuit) hostis infestissimi nece. denique ne omnia persequar, cum ab Homero Iris describitur pacis nuncia, quæ Neptunum dehortatur à bello, Salomonis quietum regnũ, & tranquillitatis plenum, vnde hic pacis sortitus est nomen, potuit maiore cum laude describi, Iam præter Homerum Hesiodus quoque in Salomonis ætatem incidit: atque hic quidem in Theogonia occupatus fuit, hoc est in infinita illa innumerabiliũ Deorum turba recensenda, cum cõtra Salomon templum atque aram vero numini dedicaret, antequam ad impietatem delaberetur. descripsit item Hesiodus Aspidem, hoc est scutum Herculis opere mirabili fabre factum, quo tempore Salomon trecentos instituit scutarios in cohorte prætoria, qui totidem gestarent ad maiestatem, & pompã chryseaspidas, hoc est aurea scuta, cum se inferebat è regia in templum. Sed nimirum offecit luminibus exterorum scriptorum lux tanta nostrorũ: ac lusit semper in paruis Græcia, cum suppeterent magna, & seria. atque illi quidem dum incestos hominum, immò Deorũ ipsorum amores canerent, Dauid in sacris carminibus pangendis, ac Salomon in sacro epithalamio canendo, hoc est in castissimis sponsæ cum Deo nuptijs versabãtur. Iam præter hanc eximiæ sapientiæ laudem, accedebat regia dignitas, & maiestas, immensa vis auri, argenti verò copia tanta, vt penè non aliud esset pretium, quam quod lapidum. Ac planè commodè accidit, vt efflorescerent, & emineret Salomonis, eiusq; regni gloria sub idem tempus, quo nouorum initia contigêre regnorum, Lacedæmoniorum in primis, & Corinthiorum; illud legibus, hoc opibus inclytum fuit; sed in altero adulterium permissum, in altero, quod Græciæ lumen est dictum, Romana desæuijt flamma. Sunt qui Carthaginem quoque exædificari cœptam putent; scilicet sub pacato, & quietis studioso rege vrbem, quæ æmula Romanæ perpetuò belli fragore detonuit. Ephesus item condita dicitur vrbs Ioniæ, siue Lydiæ nobilissima, vbi postea Dianæ templum celeberrimis totius

Lacedæmon.

Corinth.

Carthago.

Ephesus

Asiæ

Asiæ impensis est excitatum, in quo centum viginti, & amplius columnæ fuerunt à singulis regibus erectæ, sexaginta pedum altitudine mira arte celatæ: opponi videlicet debuit antea superstitioni religio, quamobrem à Salomone augustissimum vero numini delubrum in ipsa Ephesi exædificatione dicatum est admirabili opere perfectũ, ac non modò lucidissimo marmore, sed infinito auro refulgens. aliarũ etiam Salomonis ætate præclarissimarum vrbium fundamenta sunt iacta, inter quas Neapolim recensent, vrbem re antiquissimam, verbo adhuc nouam, quia recenti semper floret gloria; quippè fert fama, Salomone regnante in Phlegræis Italiæ campis à Cumæis, & Chalcidẽsibus ex Euboea profectis Hippadis, & Megasthenis ductu Cumas littorali loco conditas; ipsos autem duces inter se pactos, vt gens altera vrbi nomen daret, alterius colonia diceretur, atque ita factum, vt à Cumæis sit locus nomen fortitus, sed Chalcidensium coloni sint creditì; à quibus Neapolis condita sit. gaudeat igitur patria, ac iure glorietur, se vel inter nobilissimorum regnorum ortus lucem accepisse, tanquam & ipsam regali amictam ornatu, vel à Græcis bonarum artium inuentoribus editam, ac tùm maximè, cum præclarissimi Poetæ florebant, Homerus, & Hesiodus; sed nihil ipsi auspicatius, & magnificentius contigit, quàm sub Salomone rege exortam esse, cum videlicet Sapientia de cœlo deuocata regnabat in terris, & religio in augustissimi delubri recens exædificati quasi regia considebat, quod Neapoli auspicium fuit, ipsam quoque futuram cùm omnis literaturæ, tùm religionis, ac pietatis ornatissimam sedem.

Neapol.

*Sabellic.*

*Pineda.*



DAVID

Digitized by Google

# DAVID

## Rex, & Propheta.

Synop. *Eximia eius fortitudo commendatur cùm in belluis superandis, tùm in gigante, ac ceteris hostibus debellandis. in primis verò pietas in Saulem sibi infestum, oblata etiam occasione necandi.* 1. 2. 3. Reg. 1. Paral.

## ENCOMION 58.

E caula euocatus ad regnum
coniunxisti plectra cum sceptris.
etiam dum pastoritiam tractabas arundinem,
digna rhetorum gessisti calamo.
nempè è faucibus leonis, & vrsi
eripiebas ferocior prædam,
fortis non clava, sed manu.
præluisti scilicet maioribus bellis
pugnando cum belluis.
tametsi semel es victus,
cum commisisti militem campo,
vt tu fruereris toro:
obiecisti virum hostium telis,
sed vulneratus antè tu sagitta:
exarasti literas, sed sulcis vulnerum.
stylus cessit in gladium.
at recantasti postea scelus
plectro magis cor feriente, quàm chordas.
rependisti innocentis funeri
eum, quem comedebas, cinerem.
qui sæpè occideras feras,
semel induisti feritatem;
sed exarmauit te pietas;
tantùm reliquit vngues,
vt exulcerares dolorem.

Quàm altè tua te extulit virtus,
quæ superior fuit gigante?
ingentem corporis molem
non lapide deiecisti molari,
sed lapillo fluminis,
vt elueres tuæ maculam gentis,
non potuit melius hostis fundi, quàm funda:
expertus quippe est volubilem rerum rotam,
cum fundam rotasti.
accessisti cum pera pastorali,
sed recessisti cum spolio triumphali.
vile prætulisti pedum,
sed Regio prælusisti sceptro.
fecisti hostis occasum
renascenti patriæ natalem.
eum, qui religioni oblatrabat impiè,
veluti canem insecutus es lapide.
sed cur re tàm viriliter gesta
mulieres cecinere pæana?
nouas instituisti choreas Musarum;
metuisti, ne Græcia proferret suas,
quæ veras inficerent laudes,
dum suo more fingerent.
cum in triumpho gigantèum caput tulisti,
omnem superasti Capitolij pompam:
nihil illo suauius cantu
ceteris accidit omnibus,
at nihil vni insuauius Regi.
scilicet hostilem concepit animum,
quia fregisti hostem.
Imperator inuidit militi laureato;
statuit dare pro stipendio necem,
lauro inferre cupressum.

Ferro

Digitized by Google

Ferro te non semel appetiit,
à quo parta erat victoria sine militum ferro.
at tu efferatum Regem ob muliebrem cantum
mulcere tuo conatus es cantu:
inflexisti ad numeros vocem,
vt inflecteres eius ad pietatem animum.
acuto sono habetasti acumen teli,
moderatus es iram harmonicis modis,
temperasti chordas contra intemperiem mentis:
hostilem vim mollibus eneruasti neruis.
lancea ille pugnauit bellica,
tu arcu musico:
sed illius irritus fuit ictus,
efficax tuus,
quia stygium fugasti hostem,
qui regium obsederat pectus.
mirum dictu: sanari non potuit vulnus,
nisi arcu,
sed qui sonum eliceret, non sanguinem:
prodigiosum planè crimen inuidia,
quæ pertinacior hoste tartareo fuit;
pelli ipsa non potuit Furiarum maxima.
ille exarmatus canente te fugit,
hæc armata sumpsit audaciam.
in te Rex inuidus librauit hastam,
per quem fuerat liberatus ab hoste.
æger vulnus intendit medico,
cariturus, si hic periret, medela.
sed quàm atrox eiusdem animus fuit,
cum nuptias voluit à te emi sanguine?
non ante filiam tradidit sponsam,
quàm sponderes, te aditurum periculum,
aut si animum desponderes, illuderet.



Digitized by Google

Iussit videlicet nuptæ flammeum,
petiè media belli flamma,
non siuit filiam ante solui costo,
quàm tu cingereris balteo.
noluit tangi priùs hastam cœlibarem,
quàm tingeretur cruore militaris.
sed dum spoliandum te tradit hosti,
ipse tibi Rex cedit in spolium.
tametsi partem tantùm abstulisti vestis,
vt exueres eum feritate, non vita:
purpuream scidisti chlamydem ferro,
muricis contentus cruore, non hostis.
quanquam hoc quasi paricidium flesti,
hostilem scidisse vestem:
vel ideò dignus es visus,
qui regiam indueres purpuram.
abstinuisti manus ab eius nece, dum viueret,
at non oculos à fletu, dum caderet.
potuisti aduersarium, quem cauebas, cædere,
at mauisti potius, ne esset incautus ad cædem.
non elapsa est tibi de manibus occasio,
sed sponte dimissa.
mira pietas: dormientem nactus hostem,
tu vigilasti, ne periret.
impio lacessitus bello
lacessentis euasisti custos.
oblatam in speluncæ praedam
non modò non cepisti,
sed expedijsti è laqueis.
illustriorem obscura illa te fecit specus,
quàm corona illuminata gemmis.
sed parua hæc, acrior superfuit pugna:

Is

Is quoque pugnando te prouocauit in Solem,
quem gignendo euocaueras in lucem,
sed poena præuertit idonea paricidium;
nempè de arboris ramo pependit
qui cum Naturæ radice pugnabat;
sublatus est per cæsariem,
qui conatus est parentem tollere per cædem.
apprehensus est capite,
vbi affectabat diadema gestare.
lancea intentata cordi est,
sed inuenit excordem,
hoc est sine amore filium;
abluisti tu tamen sanguinem
perennibus lacrymis.
quid mirùm? cum & hostium ingemueris malis.
non explesti sanguinis sitim,
immò nec aquæ,
si cum periculo alieni sanguinis:
non putasti suauem aquam,
quæ esset quæsita inter hostes amaros;
nec iucundam,
quæ mortis horrore constaret.
Nunquam es tu visus ornatior,
quàm cum semel in sacra pompa
incessisti nudus,
ditior spoliatus, quàm cum spolijs onustus hostium.
nunquam tàm serius fuisti, & grauis,
quàm cum salutorium versasti orbem.
non putasti incongruum dignitati,
quod congruebat religioni.
abiecisti purpuram, non pudorem:
meritò vxor illudens sterilitatem incurrit,
quia fœcundum virum tot virtutibus spreuit.

NA-

# NATHAN

## Propheta.

Synopsis. *Dauidem Regem in agnitionem admissi criminis adduxit. reliquit posteris duo volumina, quorũ priore Dauidis, posteriore Salomonis, quem Regem creandum curarat, complexus est acta.*

2. Reg. 7.
3. Reg. 1.

## ENCOMION 60.

Quid te vel nobilius vate, vel dignius?
qui aut castigasti, aut inaugurasti Reges!
quid te maius, quem pertimuit maiestas!
non fuit tibi tanti paludamentum rubens
eius, qui non erubuerat de innocentis cruore.
at plus ille lacrymarum fudit, quàm tu verborum
vmbratili ipsum conueniſti sermone,
sed ita prætuliſti clariùs menti lumen;
de cæsa impiè oue dixiſti,
sed minando prætetuliſti leonem,
acriorem eo, quem se viciſſe iactabat.
benè aperuiſti obtectum malè vulnus,
vt educeres saniem;
sed obligasti simul prudenter, & cautè,
in vatem te & acrem partitus, & pium,
quà vitam nunciasti criminoso reo,
quà mortem conceptæ per crimen proli.
magnam quoque tibi habet gratiam Sapientia,
quòd per te in regio collocata sit throno;
cum eius caput coronandum curasti,
cui mens insideret, aut præsideret.
Regem creasti, qui vrbes recrearet auro,
non qui deuastaret ferro.
cum putasti regio illinendum oleo,
qui præferret pacis insigne, oleam.

GAD.

Digitized by Google

# GADDVS

## Propheta.

Synop. *Dauidi nuntiauit iustam Dei iram. composuit vniuersalem historiam cùm de Dauidis actis, tùm de rebus suo tempore vbique terrarum gestis, sapientiam eam pietatis laude coniungens.* 1. Reg. 24. 1. Para. vl.

## ENCOMION 61.

Contraxit Regum purpura te loquente pallorem,
cum Numinis denunciasti iram.
quantus fuisti vates, quem metuit princeps vatum!
dum amplum ille numerare populum gestit,
perdidit innumerabiles.
obtulisti optionem non optandam,
famem, gladium, pestem.
id elegit, quod sibi commune cum ceteris foret,
corrupto aeris tractu perire;
siquidem poterat hostilia effugere tela,
suo septus exercitu;
poterat & famem, regijs abundans horreis:
sed maluit Rex interire vnà cum plebe;
nisi quòd pietas seruauit reum.
perstrinxit certè oculos cœlestis macherophorus;
soluta metu sunt membra
districti mucronis aspectu.
insistis placari Numen votis, & victimis,
commutata est hominum strages
cum pecudum cæde,
gladius cum secespita.
ritè litatum est in demessi area tritici,
ne mors populum falce demeteret.
descripta est à te tanta calamitas calamo,
acuisti stylum, qui acueras minas.

TRIVM-

Digitized by Google

# TRIVMVIRI
## Dauidis.

Synop. *Sitiente Dauide, & inhiante in aquam de cisterna*
1. Paral. 2. *Bethlee, tres viri fortissimi irruperunt, ac penetrarunt hostium castra impunè, retuleruntquè aquam, quam Rex animaduerso periculo non hausit, sed libauit Deo.*

## ENCOMION 59.

Hæsit prorsus hostis, obstupuit
spectaculo perculsus nouo
inauditæ vestræ virtutis;
quippè non ad iubentis imperium Ducis,
sed ad optantis nutum,
gladios inter, ac tela
intimum penetrastis agmen,
parati explere vel in Rege sitim aquæ,
vel in hoste sanguinis.
hausistis è cisterna plus gloriæ, quàm laticum,
perennem illa cessit in fontem.
sed nimirùm Rex arbiter sui factus
veteris criminis à se repetijt pœnas:
qui olim non abstinuerat innocentis cruore,
abstinuit aqua, non lacrymis.
lingua, quæ imperauerat cædem,
penè aruit siti.
At vos non estis ab hoste capti,
quia tàm feroci pietate attonitus stetit.
plus sudoris retulistis è cursu,
quàm è cisterna laticum.
venerunt in certamen honoris & sudor, & latex;
prævaluisset sudor,
quia laureata manauit è fronte,
sed vicit latex, quia libatus Deo.

BA-

Digitized by Google

# BANAIAS

Vir fortis Dauidis.

Synop. *Percussit leones duos, idemq; necauit leonem in media cisterna tempore niuis. interfecit quoque Aegyptium virum dignum spectaculo armatum hasta, ad quē descendit ipse cum virga.* 2. Reg. 23. 1. Paral. 11

## ENCOMION. 61.

Inusitata tua virtus effecit,
ne Græcia iactaret Alciden,
quòd leonem percussisset in Nemee.
at non vnus à te percussus est leo,
nec contentus fuisti altero,
tertius accessit labor,
si modò labor, vbi facilitas.
non es venatus in nemore, sed in cisterna;
quò inferior locus, eò celsior gloria.
nouo se more munierat leo,
alto niuium vallo,
vt venantis obtorpesceret manus:
sed concepisti tu mirè à niuibus flammam,
exarsisti incitatus in belluam.
notasti felicem victoriæ diem
non calculi candore, sed niuis.
quàm ingens fuit tua virtus, & ampla,
quæ, vt se indueret, opus habuit
triplici leonum spolio?
nec feras modò vicisti, sed homines feros;
Aegyptium in primis dignum spectaculo virum;
sed spectabilior tu fuisti virtute:
armatum hasta aggressus es fragili virga.
quàm parui feciſti monstra,
ad quæ domanda vsus es leui virga pro clauâ?



Digitized by Google

# SABOCHAVS

## Vir fortis Dauidis.

2. *Reg.* 21. Synopsis. *In bello inito cum Philisthaeis egregiam nauauit operam; in primis immensa corporis magnitudine gigantem Zephum nomine aggressus ferro confodit, ac strauit.*

### ENCOMION 63.

Non tu vulgarem consecutus es laudem,
qui non hostium insectatus es vulgus,
sed pugna tibi cum gigantibus fuit.
non nisi magna molitus, & ardua
demolitus es corporum turres;
obfirmata arietasti pectora
non arte, sed robore.
cum vasta corruit moles,
tui agminis erectus est miles.
cum intremuit tellus pondere,
contremiscere desierunt tui.
percussisti veluti fulmen
hostis etiam laureati caput.
hoc eius corporis vastitas egit,
quòd profuit ad grande decus tibi victori:
quippe tàm ingens spolium pro pluribus fuit;
non vnam meruisti laudem de vno hoste,
quia hic mole tergeminus.
velut excelsam subruisti quercum,
vt de deiecta tuam coronares frontem.
excurristi turbinis instar in campo,
sed interim turbati exercitus metu
serenasti mentes.
quàm altè te sustulit virtus è terra,
qui vel vultu terruisti terrigenas è

IES-

Digitized by Google

# IESBOAMVS

Vir fortis Dauidis.

Synop. *Princeps hic fuit inter triginta fortes; eius eximia in bello virtus commendatur. dicitur enim vna vice, vnoq; prælio leuasse hastam suam super trecentos vulneratos, hostibus planè formidolosus.* 1. Paral. 11

## ENCOMION 64.

Vocali famæ dignus es tuba,
qui hostiles fecisti mutas;
sed monumento maior es æreo,
qui inter æs, ferrumq; versatus
vtroque fuisti solidior.
te vnum hostis extimuit magis,
quàm vniuersum reliquum agmen;
nempe vno prælio strauisti trecentos.
augusta tibi frons fuit, vt principi,
sed angusta tot laureis, vt victori.
quæ tot sternere hostes potuit manus,
tot amplecti non potuit palmas.
indidissent tibi nomen Martis inuicti,
nisi suspecta esset vox Martis incesti.
dictus esses belli fulmen,
nisi vno turbine tot vibrasses fulmina,
quot hasta librasti ictus.
tot inter vmbones tuus non retusus est mucro,
immò exacuisti aciem ferri
in ipsorum hostium pectore.
quò hoc durius, eò aptius fuit ad cotem,
ità præliatus es acriter,
vt verti sis visus in prælum:
aduersis modis hostili aduersatus es sanguini,
quà hic retractus metu, quà extractus est ferro.



Digitized by Google

# ELEAZAR

Vir fortis Dauidis.

Synop. *Filius hic fuit patrui Dauidis. percussisse dicitur Philistæos, donec deficeret eius manus, & obrigesceret cum gladio. ipsius hortatu populus, qui fugerat, reuertit ad hostium spolia detrahenda.*

1. Reg. 23.

## ENCOMION 65.

Gemina dignus es laude
Imperatori iunctus, vel cognatione, vel robore.
hoc egit hostilis acies ferri,
quòd tuam acuit obiectu virtutem;
coaluit in te vis fulminis
vnà cum laurea,
in populi fuga restitisti solus;
densam telorum nubem
generoso efflasti spiritu.
conferta barbarorum agmina
vna dissipauit dextera.
non ante tua defecit manus,
quàm conficeret hostem.
non ante defijt esse gladio rigida,
quàm obrigesceret.
sed hostis obriguit vel metu, vel morte,
tu laureato labore.
sic rigens è media belli flamma
defatigatum extraxisti militem;
sed exarsisti antea dictis;
accendisti Martem acrior sermone, quàm tuba.
fecisti vt tuorum terga in fugam turpiter versa
pulchrè onusta redirent spolijs.
cum pugnare non posses amplius manu,
non minus strenuè pugnasti ore.

ABI-

Digitized by Google

# ABISAVS

## Vir fortis Dauidis

Synopsis. *Percussit hic in valle Salinarum decem & octo millia hostium. Iesbibenodi Philistæi cõantis percutere Dauidem hasta, cuius ferrum trecentas appendebat uncias, ictum auertit, & ipsum hostem interfecit.* 1. Regũ 8.

## ENCOMION 66.

Et leporum plena esse deberet, & salium,
quæ de te instituitur laudatio;
quippe barbarum fregisti hostem
in valle Salinarum.
idoneum habuit condimentum virtus,
quo seruata perennaret ad posteros,
tibi salutem debuit suam
præclarus Rex, & præclarior Vates;
penè illum infestus hostis afflixerat solo,
cum ingentem vibrasset hastam;
at tu non modò auertisti ictum,
sed conuertisti in hostem:
scilicet illud tutatus es pectus,
quo diuina condebantur oracula;
eius cor tibi cordi fuit,
ne configeretur hastæ cuspide,
quod cum diuino congruebat corde.
petitum est primùm à Rege, deinde à milite,
quod ille non potuit assequi
etiam stygijs actus furijs,
conatus est ipse perficere.
meritò appensum est ingens ferri pondus,
ne beneficium momenti videretur leuis.
dignum fuit euitatum lanceæ ferrum,
quòd lance penderetur aurea.

SEMS

# SEMMAS

## Vir fortis Dauidis.

Synop. *Cum hostes essent in statione, & agrum occupassent lente consitũ, in fugam conuersus est Dauidis exercitus multitudine armatorum; solus hic strenuè restitit magna hostium strage edita.*

2. Reg. 23.

## ENCOMION 67.

Excurrenti liberiùs hosti
tui vnius oppositum est pro muro pectus;
in campo consito lente
nihil egisti non acriter.
pro vili olere
proseminasti gloriam.
sed ne ager destitueretur humore,
in fluuium cessit sanguis hostilis.
nullus feracior campus
germinauit in lauros.
vniuersa belli moles
humeris incubuit tuis.
ideò socij tandem fugere destiterunt,
quia stabiliti tuorum verborum pondere.
reliquisti virtutis præclara vestigia,
quia non retulisti pedem:
inter volubiles commilitonum globos
quadrata tua constitit virtus,
non præceps in fugam;
hòc insignior, quòd etiam sublatis pugnasti signis.
vnus omnia belli complexus es munia,
idem relictus ductor, & miles,
immò vnus integrum agmen.
quàm amplo fuisti animo,
qui solus implesti campum!

IO.

Digitized by Google

# IONATHAN

## Vir fortis Dauidis.

Synop. *Fuit hic nepos Dauidis, interfecit in bello, quod gestum est in Gethe, excelsum gigantem, qui senos in manibus, pedibusq; habebat digitos, & conuicia iactabat in Dauidis exercitum.* 2. Reg. 21. 1. Paral. 20

## ENCOMION. 68.

Non nisi grande dicendi genus exposcit
sublimis tua virtus,
qua ingentem strauisti gigantem.
tua dextra nouam sibi vendicat laudem,
quia nouum perdomuit monstrum
senis armatum digitis,
nec in manibus modò, sed pedibus.
scilicet vt plures numeraret ille victorias,
plures iactabat digitos.
vt immensam ederet stragem,
præter mensuram sortitus est manum.
vt calcaret hostem maiore cum probro,
ampliores habuit pedes.
at non contentus innumeris palmis,
addidit palmare mendacium,
conuicijs in tuum agmen insultans.
ausus est & lata metiri manu,
& duplici mentiri lingua.
at magis te, vt expeteres pœnas, incendit
lingua bifida, quàm digiti seni.
multiplici dignus es calamo,
quo tua facta scribantur,
quia multos inter versatus es digitos;
sine mensura laudandus,
quia cum hoste congressus es victor immenso.

ADEO;

Digitized by Google

## ADEODATVS

Vir fortis Dauidis.

Syuop. *Fuit hic polymitarius vrbis Bethles, eximius arte tingendi, atque texendi, nec minus arte bellica præstans, in pugna contra Philisthæos occidit gigantem, cuius hasta erat quasi liciatorium texentium.*

2. Reg. 21.

### ENCOMION 69.

Quæ tibi tàm pulchrè contexetur oratio,
Rhetorum coloribus picta,
quin eam superes variegandi arte?
polymitarius fuisti, idemq; polemarchus;
præclarus arte texendi,
præclarior arte pugnandi.
ne tibi colores deessent ad purpuram,
hostilem effudisti sanguinem.
in primis idoneum vnum nactus es hostem,
qui ingenti vteretur hasta
liciatorio texentium simili.
sed sensit vitæ stamen à textore detextum.
In ea vrbe exercuisti artem,
quæ futura erat natalis Deo:
iam tum contexere instituisti purpuras
nascituro Regi;
tametsi ille maluit nasci nudus.
si tunc patria esset te sortita viuentem,
non esset ausus tyrannus immanis
facere innocentium stragem,
quia propugnator acer fuisses infantiæ.
sed ne deessent Regi nato insignia regni,
infantes artem supplerunt tuam;
pro colore vsi cruore,
tot diademata tinxere, quot fascias.

VRIAS

# VRIAS

## Vir Bersabeæ.

Synop. *Admirabilis eius pietas commẽdatur, quòd neque domum suam adire, neque vxorem reuisere voluerit, dum arca Dei iaceret in campo. impoctia quoque eius ostenditur interfecti.* 2. Reg. 11

### ENCOMION 70.

Non vltimus es in laude ponendus,
qui ante aciem constitisti primus,
vt præcidanea caderes victima.
ideò tu vulneratus ab exercitu Martis,
quia victor gigantis, à puero Veneris:
causa tui vulneris alienum vulnus;
empta est voluptas non auro, sed sanguine.
vt daret ille amori ludum,
tradidit te in aleam belli;
tædæ nuptiales tuo steterunt rogo.
Bellorophontæas tecum tulisti litteras,
nempè exaratas in exitium tui.
meruisti sub purpura stipendium sanguinis,
repensa est tua nece cædes hostilis.
quoties, cum tu fortem egisses militem,
acceperat Imperator literas,
de victo per te hoste laureatas?
at recepisti ab ipso de te cruentas.
quanquam fulmen dicendus es belli,
quia cadendo cecidisti hostem.
quanto flagrasti ardore pietatis,
cum noluisti propriis inferre te focis?
ausus non es in toro iacere vel casto,
Dei solio iacente sub pellibus.



Digitized by Google

# IONATHAS

Saulis filius.

Synop. *Insignis eius in Dauidem amor, & pietas commendatur. commutauit cum ipsius indumentis sua. conatus est sæpè Saulem patrem infensum Dauidi placare, etiã cum vitæ discrimine.*

1. Reg. 14. 18.

## ENCOMION 71.

Nunquam Amor adeò visus est pulcher,
quàm cum tu eum consecrasti pudore.
nunquam illius splenduerunt clarius faces,
quàm cum casto tuo admotæ sunt pectori.
amouit (opinor) Amor ab oculis vittam,
vt pulcherrimum spectaculum cerneret,
inter tale par amantium datum;
impar est, quod finxit Græcia.
cum inuicem vos exuistis ambo,
nudi certare voluistis amando
athletarum more:
& vincere glorioſum fuit, & vinci.
cum alter alterius veste se induit,
nouam Amor aperuit scenam;
scilicet pastor regia circumdatur purpura,
Regis filius melote;
ille sceptra manu tractat, hic pedum.
quanquam inter quædam discrimen haud magnũ,
arcum videlicet, & plectrum,
pastoritiam arundinem, & bellicam,
arma vel carmini apta, vel vulneri.
hærent oues, vtrum sequantur ignaræ:
quà dispari luduntur vultu, quà cultu;
ille voce notus, sed fulget purpura;
hic ignotus, sed tegitur melote;

Ta-

Digitized by Google

Tametsi fatetur se vterque pastorem,
ille populorum, hic gregis.
vt Amor probaret se verum, finxit;
cum alterum finxit in altero, non fefellit,
quia ambos conflauit in vnum.
egit Amor in vobis triumphum sanè præclarum,
quia versatus est inter amantium spolia.
percussisti cum amico fœdus,
ne percussus interiret à Rege;
icisti fœdus penè ictus à patre.
quanto fuisti animi róbore,
qui duplex vno tempore confecisti certamen?
alterum cum amante amico,
alterum cum parente hoste;
inter amoris, & odij tela
strenuè versatus.
bis subijsti aleam vitæ,
semel cum mel degustasti,
iterum cum mellitum amicum:
sed superior fuit acerbitate paterna
suauitas amicitiæ:
quanquam acerbissimus amanti fuisti,
cum in pugna cecidisti
inter amaros hostes.
ille tunc præco virtutis
cædis tuæ famam voluit mutam.
exaresscere iussit terram,
dum terram ipse rigabat fletu.
quid mirum? quando parenti etiam tuo
ipsius sitienti sanguinem
vel mortuo rependit lacrymas.
sed sagittam in primis laudauit tuam.
saucius videlicet in te amore.



Digitized by Google

# IONATHAN

## Patruus Dauidis.

Synop. *Fuit hic Isai frater, Dauidi ipsi à consilijs. educauit filios Regis. dicitur vir prudens, & literatus, quamobrem satis idoneus visus est Dauidi, qui constitueretur*
1. Para. 17. *liberorum nutricius, & magister.*

## ENCOMION 72.

Nihil potuit à Rege fieri consultius,
quàm vt non alij cor aperiret suum,
nisi tibi cordato viro.
ei potissimum credidit pectus,
quem in intimo condiderat pectore
natiuus amor.
non virtutis tantùm cognitio
Regem allexit,
sed etiam naturæ cognatio.
cum tibi ille liberos commisit suos,
non patruum modò voluit esse, sed patrem.
ratus est in instituenda ætate tàm tenera
plus agi oculis, quàm supercilijs.
non inter alias pueri educati sunt virgas,
quàm inter sceptra.
noluit eos ab exteris erudiri,
vt videretur sapientia
non foris accersita, sed domi nata.
vertisti regiam in musèum, immò in templum.
scilicet in excolendis ingenijs
te Rex elegit colonum.
qui doceres in primis numinis cultum.
cum pueros sapientibus alligasti præceptis,
fecisti, ne dicerentur ob vitæ licentiam
discincti nepotes.

CHV-

Digitized by Google

# CHVSAVS

Amicus Dauidis.

Synop. *Hoc maximè nomine commẽdatur. Dauidi occurrit fugienti cum sciſſa veſte, & capite terra turpato. deinde cum Abſalone egit, ne noctu patrem inuaderet: quo elapſo Achitophel, qui contrarium ſuaſerat, ſe ſuſpendit.* 1. Reg. 15.

## ENCOMION 73.

In dubijs euentibus belli
indubitatam oſtendiſti fidem.
occurriſti profugo Regi ſciſſa cum chlamyde,
vt ſaucium pateret pectus
doloris vulnere:
paratus eras vel nudus inuadere
caſtra hoſtium inter tela.
nulla cura militaris ſagi,
ſi Regia periclitaretur purpura.
nunquam integrior viſus eſt amor,
quàm in thorace diſciſſo.
quin etiam caput turpaſti puluere,
quod ſcilicet deuouebas campo,
ne regium careret corona caput.
admirata eſt matheſis
tàm perfectè inſcriptas in puluere campeſtri
recti amoris lineas.
nec ſolam oſtendiſti in amore pietatem,
ſed induſtriam, & ingenium,
quia fatuum reddidiſti conſilium
paricidæ filio datum.
nempè qui illud impiè dedit,
dum indagine cingit prædam,
ſpe fruſtratus
incidit ipſe in laqueum.

ABI-

Digitized by Google

# ABIMELECHVS

## Sacerdos Dauidis.

Synop. *A Saule impiè cum alijs sacerdotibus est interfectus, quòd Dauidi in magna inedia succurrisset submi-*
1. Reg. 21. 22. *nistrans cibum, eidemq; gladium reddidisset in sacro tentorio suspensum, quo gigantem occiderat.*

## ENCOMION 74.

Plurimas Pontifex cecidisti victimas,
tu quoque tandem mactatus in victimæ morem,
pulchrior tuo cruore, quàm pecudum;
vel nobiliùs litasti, vel sanctiùs,
quia pro salute Regis, ac Vatis;
vita priuatus ob datum præsidium vitæ;
cum è sacra mensa protulisti panem,
cauisti ne comederent, nisi mundi.
quanti animi eras, qui monuisti Regem?
quantæ religionis, qui Vatem?
eidem exarmato suffeciſti arma
imperatori sacerdos, diademato infulatus,
refixisti vnum ex æde sacra belli trophæum,
vt victor heros affigeret plura.
dedicata tela, nec vsu attrita
non rubiginem traxere, sed aciem.
gladium, quem pro numine spreto distrinxerat,
numini obtulit, vt voto se solueret.
nullum par esse dixit genus armorum,
quia hoc pro religione tractatum.
at tu impium pertulisti ferrũ, quia obtuleras piũ.
cum non auderẽt sacrũ tuũ caput violare lictores,
vnus inuentus est (prò facinus) tyranni pastor:
nihil Palæstina indignius vidit,
quàm iugulatam à pastore ouem.

SA-

Digitized by Google

# SADOCVS

Pontifex.

Synop. *Dicitur hic in sacra historia puer egregia indolis. adijt vnà cum tota familia Dauidem, cum esset in vrbe Hebrone. postea creatus est Pontifex, & inunxit, inaugurauitq; Salomonem Regem* 1. Reg. 2. 3. Reg. 1.

## ENCOMION 75.

Sacerdotalibus decorandus infulis
rectè auspicatus es decora
penè à fascijs.
egregiam prætetulisti indolem
ætate acerba, virtute præcoce:
regium ostendisti animum,
cum puer addixisti te Regi;
immò tecum traxisti familiam,
dux, & auctor antequàm miles;
tyrocinium virtutis
fecisti magisterium,
versatus es vbique cum laude
puer in aula, adultus in templo.
sacro inunctus es oleo Pontifex,
vt inungeres Reges.
omnium dicendus es literis,
qui statuisti Sapientem in throno.
sed apud eius parentem ante degisti,
vt doceres filium non esse degenerem.
aureum hic excitauit delubrum,
quia tu ibi sacra facturus,
cuius aurei erant mores.
è cœlo lapsus est ignis in victimas:
non alio flagrare debuit igne, quàm supero
talis Pontificis vel ara, vel pectus.

ASA-

# ASAPHVS

Phonascus.

Synop. *Præfuit sacra Dauidis carmina concinentibus. eius nominis titulum, & epigraphen habent nonnulli psalmi. dignitas eius muneris commendatur, & cum alijs, quæ à Regibus tribui solent, confertur.*

1. Paral. 6. Ps. 42. 43.

## ENCOMION 76.

Sacri Princeps odèi
musicos moderatus es modos.
absurdi deinceps acciderunt ad aures
non luscinarum modò, sed Sirenum cantus.
normam dedisti alijs flectendæ vocis,
vt flecterent Deum.
detonuit omnis cœli tempestas,
& fulminis fragor,
cum sacri carminis auditus est sonus.
pietas, & religio accepit vires
pulsu neruorum.
lento gradu pœna cœpit incedere
audita testudine.
demulsæ citharæ fidibus aures
Dei iussa exceperunt gratiùs.
immò dignum Asaphi nomen est habitum,
quòd regio inscriberetur carmini
nobili titulo.
alij marmoreis inscripti columnis
æternitatem affectent,
tu magni Vatis inscribaris oraculo.
vocalius te fama celebrat lyra,
quàm alios tuba.
nobilius fuit odèo præesse, quàm campo;
iucundius melicis dare iussa, quàm militi.

OBE-

Digitized by Google

# OBEDEDOMVS

Custos Arcæ.

Synop. *Cum Arca & Bethsamitis curiosè intuentibus, & Ozæ temerè tangenti exitio fuisset, non est ausus Dauid eam domi suæ recipere, sed collocauit apud Obededomũ; quem Deus multis affecit donis.* 2. Reg. 6.

## ENCOMION. 77.

Hòc tua domus sacratior fuit,& sanctior,
quòd nullos habuit Deos,
neque Penates,neque Lares.
hòc tutior fuit domus,
quòd talibus caruit custodibus,
qui ipsum perderent herum.
felix qui penè hospitem collegisti Deum:
euolans ille super aureas Alitum pennas
domi consedit tuæ;
te delegit,apud quem reconderet armarium legis:
iure tu adhibitus ad custodiam legum,
qui diuina seruabas iura.
cum Arca & nectar contineret, & virgam,
tu nectar expertus,ceteri virgam.
qui ausi sunt eam vel videre,vel tangere
pœnas luerunt amaras.
quam senserunt infensam plurimi intuendo,
tu beneficam sensisti tuendo.
domus cessit in delubrum,
foci cesserunt in aram.
quantum pietati confisus est tuæ
ille ipse Rex magnus, & Vates?
qui, quam reponere non est ausus in regia
aureis sub laquearibus,
sub augustiore tuo recondidit tecto.



Digitized by Google

# ABIGAIL

Vxor Dauidis.

Synop. *Cum eius vir Nabal, cui hebraicè nomẽ est à stultitia, Dauidi illiberaliter, ac barbarè cibum negasset, ac propterea ille cum armis eum inuadere destinasset, Regem placauit, eiq; postea nupsit.*

2. Reg. 25.

## ENCOMION 78.

Laudetur hæc mulier & sapienter, & iure,
quæ fecit, ne ob vnius stultitiam viri
tota periret familia.
mutauit Natura munerum vices,
in fœmina posuit, quod maximè decet virum,
consilium, ac prudentiam.
non est veritus ille vel Regem, vel Vatem.
sed cum huius prouidere noluit vitæ,
suum non præuidit exitium.
cum superbo fastu regios spreuit fasces,
in se acuit secures.
nempe negauit fruges, quia homo frugi non erat:
dum recusat extinguere militum famem,
accendit in eis sanguinis sitim.
at aluit hæc hostem, nè in se acciperet vires.
quandiù languebat hic fame, habuit acrem,
vbi cibo robur accepit, imbellem:
depastus esset familiam gladius,
nisi ipsa pauisset armatos.
sed abire non debuit impunè stultitia;
repentè vir diuinitùs percussus interijt:
at quæ obtulerat alimenta tàm splendidè,
illustrioribus digna tædis, ac nuptijs fuit,
deinceps non famulo iuncta, sed Regi:
adhæsit vitis quercui ad coronas aptæ, non stipiti.

ABI

Digitized by Google

# ABISAGA

## Vxor Dauidis.

Synop. *Laudatur eius pudicitia singularis. nam cum Dauid senio languidus refrixisset, coniuncta est illi toro, sed ita, vt virginitatis intactum florem, illibatumq; seruauerit. hanc appetens Adonias à Salomone necatus est.* 3. Reg. 1.

## ENCOMION 79.

Omnes vndique carpat Eloquentia flores,
vt tibi debitam componat corollam.
Regi coniuncta, qui frigescebat senio,
velut in media efflоruisti bruma,
corporis illibato pudore.
nupsisti verendo canicie Regi,
vt candor appareret inter capitis niues.
iuncta es venustate, non Venere.
hòc explenduerunt illustrius tædæ,
quòd non arserunt,
plus ad laudem luce valuere, quàm flamma.
nunquam tantum accepit roboris pudor,
quàm cum commissus est languido seni;
nunquam tàm immotus, ac stabilis,
quàm cum creditus trementi:
non timuit, ne caderet,
firmatus huius vel bacillo, vel sceptro.
fuisti à procis expetita, sed frustra,
habiti enim sunt rei affectatæ purpuræ,
qui tuum inficere voluere candorem;
regij damnati sunt ambitus,
qui torum ambiere Reginæ.
antequam nuptiales accenderent faces,
extincti sunt morte.
tumulus eos excepit, antequam thalamus.



Digitized by Google

# SALOMON
## Rex.

Synop. *Eximia, & admirabilis eius sapientia commendatur. præsertim cum verâ matrem discreuit à ficta. deploratur tamen eius lapsus, cum exteras deperijt mulieres, non sine veræ religionis iactura.*

## ENCOMION 80.

Hæret animus anceps decora inter, ac probra:
exteras adamasti mulieres,
at non suisti commisceri doctrinam
peregrino mendacio.
exleges fuere nuptiæ,
at legitimam complexus es sponsam
Sapientiam;
hæc mentem in rerum cognitione defixit,
voluptas de sede, & statu demouit,
cordatum fecit excordem.
studiosus pacis abstinuisti gladio;
quanquam eo semel es vsus,
non in hostili negotio, sed materno;
cum de vna prole duæ disceptarent matres:
ancipitem causam aptè conficere statuisti
ancipiti ferro.
nunquam acutiore habitus es mente,
quàm cum acutum distrinxisti telum.
difficilem nodum soluere aggressus es gladio
non adhibito, sed intento;
vel hoc Macedonum magno Rege maior.
iussisti sic matrum litem dirimi; filium perimi:
vt illæ inter se feriant fœdus, lictor hunc fieri.
vt iudicem te præstares integrum
infantem voluisti diuidi.

illius

Digitized by Google

Illius est partus, quæ renuit partem:
vt serues animæ dimidium, serua totum.
nempe nihil est in amore mancum.
at verò hac tu integritate caruisti,
cum à paterna defecisti pietate.
à pace sortitus es nomen,
sed cum alius deesset hostis,
tu tibi ipse fuisti.
gemuit Sapientia,
cum sapientissimum vidit desipere.
exorsus à Libani cedro disserere
cedro digna scripsisti,
sed immani corruisti radicitùs casu.
inaugurasti ritè delubrum,
sed exauguras ti pectus.
post tot hecatombas, & vota,
te victimam deuouisti, sed Veneri.
impetrasti purum è cœlo ignem,
sed iecur arsit incesto.
vbi iam refrixeras senio,
deflagrare cœpisti Cupidine.
cum multiplicasti tibi cantatrices, & psaltrias,
auxisti Sapientiæ luctum:
inter indumenta splenduisti regia,
at non æquasti lilia,
quia te spoliasti candore.
frustra solium ex ebore fabricatus es candido,
pulcher in throno, turpis in toro.
effinxisti ad solij decus leones,
sed inter generosas belluas degener:
pater à leonibus eripuit prædam,
at te filium prædatæ sunt lupæ.

NI-

# NICAVLA

## Regina Saba.

Synop. *Laudatur à studio Sapientiæ, cuius causa peregrinationē instituit, regni interim administratione deposita. eius admiratio ostēditur, qua est affecta, cū superatā dixit famam aspectu ipso, & præsentia Salomonis.*

3. Reg. 10
Iosephus.

## ENCOMION 81.

Euocauit è regno te Regis celebris fama
heroinam nobilem, nec famosam.
sed mirùm, quòd profecta es ex Oriente,
vt quæreres alibi menti lucem,
ænigmata, & obscuros attulisti gryphos
ex tàm lucida Mundi plaga.
odoratos posthabuisti agros
regij nominis fragrantiæ.
mirata iure es, quòd fama non creuisset eundo,
immò decreuisset.
tot illius ora minus æquarunt
quæ tuis intuita es oculis.
non minuit, sed auxit præsentia famam.
humiles eius tibi visæ sunt pennæ,
præ excitato Regis ingenio.
licet esset inflata tot oribus
parum canoram putasti tubam.
desijt tibi videri Arabia felix,
cœpit Iudæa.
ibi Natura producere debuit thura,
vbi cultus erat Numinis veri.
attulisti incognitam antea plantam,
vt ibi deinceps sudarent balsama,
vbi sub scientissimo Rege
gratiùs desudarent ingenia.

COL-

Digitized by Google

# COLLATIO EXTERORVM,

## QVI CETERIS HEBRÆORVM Regibus, ac Vatibus fuere Synchroni.



QVi Dauidis pietatem, & religionem secuti sunt Reges, ac propterea diuino testimonio commẽdati, ijs nostram quoque laudationem impertiri decet: siqui degeneres, atque impij se obtulerunt, prętermittantur. Intermisti sunt Regibus Vates præclaris oraculis inclyti; fuit enim eorũ Regum beata sors, vt suorum consiliorum haberent duces, non vt aliæ nationes, mendaces ariolos, ac diuinaculos, sed veridicos diuinæ mentis interpretes. nihil apud ipsos aruspicina valuit, nihil extispicia, non oscinum cantus ac præpetes auium volatus obseruabant; non auspicia ex acuminibus captabant; nõ tripudia solistima, ceteręq; eiusmodi ineptiæ leges rerum gerendarum dabant; sed præter adyta sacræ cortinæ, ac pontificium logeum, sanctissimorum hominum vaticinijs ad maximarum rerum molitiones vtebantur. non opus fuit tripodes adire Delphicos, cum haberent apud se certissimum, ac fidissimum in vrbe mantẽum. quoties exteri Duces ac Reges ambiguis Pythiæ verbis irretiti sunt? quoties non modò oraculi vanitate delusi, sed fraude decepti? Iudęorum autem Vates ea Regibus, & populis prædicebant, quæ verè dicta fuisse probabat euentus. admirari porrò licet, qua illi constantia, qua magnitudine animi impios deterrerent, etiam dynastas, ac tyrannos; quam indubitatè,

ac

ac fidenter de futuris, tanquam de præsentibus loquerentur; quippe qui non fanatici, ac lymphatic ferebantur, non laruati atque cerite, sed afflati concitabantur numine verè diuino, quod pectus implebat.

## AHIAE, SEMEIAE, ADDONI Prophetis sub Roboamo Rege Synchroni.

3. Reg. 11. AHias vaticinatus est, fore, vt Salomonem Regem mulieres alienigenæ alienarent à Deo. scidit sibi pallium, vt indicaret eius diuortium regni. Ieroboamum, quoque acriter increpuit ob aurea vitulorum simulacra, quæ colenda proposuerat; cum Ahiæ ipsi, vt aiunt, per vitium obiectum esset par boum, qui pessundarent populũ, atque in Sacerdotes impetum facerent. At Semeias Roboamum vetuit vlciſci de hostibus, quos Deus scelerum adhiberet vltores. idem templi, vrbisq; direptionem prædixit à Sesaco Aegypti rege faciendam. Addo verò non solum vaticinijs, sed prodigijs se admirabilem præstitit, cum Ieroboami regis manum in ipsum extentam arefecit, & quodam quasi vocis tonitru aram non concussit modò, sed fregit. hic idem singulari vaticinatione Iosiam regem trecentis post annis nasciturum præcinuit in simulacrorum ruinam: cui etiam illud contigit mirum, quòd cibo contra Dei præscriptum sumpto, alterius Vatis, qui ipsi imponebat, hortatu, occisus est à leone, sed ita, vt leo non modò ieiunus abstineret à præda, sed custodiret occisum.

hist. schol.

Geneb. Samos Smyrna Sibylla Samia.

Iam quo tempore hi Vates in Iudea florebant, Samos condita est; vnde Sibylla erupit, quæ Samia dicta. hæc in Iudæorum posteros maximè aculeos erexit, quod cœli regem ausuri essent per summum ludibrium coronare diademate ex aculeatis dumis contexto: præterea Smyrna circa hoc idem tempus celeberrima Ioniæ vrbs in minore Asia ædificis ornata, & spatijs laxata dicitur. habuit in primis bibliothecam nobilissimam, & porticũ cum Homeri statua;

Digitized by Google

statua; nam hęc vrbs inter ceteras hunc ciuẽ sibi vendicabat, suũ. at verò Hierosolyma pręclarissimis Vatibus gloriabatur, quorũ sapientia diuinitus accersita omni literatura exterarum gentiũ erat ornatior; eaq; habebat instituta, atq; oracula, quæ omni substructione ędificiorũ essent firmiorã.

Abias post Roboamum quanquam & ipse paterno exẽplo parum piè religiosèq; regnauit, tamen pręstantissimam consecutus est victoriam militum pietate, qui cum se impares viderent numero, & inter ipsam belli flammam constituti essent, diuinam imborarunt opem; itaque à quadringentis millibus duplo plures profligati sunt, hoc est octingenta millia hostium. Sasochis per id tempus leges ferebat Aegyptijs, sed hoc ab eo legislatore cautum non est, humanis non omninò fidendum auxilijs, neque præscriptum, quod præcipuum erat, secundum ius fasq; ex vnius Numinis lege viuendum, huius vnius fiducia nitendum, quo vel innumerabiles deleri copiæ hostium possint. 2. *Reg.* 15. 2. *Para.* 13. Sasochis

## ASAE REGI, ITEMQVE Azariæ, & Hanano Prophetis Synchroni.

ASa rex, & si in nonnullis hominum more peccauit, superiorum tamen Regum, Roboami, atque Abię impietatem detestatus, veram religionem arctè tenuit, Dauidemq; secutus est. nihil ipsi fuit antiquius, quàm vt superstitionis sentinã exhauriret: quo in genere haud scio an quicquam præclarius egerit, quàm quod matrem ipsam Priapi Deorũ turpissimi cultricẽ de imperij sede deiecerit. enimverò execrabilia, quibus initiata erat, abominatus sacra, indignam illam omni honore, atq; obsequio putauit; augustalibus spoliauit insignibus, quæ matronalem stolam impurissimæ idolomantiæ sordibus inquinaret. purpuram ei abstulit, quę de infamia nõ erubesceret. armauit duritia, vel potius cõstantia pectus, vt dignæ seueritatis in matrem iaceret telum; cuius iustæ vltionis hæc ferè præfatio fuit. Sci- 3. *Reg.* 15 2. *Para.* 15

licet hanc tu vitæ disciplinam tradis filio mater? nõ agnosco meã, quę non agnoscit suam, immò cõmunem bonorũ parentem, religionem. mater mihi eras, cũ me aluisti lacte, non es, cum lethale propinas venenum. nouercales domi suscitas rixas, dũ aduersis institutis, & moribus dissidemus. egone sanctissimo delubro ritè operer, tu superstitiosè sacrilegis aris? at ego tantum Dauidico generi probrũ inferri, aulam regiam officinam fieri nequitiæ, ac libidinum diuersorium nõ feram, non patiar, non sinam. proinde depone diadema istud gemmis illuminatum, ne maculetur; depone sceptrum aureum, ne turpetur. his, aut similibus Asa exanduit dictis, exauguratamq; à se dimisit. exuit filium, ut ageret regem, cuius est in religione stabilimẽtum regni, ac decus collocare. quamobrẽ ea seueritas rectè sentientium iudicio intra pietatem fuit, vt mater esse impia dedisceret vel magisteriò filij. statim verò fœdissimũ simulacrũ cõminuit, in puluerẽ redigit, in profluentẽ proijcit; specũ quoque eius turpitudinis ganeam excindit. quàm hic acer fuit sacrorũ vindex in ceteros, qui nec matri pepercit? quid igitur mirũ si pro eius imperio augẽdo, tuendoq; propẽsi Numinis indulgẽtia excubaret! hinc tot illæ manubiæ, quibus est auctus; tot laureæ, quibus ornatus. Zaram in primis Aethiopię regem, qui excursionem faciebat in regnũ, vicit magna manu, sed parua, si conferatur cũ hostibus, qui marinorum instar fluctuum inundauerant: pugnauit cum decies centenis millibus militum, & curribus trecentis, quãtum exercitum vix Xerxes eduxisse narratur. tum victoria potitus diuinitùs coegit hostem reddere quicquid ex augusto Solymæ delubro per vim eripuerat. Baasam quoque regem domuit multis ei vrbibus ademptis. Thraces hoc tempore mare obtinebant, latè littora occupabant, prædas agebant; sed stabilior certè Asę uirtus, quę non inter fluctus iactabatur, sed Numini uero fidebat. nihil apud ipsũ aruspina ualuit, nihil extispicia, nõ simulatis ostẽtis acuit militẽ, & multò post Agesilaus egit, qui literatis manibus victimę iecinori insertis iscripsit victoriã, sed habuit apud se Asa veridicos Vates, Hananũ, & Azariã, qui & consiliorũ duces esset, & uictoriarũ præcones. his auctoribus ita pfligauit hostes,

Digitized by Google

ſtes, vt non minus acerbum bellum ſuperſtitioni, impietatiq; indiceret. effœminatos, ac molles in primis eſt inſectatus martiali, ac virili robore: quamobrem ei tributum eſt, vt non ſemel obtingeret non ex inſcriptis fraude pecudũ fibris, ſed è cœlo accerſita victoria.

## IOSAPHATO REGI Synchroni.

IOſaphatum regem dignè laudauerit nemo, quippe rem- 3. Reg. 15.
publicã optimis moribus temperauit, ac religione muniuit. bello finitimorum petitus, non tàm armis, quàm inedia ſibi, ac ſuis indicta, & precibus ſuſis fudit hoſtem. in Syriaco item bello diuina ope ſeruatus eſt. inſtitutam à Salomone rege nauigationem in eam regionem, quæ Ophir dicitur auro diues, ſed intermiſſam ipſe repetijt; quo tempore Rhodij quoque mare tenebant. infeliciter quidam Ioſaphati claſſis nauigauit, tempeſtate videlicet conuulſa, atque diffracta, propterea quòd ſocios ſibi adiunxiſſet à vera religione diſſociatos: adeo nemo proſperè ſine huius clauo curſum tenere poteſt, ac naufragio ſit obnoxius oportet. Hoc ferè tempore Tyberi fluuio, qui antea vocabatur Albula, nomen dediſſe dicitur Tyberinus rex Latinorum ibi demerſus; quanquam alij à rege Tuſcorum illud repetunt nomen, qui cum piraticam exerceret, iuxta eum amnem bello perijt. Tybrim certè quaſi τύφειν dictum putant ab iniuria: at verò Iudææ regi ſolemne fuit non obuium quemque per latrocinium ſpoliare, ſed de religionis hoſtibus per preces, & vota deuictis ſpolia referre, atq; honeſtiſſimè triumphare. Multos hæc ætas, ac præclaros habuit Vates, Michæam, ſed alterum ab eo, qui conſcripſit oracula; Iehum, qui res à Ioſaphato geſtas literis mandauit; Eliezerum, Iahazielem, Heliam in primis, & Heliſeum, de quibus ambobus ſigillatim agam, omnes autem encomio digni.

*Hiſt. ſcholi.* Tyberinus.



Digitized by Google

# HELIAE
## Synchroni.

3.Reg.17 *Eccles.* 48. HElias eo ferè tempore, quo Tyberinus, vti diximus, demersus est aquis, imperauit aquis, aut inhibens eas, aut exhibens; immò verò ad Superos igneus euolauit. dedit nubibus imbrium leges; contractam vitijs hominum labem eluit pluuia; inedia, & fame sua communem omniũ extinxit sitim, telluris squalorem sustulit suo. pellicea accinctus zona, & melote indutus formidolosior fuit, quàm Alcides leonis exuuio. verberauit tyrannos linguæ flagro; magnam vim olei multiplicauit, ne videlicet sibi perpetuo luctatori, atque athletæ deesset, quo posset inungi. Achabũ impium regem, qui fastu intumescebat, vidit abiecta purpura, & regijs insignibus, inuolutum sacco setis aspero, sordidatum, & cinere squalentem, cuius scelera exagitarat acribus minis. mendaces item oppugnauit Vates. flammas ultrices è cœlo in aduersarios deuocauit; non tamen in igne, ac tempestate Deum agnouit, sed in aurę sibilo, quo scilicet indiceretur silentium impietati. in ariolos, & pseudomantas distrinxit non lingnam modò, sed gladium, vindex religionis acerrimus. futura tanquam oculis subiecta cernebat, modò ab alitibus, modò à Cælitibus pastus. princeps fuisse dicitur ascetarum, quos in Carmelo monte ad fastigium virtutis extulit. demum post exantlatos plurimos labores in religionis castris, post nobiles victorias, triumphantis more euectus est igneo curru in regionem amœnitatis plenam. sed quàm illustris hic heros dicendus est, à quo Sol ipse nomen accepit! adeò enim nostri Heliæ decus admirata est Græcia, vt Solem hunc, quem *S. Chrisost.* cernimus, Ἥλιον Helium nominarit; atq; igneos cum quadrigis equos, quod de illo audierat, attribuerit. eòq; hic illustrior & potentior quòd, cum libitum erat vt pluuiam exprimeret, Solem hunc nubibus inobscurabat. candidatus ille nunc est immortalitatis, quanquam olim à nigro corno pastus; repetet terras, futurus magni Iudicis præco, ac rigaturus per necem terram suo sanguine, quam rigauerat pluuia.

Digitized by Google

fluuia. multa præterea de eo similia prodigio traduntur: nam cum adhuc vtero gestaretur, ferunt huiusmodi speciē parentibus oblatam. viri niueo amictu ornati infantem è maternis vlnis, atque vberibus auellebant, eumq; in igneis cunis reponebant; fascijs item igneis inuoluebant; tum flammam cibi loco ministrabant, quam ille auidè resorbebat: significatio videlicet illa fuit ardentis studij, quod adultus præstulit in religione tuenda. neque illud caret prodigio; quòd nouennio postquam ad hominibus abierat, ad Ioram impium regem literas misit plenas minarum; quod planè mirum est, siue ea præscripserit nondum hoc regnante, sed præscius eius scelerum, quas literas per Heliseum alumnum Regi suo tempore tradendas reliquerit, siue potius eas in regione à nobis secreta, in qua nunc degit, scripserit, ac per aliquem Cœlitum, vt nonnulli putant, deferēdas curarit. in ijs certè literis acriter obiurgat Regem, quòd adigeret populum ad simulacrorum cultum inter lucos in editis montibus sitos; itaque ineuitabilem Dei vim dictam ei minatur, quòd contempto patrum suorum exemplo ad impietatem animum traduxisset, quin etiam ciues adegisset. excandescit item, quòd optimates per summam iniuriam, & immanitatem interemisset: pœnas igitur ipsum luiturū dicit, quas planè acerbissimas luit, viscerib⁹ paullatim miserum in modum effluentibus. extat hęc ad Regē epistola sacris monumentis consignata, quam non mirum, quòd in impietatem exardescens velut igneis conscripserit notis, si quidem eas, posteaquam in altum euectus est igne, conscripsit. quod autem magistri quidam Hebræorum addunt, Heliam, dum se è terris attolleret, laxatum corpore, & in sua solutum esse elementa: atque vbi ad ignis sphęram, regionemq; peruenit, ibi consedisse, id nonmodò ineptiùs, sed frigidiùs dictum puto. Ceterùm non est omittendum, quòd ad collationem cum exteris spectat, non multò post hunc Heliæ ad superiora discessum, hoc est annis post ferè quatuor Homerum è viuis excessisse, sed exitu longè dispari. narrabat enim Pythagoras, cum ipse aliquando ad Inferos descendisset, incidisse se in Homeri vmbram, quæ ab infelici arbore suspensa teneretur, eo autem supplicio damna-

*Epiph.*
*Dorot.*
*2. Para. 21.*
*Genebr.*
Homerus.

Digitized by Google

damnatum, quòd multa de Dijs indigna, ac fœda scripsisset.
*Geneb.* eodem igitur penè tempore, & Homerus, & Helias abstracti à terra, sed ille turpi suspẽsus laqueo, hic triũphali elatus curru. ille facta cecinit Regũ, hic admirabilius p̃cinuit fata.

## *HELISEO PROPHETAE Synchroni.*

*3. Reg. 11. Eccles. 48.* HEliseum Heliæ substituo, quia non solùm huius comes, & auditor, sed etiam successor, & tanquam hæres pietatis, ac prodigiorum fuit. vixit autem sub Iosaphatho, & sub alijs nonnullis Regibus. ab aratri tractatione, atque ab agro euocatus ad excolendas Regum aulas. impios mortales septenni fame macerauit. vrlorum famem, impiorum patrum sobole exsaturauit. fœdam auri ingluiem, vel in alumno suo fœditate lepræ puniuit. obæratas viduas pauper ipse non sine prodigio ditauit. mortuos excitauit ad vitam non viuus modò, sed mortuus. nimirum duplici afflatus Heliæ spiritu, quàm hic non degener filius, qui accessionem facere ad parentis gloriam voluit incremento virtutis! auarus videri potuit in petendo, sed idoneus
*S. Ambros.* fuit in promerendo. honorem hoc exhibuit parenti, quia effecit, vt plus ille præstaret, quàm videretur habere. quàm pretiosa hereditas, quæ duplicata est fœnore meritorum! obsessus aliquando Heliseus hic ab hoste meruit è cœlo auxilia, etiam cum nondum illud pateret. audaci hosti, & in se irruenti ademit visum, ne nosceret; contra ministro præstitit, ne paueret: aciem huic procudit oculorum, vt instructas videret acies Cœlitum. ipso nascente ferunt aureũ vitulum, qui colebatur in Galgalis, ingentem edidisse mugitum, ac lugubrem, quo omnem regionem latè compleuerit; ac tum à quodam Vate prædictum, hunc infantem fore, qui adultus, & vitulum ipsum, & cætera Deorum simulacra perderet. quin etiam scribit Hieronymus, apud eius tumulum Stygios hostes mirum in modum exhorrescere solitos, & magnos edere eiulatus. ex quo intelligi potest, quàm egregius hic bellator in castris religionis fuerit, qui

vel

vel carens anima quodammodo exanimaret hostem metu. quid mirum! quando & ipsa mors visa est illum reformidasse vel mortuum, iussa videlicet vitæ reddere cadauer cuiusdam, quod in ipsius tumulum fortè fuit iniectum. Vixit porrò Heliseus Hesiodi celeberrimi poetæ tempore, quanquam ille diutiùs superfuit. atque alter quidem insignis fuit Deorum theogonia, alter verò theomachia, quippè ille multitudinem Deorum protulit, hic sustulit. aiebat idem Pythagoras, qui, vti diximus, Homeri animam de trabe suspensam viderat apud Inferos, à se visam etiam Hesiodi animam columnæ alligatam, quæ vapularet acerrimè, & conscinderetur à Furiis, quod Deorum fœda crimina protulisset. interim Heliseus veri Numinis cultui amplificando, ac superstitioni delendæ illustrem nauabat operā. *Genebr.* Hesiodus

Cum Heliseo Naamanum coniungo, vnum è purpuratis Syriæ regis, quem ipse fœda lepræ contagione mundauit, quamobrem ille verum Numen agnoscens de Hierosolymitano solo glebam in patriam asportauit, vt aram apud suos consecraret, ac ditior, quàm si onustus auro, rediret.

## IONADABO RECHABITAE *Synchroni.*

IOnadabus Rechabi filius à Iehu Israelitarum rege in currum est impositus, siue testis, siue socius impij cultus abolendi, quem rex Achabus inuexerat. cum igitur ad Baalis fanum hierophantæ conuenissent, immissi sunt à rege milites octoginta, qui impetu facto cunctos gladio confoderunt; ipsum præterea spurij Dei simulacrum comminuerunt. præstitit in hoc se Iehus pium, atque vtinam postea eundem vitæ cursum tenuisset. interim Ionadabus vnà cum ipso rege tanquam triumphalem inscendit currum, etiam nondum inita pugna, quam parabat aduersus Erebum. auctor Ionadabus hic fuit ordinis, atque instituti Rechabitarum, qui seorsim ab alijs tanquam in asceterio, ac palæstra virtutis ab omnibus curis feriati degebant, vt diuina contemplari expeditiùs possent, itaque nec ædificia extruere *4. Reg. 10. Ierem. 35.*

Digitized by Google

extrueré fas erat, nec sementem serere. vino in primis abstinebant prorsus abstemij; cumque aliquando Ieremias suaderet, vt illud in communi mœrore degustarent ad ęgritudinem leniendam, obfirmato animo recusarunt id facere, ne præscriptas Rechabitarũ leges violarẽt: itaq; eo obedientiæ exẽplo vsus est ipse Ieremias, vt peruicaces aliorũ mentes castigaret, qui tàm facilè diuina iura rescinderent.

3. *Reg.* 21. Nabothus autem, Iosaphato gentis Iudaicæ sceptrum tenente, ab impio Achabo ceterarum tribuum rege per summam iniuriam necatus est, vt vineæ suæ ius tueretur, quam sibi ille vsurpare cupiebat, Iezabelis præsertim reginæ, quasi Furiæ stimulis actus. Habis hoc tempore imperabat in Hispania, qui auum nactus est immanissimum Gargorim nomine, quanquam Mellicola dictus est, quòd primus in ea regione colligendi mellis rationem, eiusque vsum inuenerit; sed plus aloes, vt dicitur, quàm mellis habuit, immò totus fellеus fuit; nepotem enim ex filiæ stupro natum non vno genere mortis conatus est extinguere. ac primò quidem in silua exposuit à feris laniandum; cum autem repertus esset earum vberibus inhærens, feritatem ipse induit, quam belluæ exuerant; itaque iũ aditum angusti tramitis, per quem armenta commeare consueuerant, conculcandum proijci iubet, parum sæuire sibi visus, si infantem nepotem simplici morte perderet; sed inde quoque cum inuiolatus euasisset, canibus ieiunis, & multorum dierum fame cruciatis obijcit; at cum hi non solùm non lederẽt innocentẽ, sed lacte alerent, furore gliscẽte in Oceanum abijci, ac mergi iubet; sed miro modo inter æstuaria illa ac reciprocantium vndarum motus, veluti naui, non fluctu veheretur, leni salo in littore exponitur incolumis; nec multò post cerua adfuit, quę turgentes lacte papillas obtulit: tot, ac tantis Habis ille iactatus incõmodis dicitur crudelis certè Gargoris, & qui belluas immanitate visus est voluisse superare; at iusta suppetebat causa doloris, & iracundiæ, stuprum videlicet filię, inusta nota genti, & aspersa purpuræ labes: Achabum verò regem quid impulit ad Nabothi cędem, nisi insana quædam cupiditas alieni agri possidendi? quæ ipsum non modò agrestem, sed impium fecit.

*Genebr.* Habis.

*Iustin.*

IOIA-

Digitized by Google

# IOIADAE PONTIFICI sub Ioa Rege Synchroni.

IOiadas religiosissimus, ac prudentissimus pontifex, cum Athalia regis Achabi filia, vt regnum sibi per tyrannidem vsurparet, regis Ochoziæ filios interfici iussisset, Ioam infantem, natu minimum seruauit, & clam in spem imperij educauit, tum septennem produxit, interemptaq; Athalia, in paterno solio collocauit, regemq; inaugurauit. ac Ioas quidem quandiu in Ioiadæ tutela, disciplinaque fuit, religiosè, ac piè se gessit, sed hoc monitore destitutus multa commisit & impiè, & crudeliter. fuit in Ioiada fortitudo, qua patriam à tyrannide liberauit; consilium, ac prudentia, qua puerum, & adolescentem regem instituit; religionis studium, quo & sanctissimum veri Numinis delubrum ornauit, & superstitiosas Deorum aras, & fana euertit. seruandum autem curauit infantem regem in ipso domicilio templi, vt pietatem vnà cum lacte nutricis sugeret. nec parua Ioiadæ laus est, quòd ambitione ductus non sit: cum enim ob regiam quandam animi præstantiã talis sit habitus, vt in Regum sepulchris condi meruerit; viuens tamen contentus pontificiis insulis non aspirauit ad regias; munitus præsertim populari gratia, qua florebat; sed regis filium neci subtraxit, & sua inunxit manu, atque in throno constituit. Lycurgus hoc tempore viuebat, cuius in hoc genere simillimum factum laudari solet: nam cũ frater Polydectes, qui Spartæ regnabat, excessisset è viuis vxore grauida relicta, cumque ipsi Lycurgo non modò ob genus regium, sed ob singularem sapientiam, & virtutes imperatorias, omnes regnum vno consensu deferrent, non solùm renuit, sed statim ac infantulus in lucem est editus, eum in regali sede ignarum sui honoris, & vagientem collocauit, impositoque diademate regem appellari iussit, nomen insuper indidit Charilaum, hoc est populi gaudium, ad suam & communem gratulationem referens alterius

4. reg. 11.

*Salian.*
*Iustinus.*
Lycurgus.



Digitized by Google

gloriam; puerum verò ipsum ad omnem perfectè gubernãdi rationem tutor informauit. laudatur, inquam, in hoc Lycurgi facto moderatio animi, & ambitionis contẽptus; at laudabilior Ioiadas hoc ipso tempore, quia non modò non vendicauit sibi regnum, sed patriam ab impiæ mulieris dominatu eripuit, ac multas difficultates exorbuit, ne regni hæres vita priuaretur. huc accedit eiusdem sanctissimi hierarchæ consilium, quòd id egit, vt religio Athaliæ scelere vexata, atque oppressa Regis à se instituti pietate respiraret. iam si ea conferantur, quę hac ipsa ætate Lycurgus, & Ioiadas in sua quisque republica constituerũt, inueniemus nihil ab hoc nisi honestum, & sanctum, ab illo autem multa parum piè, ne dicam etiam impudenter, ac stultè decreta. quanquam iactabat se Lycurgus leges ab Apolline accepisse. s. quæ redolebant impurissimi genij mores. eas certè leges Aristoteles rectę rationi, ac benè viuẽdi normę in multis aduersari docet, cũ videlicet ille mulieres in sua republica ita informat, vt nihil possit videri deformius; quippè eas ad omne intẽperantię genus effũdi sinit, q. Xenophõ apertiùs explicauit, cũ dixit, à Lycurgo nõ sine probro adulteria probata, quorũ viro ipsi procuratori esse liceret, & pronubo. ad hanc verò nefariam disciplinam præludebant pueri, puellæq; ita gymnicè institutæ, vt se nudis corporibus exercerent, pudore pariter spoliatæ. nec contentus Lycurgus rapto pudore, etiam aliarum rerum rapinam permisit ad exacuendam, vt ipse aiebat, industriã. huiusmodi igitur leges dũ nomothetes ille Lacedęmonijs sanciebat, Ioiadas omnia, quæ ad modestiam, pudorẽ, cęteraſq; virtutes spectant, in Hebræorũ republica decernebat.

## ZACCHARIAE
### filio Ioiadæ sub Ioa rege Synchroni.

Zacharias Ioiadæ pontificis filius sacerdos, ac vates, 2. Paral. 24 non tamen ille, cuius scripta extant oracula, à Ioa re-

ge,

ge, quem pater ab Athaliæ insidijs, atque à cæde seruatũ in hæreditario throno collocauerat, per summam impietatẽ saxis obrutus est, quòd ab ipso liberè reprehensus esset; in cuius nece illud planè mirum, ac prodigiosum accidisse ferunt, quòd eius sanguis effusus ad Babylonij vsque regis aduentum, cum captiua facta est Hebræorum natio, non modò liquidus permansit, sed tanquam in olla subiecto igni ebullijt, atque efferbuit; quod certè prodigium simillimum, ac geminũ est ei, quod hìc Neapoli cernimus de sanctissimi præsulis Ianuarij sanguine, qui aduersò capite colliquescit, gliscit, ac feruet; sed hoc maiore cum fœnore; neque enim sanguis hic tantum viuidus est, sed v tàlis, quo scilicet effugimus mortem. testis est patria cùm antea sæpe, tùm nuper cum deflagrante Veuuio monte, ac regionem latè vastante, magna cum clade incolarum, atque agrorum, nihil ipsa prorsus incommodi sensit, obiecto videlicet aduersus igniuomum montem efferuescente Ianuarij sanguine: terra, quæ horrendum in modum mouebat, gliscentis huius sanguinis motu stetit. qui ad nos deuoluebatur igneus torrens, paucas ebullientes guttas extimuit, impetumque continuit. funestus ille cinis reuertitus est eum, qui vel à morte viueret, immo in suo vulnere. accedit etiam ad decus, quòd sacerdos tãtùm Zaccharias, Ianuarius etiam antistes; vterque vates, nisi fortè hic clarior, quia circa splendidam Sosii flammam, quæ eius caput lambebat vaticinatio versata est. Ceterũ de Zaccharia, & illud mirũ tradunt: ex quo Ioas ipsũ occidit, desijsse diuina responsa, atq; oracula, tanquã ex polluto per paricidiũ delubro, edi, nec ex adytis modò eius cortinę, sed ex ornamẽto pontificio, atque logeò, vt fiebat. Iam longè dispar huius sanctissimi Vatis exitus fuit ab eo, qui vel Lycurgo legislatori, Laconum, vel Amulio Latinorum regi (ambo enim Zachariæ synchroni fuerunt) contigit: siquidem Lycurgi ossa è cœlo tacta fuisse dicuntur, & Amulium item fulmine ictum narrant; cum interim Zacharias etiam post mortẽ in ipso sanguine, quem constanter fuderat, viuere videretur quam obrem visum est præter encomion, hoc loco ipsius Hierosolymitani templi sacerdotum nomine, adum-

*Genebr.*

*Hist. schol.*

Amulius Lycurg.



Digitized by Google

bratum quasi quoddam tantæ rei monumentum ponere, & columnam excitare ( sic enim laudationem Gregorius Nazianzenus appellat στήλην ) cum hac epigraphe.

*Hospes paulisper hìc hære, nec tamẽ hæsitæ,*
*indubitata est prodigij fides:*
*hic, quem aspicis, cruor liquidus*
*Zachariæ vatis est, magni Ioiadæ filij,*
*qui olim in impium tyrannum obduruit.*
*nõ obriguit sanguis fusus, sed qui iussit fũdi,*
*adhuc increpitat Vates, adhuc minatur;*
*cruentat hostem vocali cruore.*
*interim muta fit cortina delubri,*
*vt audiatur sola vox sanguinis.*
*at tu quoque, qui hæc attonitus vides,*
*vide ne obrigescas stupore prodigij:*
*vetus est vulnus, sed recens est cruor,*
*ceteri viuunt à sanguine,*
*at hìc viuit sanguis Vatis exanguis,*
*et hoc quã mirũ qui saxis elicitus, liquescit:*
*plusquã lapideus es, nisi et oculi liquescãt tui*
*Sanctissimo Sacerdoti, ac Vati*
*Hierosolymitani templi aditui, ac hieroduli*
*M. DD.*
*Anno à Mundo condito* MMMCXCII.

Nunc quoniã in Ianuarij sanguine, prodigium simile admiramur, ei quoque, vt par est, patriæ nomine monumentũ dedi-

dedico, atq; epigraphen hanc, vt potè de sanguine viuido, & vitali; non tàm in marmore, quàm in corde, qui fons est vitæ, & receptaculum sanguinis, placet insculpi.

*Tibi, Ianuari, antistes magne,*
*Neapolis, quæ tuis innixa præsidijs*
*in horribili terræmotu incolumis stetiti*
*inter Vesuuij rogum, & oppidorum busta*
*per te reperit vitam.*
*inter immensam uim cinerum eluſit mortẽ:*
*quæ mirè, prodigiosèq; viuit*
*sanguine non suo, sed tuo;*
*fuso, sed viuido;*
*implorans opem saucij, sed medentis;*
*cæsi, sed per quem ducit spiritum:*
*nuper magno soluta metu,*
*maiore obstricta beneficio;*
*ardens in te pietate,*
*quæ per te non arsit flamma:*
*vti se in posterum quoquè incolumẽ serues,*
*præcipuo patrono suo*
*apotropæo*
*M.D.*
*Anno à Christo nato MDCXL.*
*ab vltimo incendio IX.*

Habes porrò pleniorem ea de re Ianuarij laudationem in libro, quem scripsi de incendio Vesuuij, & alteram in encœ-

encomiis Cœlitum, hanc addidi, quòd inciderim in simillimum Zachariæ prodigium de feruido, & tanquam recēti diu post necem sanguine. quod tàm eximium, admirandumquè prodigium tot ante sæculis præire visum est, vt adumbraret hoc nostrum.

## IONAE PROPHETAE Synchroni.

IOnas Amasia regnante Niniuen missus excidij, nisi resipisceret, præco, vndis ipse madens vrbem totam oppleuit lacrymis. vidit ea ætas spectaculum duplex, vtrumq; mirādum; ex hac parte Vatem à marina bellua exceptum non dorso, vt de Arione narrant, sed ore, tùm vtero indeq; incolumem in littus eiectum: ex altera verò parte regem ipsum, solo rumore vaticinii audito, ad hominis naufragi, ac peregrini aduentum exterritum, de throno desilientē, abiecta purpura, regioque ornatu, sacco indutum, edicto etiam proposito, vti non populus modò, sed bruta eodem squalore, iisdem sordibus deformata componerentur in luctum. nemo regum etiam piorum tàm commotus esset animo, tàm sanctè, castèq; ad religionem incubuisset, vel in ingēti calamitate, vel in subita hostilis exercitus excursione, quàm hic piè, solicitéq; à Superis veniā exposcere studuit, vnius neglecti, & exarmati voce præconis auget admirationē res prodigio similis: eccquē enim putamus hūc regem fuisse? Sardanapalum ferunt, scilicet nobile illud ignauiæ, atque vecordiæ portentum; sed nimirum diuinæ præsensioni, & comminationi Vatis tanta vis fuit: nondū se rex effundere cœperat in illecebras, cum profudit lacrymas; vbi verò placatam sēsit iram Numinis, quasi feriatus à curis, ita se totum corruptelis tradidit, vt nihil esset eo inquinatius, nihil probrosius. itaque cum vix aliquando ad ipsum visendum (neque enim se vnquam in conspectū dabat) regni præfectus Arbaces esset admissus, vt de imperio quædam magni momenti seriò conferret, inuenit Regem inter scortorum impurissimos greges, purpuram colu

*Salian.* Sardanapalus.

*Iustinus.*



Digitized by Google

ntem, & muliebri habitu pensa inter puellas partientẽ; quod cum non modò indignum, sed intolerandum visum esset, monuit proceres in primis, docuit cui parerent, tractanti scilicet lanam: itaque fit coniuratio, inuadunt regiã ferro. ille inops consilii se, opesque suas in incendium mittit; & qui antea ad Ionæ minas resipiscens se operuerat cinere, versus ad impietatem ipse abiit in cineres.

# OZIAE, SIVE *Azariæ regi Iudæa Synchroni.*

INdigni laudatione reges Iosaphatũ subsecuti sunt: Ioramus fraterno sãguine infectus; Ochozias ex paterna, maternaq; disciplina impius; Ioas quoq; post Ioiadæ mortẽ quasi gubernatore destitutus in lapideos Deos, tanquam in scopulos incidit, quibus allisus est & Amasias filius. dignior verò, qui commendetur Ozias, dictus etiam Azarias. hic ita regnauit, vt pietatis simul, & fortitudinis specimen prætulerit: vicit Philisthæos, Arabes, Ammonitas, Aegyptios, remotasq; alias gentes sui nominis terrore concussit. machinas ad iacienda tela, & saxa grandia è mœnibus aduersus hostes comparauit. vrbes multas exædificauit, turres in solitudine, & publicas munitiones extruxit, vir planè felix, si regis honore contentus non affectasset etiam sacerdotalem, ausus videlicet acerram tractare, ac thus ad aram adolere, ratus omnia licere sceptriferæ dextræ; sed lepra percussus est statim in fronte, vbi diadema gestari solet, cõmaculatis auro, gemmisq; vt regia fascia tantùm vsui esset ad tegendã, & si frustra, fœditatẽ morbi: ita didicit in sacris rebus non esse fronte perfricta, cum malè fuit affecta. eodem anno terræmotus extitit prodigiosus, ac prorsus horribilis, vt abierit in prouerbium de summis malis; siue exhorrescente natura, ac facinus regis, qui in sacra inuaserat munia, vlciscì volente; siue ad nouorum regnorum exortum contremiscente Mundo, ac nutante, eorundemq; motus,

*4. reg. 15. 2. paral. 26*

*Zach. 14.*

Digitized by Google

motus, conuersiones, ac reciprocationes quasi præsentiente: sub hoc enim tempus Macedonum, ac Romanorum imperia sumpserunt initia, quorum armis orbis terræ concussus intremuit. Ceterùm hac Oziæ ætate Aegyptii regem suum Osorthon ob res præclarè gestas Herculem cognominarunt; si quis verò crebras Oziæ victorias de variis hostibus reportatas numeret, & rei bellicæ gloriam consideret, eo nomine facilè dignũ putabit. Phidon quoq; Argiuus tunc mensuras, & pondera inuenit; atqui multò laudabilior Ozias, qui æquissimis vsus est lancibus, dum regnaret, præter machinas firmissimas, quas, vt regnum tueretur, inuenit. quanquam illa verè dicenda sunt pondera, & momenta, quibus Amos, qui tunc viuebat, est vsus in verbis, cum iustam librabat iram vindicis Dei; & cum esset ipse pastor, & rusticus, acribus tamen vaticiniis cùm aduersus suos, tùm exteros editis, & Numinis propositis minis, non minus quàm terræmotus, de quo locuti sumus, mortales exterruit.

*Euseb.* Hercules Osorthos

Phidon.

## *IOATHANO REGI IVDAEAE Synchroni.*

4. reg. 15. IOathanus rex parentis Oziæ pietatẽ imitatus est, non item audaciam. incendit aram non igne, sed votis. tetendit manus non sacerdotali more, sed supplicum. rem feliciter gessit, hostem domuit, imperauit ei auri, ac fruges annuas. congressus item cum Ammonitis, victos tributi onere depressit. nimirum, vt sacra narrat historia, ea, quæ agebat, dirigente Numine, cuius fiducia nitebatur. Multa hoc regnante in orbe terrarum contigerunt, quæ omninò prætermittenda non sunt. sub hoc enim tempus magistratus apud Lacedæmonios institutus est eorum, qui Ephori vocabantur, quorum tanta erat auctoritas vt regibus ipsis imperarent, & cum esset opus, pœnam etiam irrogarẽt. continebant hi legum metu reliquos, ac propterea iuxta ipsorum triclinium Tioris sacellum (erat is Numinis loco) positum erat, quòd putarent, eos fore in bellis animo ere-

Digitized by Google

erectiores, ac minimè timidos, qui maximè timerēt leges. ceterùm adeò Ephori superstitioni seruierunt, vt ex leui eorum obseruatione maiestas regia penderet: quippe singulis nouennijs serenam noctem, & Luna carentem obseruantes, taciti sub diuo considerabant, cœlumque contemplabantur: si qua igitur stella discurrens in oppositam se partem contulisset, indicium id esse putabant, regem in re aliqua deliquisse, ac propterea Deos habere iratos, itaque regno interdicebant, nulla instituta actione, nec reo die dicta, sed nocte: at quantò grauior illa Hebræorum Vatum auctoritas, qui non ducti superstitione, sed religione, atque afflati diuinitùs, acres ipsis regibus intentabant minas, quanquam Ioathanus ita ciuibus imperauit, vt Dei iussis obtemperaret. Hoc etiam regnante Olympia olim ab Hercule instituta, ac diù intermissa, ab Iphito reuocata sunt; quo factum est, vt res deinceps annalibus consignatæ certiores manarent ad posteros; quippè in quaque Olympiade victorum nomina scribebantur in tabulis, incidebantur in columnis. ac primam quidem victoriæ laudem tulit in cursu Chorœbus Elæensis, deinde sub eodē Ioathano rege Androclus, postea Polycrates, ambo Messenij: sed aliud est in stadio, aliud in campo certare, vbi Mars armorum fragore circumtonat, quæ huius regis est laus; illa etiam maior, quòd in augustissimo delubro speciosam portam, atque sublimem magnificentissimè extruxisse dicatur. ac certè legimus sculpendi, atque cœlandi artem hoc maximè tempore apud exteros floruisse: Ioathanus tamē nō sibi statuas, columnas, & obeliscos excitandos, & sculpturis rerum à se præclarè gestarum notandos curauit, sed omnem operam ad religionem ornandam contulit. Nihil autem tàm memorandum sub hoc rege contigit, quàm Romuli conceptus, atque partus. scilicet Vestalis stuprum decorarūt Martis nomine, ne Roma de conditore erubesceret, antequam insigni illa ruberet purpura. conceptum porrò dicebat Romulum Teruncius, vir mathematicis in primis eruditus, tertio & vigesimo Decembris die, hora tertia; ac Solem tū (vt ex horoscopo conijciebat) omnino defeciſſe, ne videlicet se Roma iactaret illustrem tali conditore, antequam

*Salian.* Olympia Iphitus.

*Dionys.* Chorœbus. Androclus. Polycrates.

*Genebr.*

Romulus Remus.

*Plutar.*



Digitized by Google

veræ Religionis lumen à noſtris acciperet. Interim dum Romulus vnà cum fratre lupæ lacte aleretur, Iudæa, ac religio ipſa incrementum accipiebat, nutrita vel Vatum lacte, vel Regum. Eſaias,& Michæas præſto erant: atque hic cùm geneſim noſtri aſſertoris æternam à Deo parente, tùm temporariam à matre virgine præcinebat; Ille etiam ſponte ab ipſo ſuſceptam pro ſalute mortalium necem tanquam ſpectator exhibuit. quanquam alios item præter hos Ioathanus rex nactus eſt vates; nam & Amos, & Oſees ſua ſuderunt,& ſcripſerunt oracula. quo ſcilicet tempore apud exteros nonnulli ſtylum in rebus aut anilibus, aut leuioribus exercebant; quippè Monius poeta Theogoniam carmine complexus eſt, & Eumelus item poeta Burgomam, & Eropiam; Archimus verò & Iliacum excidium, & Aethiopicam vaſtationem ſcripſit, interea Ioathanus bellica laude florens. Ammonitas impium genus hoſtium, debellauit, ac præclaram retulit victoriam, planequè dignam, in qua deſcribenda ſcriptorum etiam exterorum deſudarent ingenia.

Monius. Eumelus Archim. *Euſeb.*

## *PROPHETIS ſub Acha rege Synchroni.*

IIdem ferè vates qui ſub Ioathano, ſub hoc etiam floruerunt, ſed Eſaias in primis, cuius laudationē ad Manaſſę; à quo impiè necatus eſt, tempora reſeruo; hoc tamen loco inſigne vaticinium, quod apud Acham regem edidit, prætermittendum non eſt. abhorret primò animus, ac refugit; ſed mox reuocatur, & gaudio gliſcit. quid ita? quia Achas hic Ioathani filius paternæ religionis oblitus ad ſimulacra defluxit; & cum finitimorum bello peteretur, ad vanam Deorum opem cōfugit; atqui cum tàm impius eſſet (ò Numinis benignitatem) maximum diuinæ pietatis oraculum accepit, quippè cum ab Eſaia vate monitus eſſet, vt ingens aliquod prodigium, ac ſingulare à Deo peteret, veritus ne quid

Digitized by Google

quid hinc vero Numini accederet gloriæ, recusauit; sed dē
à Deo petere non vult prodigium, visus est ob pertinaciā
ipse portentum. datum tamen est id, quod maximè omniū
admirabile, ac prodigiosum diuinæ bonitatis argumentum
fuit; nempè significatum est regi, fore, vt aliquando Virgo
illibato pudicitiæ flore conciperet, ac pareret non quemli-
bet hominem; sed Deum. at quandò hoc tàm præclarum Roma.
oraculum editum est, tum cum Romanæ vrbis fundamēta
iaciebātur, eius scilicet vrbis, quæ recepto deinde eius Nu-
minis, quod præcinebatur, cultu, futura erat religionis re-
gia, & commune delubrum sanctitatis. iacta autem hac ra-
tione fundamenta dicuntur (est enim operę pretium tanto-
rum natalium meminisse.) accersiti ab Hetruria aruspices
cum in orbem terram fodissent, scrobemq; fecissent, primi- Plutarch.
tias rerum omnium, quibus lege vt honestis, natura vt ne-
cessarijs vtimur, in eam iniecerunt; ac postremò ex qua
quisque profectus erat, terra (multi enim vndique conue-
nerant, ac diuersi) particulam quandam ferens eòdem in-
tulit; quamobrem fossam ipsam appellarunt Mundum, hoc
est quoddam orbis terræ compendium. Opportunè igitur
est factum, vt eo tempore Romanæ vrbis fundamentis
Mundi appellatio tribueretur, quo Esaias fundebat oracu-
lum de nascituro magno Liberatore Mundi, cuius etiam
fuerat auctor, & conditor. sed consecutus est mox infamis
ille Sabinarum virginum raptus; cum enim Romulus va-
fro consilio ludos indixisset in Neptuni honorem, (in qui-
bus scilicet ludis naufragium faciendum erat honestatis, ac
pudoris) conuenissent q; Sabinæ, repente eas, nec opinātes
Romani aggressi sunt, ac per vim suam sibi quisque vsur-
pauit; quod adeò indignum, ac fœdum visum est viris, vt ad
arma concurrerint. atqui huic raptarum virginum turpi-
tudini oppositum ab Esaia vate tunc est oraculum de insi-
gni Virgine, cuius pudicitiæ florem neque conceptus di-
uinæ prolis, neque partus infringeret. Huc accedit quòd
eodem hoc tēpore, quo Roma fundata est, Michæas quo-
que edebat oracula, inter quæ illud in primis excellit, in
quo de Bethlemiæ vrbis dignitate loquitur, cum eam inter
principes vrbes eminere dicit, propterea quòd inde pro-



Digitized by Google

diturus esset imperator Deus, ibiq; cunas habiturus. adorat nunc eas Roma cunas, & apud se habet, vt grandior adolescat ad gloriam. Ceterùm narrant in ea Romanæ vrbis molitione Lunam defeciſſe ex congreſſu Solis: nimirum illa religionem expectabat veram, quæ in tanta superstitionis caligine lumen afferret, qui dies ipsi futurus esset verè natalis. Duxit deinde Romulus triumphum abiens in locũ, quod postea Capitolium dictum est, vbi opima spolia Feretrio Ioui dicauit. atqui Esaias inter hæc dum de Deo nascituro apud Acham vaticinatur, totus inter spolia versatur, ac prædas, ipsumq; pueri triũphale nomen ducit à belli celeritate, à cursu, à festinatione prædandi. Hanc autem in-

Aeschines Eleates Olymp.

signem victoriam dum Vates commemorat, in Græca Aeschines Eleates in Olympico cursu vincit: sed illud spectaculum cœlo dignius, illa excursio plurimam habet gloriæ, quam ille in spoliando hoste describit, diuinitùs de Erebo parta victoria. omnia item bella, quæ sub hoc tempus ab exteris gesta narrantur, ludi sunt; siue quæ Antennatæ, Crustuminiq; mouerunt aduersus Romulum ob Sabinarum raptum, siue illud vicennale bellum, quod Lacedæmo-

Asylum.

nij contra Messenios intulerunt. Asylum quoque Romulus tunc instituit, hoc est perfugium improbitatis, atque audaciæ, quo colluuies aliarum gentium confluebat, vt impunitate alerẽt scelus. at Esaias aliud mortalibus asylum proponebat longè firmius diuinæ pietatis, quò tanquam ad arcem qui confugerent scelesti, desinerent esse rei. sed illud in primis animaduertendum, quod Esaia vaticinãte Samia quoque Sibylla vaticinata dicitur, quanquam alij Erythræam dicunt, quę de eodem Numine inituro terras multa prædixit. digna visa sunt carmina, quæ in Capitolium inferrentur, cum in ijs triumphator, ac victor de Erebo Deus præcineretur. ferunt enim restituto Capitolio C. Curionem Cos. retuliſſe ad Senatum, vti legati ad rubri maris accolas mitterentur, qui carmina eius Sibyllæ cõquirerent; Romamq; deportarent, vbi inter aurea spolia, & laureas collocata sunt. Floruit etiam hoc tempore apud exteros Eumenus Corinthius carminum scriptor, quæ omnia vetustas obruit, Esaiæ autẽ oraculũ immortalitas excepit.

*Genebr. Hist. schol. Sebast. Ver.* Sibylla Samia.

*Dionys.* Eumenus.

Obe-

Digitized by Google

Obedus quoque vates hoc tempore laudem meruit, qui ceteris tribubus Iudam infestis armis inuadentibus, vnus occurrit, atque oratione ad persuadendum accomodata, intentatis etiam Dei minis ferociam integri exercitus inhibuit, & cuncta composuit. laudabilior planè hic, qui penè domesticam belli flammam extinxit, quàm Romulus, qui tum finitimas gentes lacessebat armis, vt vrbem amplificaret, quam fraterno cruore fœdarat. 2. *Paral.* 28

## *EZECHIAE REGI Synchroni.*

EZechias hòc admirabilior fuit, quòd ab Acha impio parente genitus, totum tamen se pietati dedidit. cõceptus autem, ac natus est anno post Romulum, vt illi opponeretur. defeciſſe narrant Solem in Romuli cùm conceptu, tùm morte, præter Lunæ defectum, qui, dum vrbis fundamenta iaceret, contigit. adeò quæ de illo præcipua dicuntur, oppleta sunt tenebris; cum contra quæ ad Ezechiam pertinent, in luce versentur, producto videlicet die in argumentum producendæ longiùs vitæ. ac Romulus quidem eam vrbem condidit, in qua deductus ab Epidauro serpens (ea se specie communis hostis induere solitus) cultus est; Ezechias autem illum ipsum serpentem æneum aliquando salutarem, ne Numinis loco haberetur, confregit, atque comminuit; vt vel hoc declararet quantò acerbiore odio in cetera simulacra ferretur; quorum ne analecta quidem superesse passus est: quippè redacta in puluerem in profluente demersit. In re autem bellica quàm clarus fuerit, nobiles indicant victoriæ, præter illam celeberrimam, quam de Sennacheribo Assyriorum rege diuinitùs reportauit, vnius tantùm è Cœlitibus ope, qui tantam de infinitis penè hostibus edidit stragem, quantam integer exercitus bellatorum edere non potuisset. Multæ apud exteras gentes Ezechia regnante initæ sunt pugnæ; nam & bellũ Camerinum à Romanis est gestum, & Fidenates armis oppressi; sed leues hæ pugnæ ingenti illa victoria facilè obruun- 4. *reg.* 19. *Florus.*

ruuntur.atque inter tot ſpolia hoſtium dum Ezechias Hieroſolymis triumphat,Romæ ſors fuit longè diuerſa;ſiquidē Tarpeia arx,quę poſtea Capitolij nomen ſumpſit,per pro-
Tarpeia. ditionem eſt capta.Veſtalis enim virgo Tarpeij, quem Romulus præfecerat arcis cuſtodiæ,filia, aquatum profecta in hoſtes incidit,quam cum hortarentur, vti arcem proderet, annuit illa, modò id, quod ipſi ſiniſtra geſtarent, offerrent; allecta videlicet armillis aureis,quarum pulchritudinem, ac pretium admirabatur. facta igitur arcis proditione hoſtes ingenioſo mortis inuento promiſſa ſoluerunt,coniectis enim ſcutis,quæ inſeruerant ſiniſtræ, puellam miſerè obruerunt,ac luce priuarunt.Ezechiæ verò hoc fuit in votis, vt religio,cultusq;diuinus incrementum acciperet,has eſſe veras,& regias opes ratus.anteuertit hic pię,quod mox erat
Numa Pompilius. acturus impiè Numa ſecundus Romanorū rex,qui ſcilicet ſacra, & ceremonias, omnemq; Deorum hierurgiam edocuit;qui pontifices,curiones,augures,aruſpices,fratres Aruales,ac Salios inſtituit; Flamines item tres, quorum qui Ioui operabatur,Dialis;qui Marti,Martialis; qui Quirino, Quirinalis eſt dictus; deniq; omnia varijs ſuperſtitionibus, ac nefarijs præſtigijs inquinauit,vt diuinitùs ei opponi viſus ſit Ezechias,qui tanta infectū contagione ſæculum expiaret. digeſſit autem annum Numa in menſes, ac dierum, temporumq;rationes certis legibus temperauit;at non potuit diei leges dare, vt longiùs ſolito produceretur, quod actum eſt in Ezechiæ ſalute. itaq; Solis, Lunæq; curſū tantum ille exhibuit, hic inhibuit,ac reuocauit.ille alijs tempora deſcripſit,hic ſibi præſcripſit; ille denique definiuit dies,hic potius extra fines protendit. Obijt tandem Ezechias anno ferè ante quàm Romulus,ne forte in Solis, de-
Salian. Romul. liquium,atque caliginem,quæ in illius morte contigit, incideret is,in cuius vitæ argumentum facta potius erat diei; ac lucis acceſſio.

Nahum autem, Ezechia regnante, Niniue vrbs ſceleri acerbum habuit, quippè quæ abuſa fuerat Dei clementia, enimuerò cum ad Ionæ vaticinantis minas exterrita reſipuiſſet, atque ideò impendens ſupplicium effugiſſet, mox ad priſtinam redijt impietatem, at non impunè; quippè ingen-

Digitized by Google

ingenti terræmotu facto ignis infernè immensus erupit, quo tota regio conflagrauit. ad hæc aquarum torrentes è solitudine cum impetu effusi reliquias vrbis obruerunt. ita ea gens, quæ antea cineris squalore susceptо ardentem irã Dei sopierat, vbi eum sustulit, hanc suscitauit, & arentibus iam oculis, lacrymisq; siccatis, aquarum eluuie demersa est. Niniue.

# MANASSAE REGI IVDAEAE Synchroni.

MAnasses Ezechię parentis moribus plane oppositus fuit. ille augustum delubrum ornauit, hic inquinauit; ille lucos excidit, hic condidit; ab illo simulacra diffacta, ab hoc facta; illi aduersus Sennacheribum Cœlites militarunt, hic cœli militiam coluit; ille à Vatibus, atque à diuinis pendebat oraculis, hic ab ariolis, extispicibus, Pythonibus; tùm maximè impius, cũ igne filios expiari credidit. ac ne quid tot scelerum monstris deesset, monstrosã sibi ipse statuam fabricasse dicitur, quinque habentem facies, vt videlicet quotquot delubrum adirent, ipsi omni ex parte honorem exhiberent, hòc impudentior habitus, quò plures habuit frontes. Multa Manasses egit impiè, ac scelestè, sed illud tale est, vt neque Oceano elui posse videatur, cum Esaiam sanctissimum vatem è regio genere, immo patruelem suũ per summã impietatẽ crudeliter necauit lignea serra dissectum. hoc tamen tam immane facinus, ac penè inexpiabile vnà cum ceteris (ô miram Dei pietatẽ) tandem lacrymis eluit, ac deleuit. extat eius precatio ad Deum plena mœroris, ac luctus, qua pacem expoſcit, ac veniã. At dũ Manasses totus lacrymis diffluit, ac seſe afflictando diuexat, Sybaris ciuitas apud exteros cõditur, scilicet ea vrbs, cuius ciues adeò intemperãtes, & luxu perditi fuerunt, vt in prouerbium abierint Sybaritarũ deliciæ, & Sybaritici ludi. sed hoc opportunè in id tempus incidit, q Nudipedalia apud Lacedæmonios primũ acta, res quidẽ idonea ad auerruncandã irã Numinis; quippè verę pietatis fructũ potuit Manasses ex huiusmodi afflictatione pcipere. 4. reg. 21. *Euseb. Hist. schol.* Sybaritæ.

ESA.

Digitized by Google

# *ESAIAE PROPHETAE Synchroni.*

ESaias rerum gerendarum vates, an quasi gestarum testis dicēdus sit, qui eius legit oracula, penè ambigit. nobilissimus planè vates, siue genus consideres natalium, quod ex regia prosapia fuit; siue genus dicendi, quod elegans est, perpolitū, floridum; habet tamen iuterdum instar apis aculeum, quem erigit nunc contra suam gentem minus piam, nunc contra exteros, hoc est Idumæos, Philisthęos, Babylonios, Damascenos, Aegyptios, Tyrios; nec cum Tyrum cruentat, caret dicendi purpura. Iam quanta huius Vatis est dignitas, cuius oracula de se interpretatus est ipse noster assertor, hoc est magni Parentis sapientia? cum enim aliquando in suorum ciuium conuentu esset, allato Esaiæ libello, assurrexisse dicitur primò, ac stetisse, quo ostensum est, quanta huius Vatis esset auctoritas, cui maiestas ipsa assurrexit diuina: fudit autem hic sanguinem eadem constantia, qua fuderat oracula: narrauerat videlicet admirabile illud visum de Deo rege ter maximo, qui sederet in throno inter flagrantes amore Cœlites. exarsit his auditis ira Regis, ac procerum, quos arguebat impietatis; itaque iussus est serra diffindi lignea à vertice per medium acerbissimo cruciatu. ferunt in siti repēte miras fontis scatebras erupisse, tellure, antequam sacrum ebiberet cruorem, aquæ prodiga morienti. sepultus est sub quercu inumbrante tumulum, & tanquam de impietate victori quernas coronas sufficiente. Multi quidem sub idem tempus apud exteros coronati dicuntur Olympionicæ, in primis Dotades Messenius velocissimus cursor, & Pythagoras quidam Lacedæmonius, Eurybates quoque Atheniensis, sed illi oleastro quasi agrestes, hic quercu, quippè sæculum prædixerat aureum, quod per Dei liberatoris ad mortales accessum futurum erat. Iam Samiam, quæ sub hæc tēpora floruit, Sibyllam cum Esaia, neque oraculi maiestate, neque præsensionis claritate vlla ratione conferri posse, paullò ante diximus.

*Luc. 4.*

*Epiphan. Hist. schol.*

Dotades. Pythag. Eurybates *Salian.* Olymp.

TOBIAE

Digitized by Google

# TOBIAE VTRIQVE Synchroni.

TObias partim sub Ezechia, partim sub Manasse regibus vixit. is capta per Salmanasarum Samaria in seruitutem abijt vnà cum filio, ac familia, sed captiua teneri non potuit pietas; inuestigabat insepulta cadauera suorũ, ac pollinctoris more baiulabat, humabat. probata inter hæc virtus est; nã qui vita functos lacrymis abluebat, contractis auicularum sordibus, vsu oculorum priuatus est, & qui curabat extinctos, amisit lucem. nulla propterea vox iacta in cœlum est, cuius aspectu carebat, plena querelarũ. Nicepsas apud exteros hac ætate viuebat medicæ artis peritissimus, idemq; præstigiator insignis; multa de curandis morbis scripsit, sed obcæcatus ipse impietate non vidit nullum esse præsentius remediũ, quàm pietatẽ; ignorauitq; amarissimum doloris sensum ex cæcitate acceptum posse diuinitùs vel felle curari, atq; mulceri. Sub hoc idem tẽpus Numa Pompilius parentalia instituit, ac leges funerum dedit, qua videlicet ratione placandi Manes essent, quandiù lugendi qui vita excessissent, quo ritu tumulandi. multa de Libitina, deq; Hecate in hierurgijs superstitiosè prescripsit: cum Tobias nihil nisi piè, religiosèq; ageret circa funerũ curam; eòq; pietas ipsum adegit, vt suis humeris cadauera è foro asportaret, ac domi suæ reconderet. tenuisse quoque Numa dicitur cacodæmonum euocandorum artem, cum contra Tobiæ filius didicerit ab vno Cœlitum, qui dux itineris fuit, rationem eiusmodi monstra pellendi. obijt tandẽ vir sanctissimus multa vaticinatus, inprimis de reditu captiuorum, de exterarum quoque gentium ad veri Numinis cultũ traductione, deq; arcana Hierosolymæ felicitate, atq; gloria, vsus vmbratili quodam, sed illustri dicendi genere. eius mors in quintam, ac vicesimã Olympiadem incidit, cui nomen dedit Talpius Lacedæmonius in stadio victor, sed veram sibi laudem Tobias iure vendicauit, qui in vitæ quasi stadio per tot obiectas difficultates strenuè cucurrit ad metam. at verò Tobias filius hereditariã pietatẽ, quã accepit à patre, omnibus diuitijs prætulit, studiosèq; seruauit.

*Euseb.* Nicepsas.

Numa.

Talpius Olymp. *Dionys.*



Digitized by Google

# IVDITHAE sub Manasse rege Synchroni.

*Bellarm. Salian.* IVditha nobilis heroina, & matronalis stolæ decus eximium Manasse regnante, vt nonnulli volunt, aggressa est facinus illud præclarissimum, & omni præconio dignissimum: hoc enim vna mulier egit, quò neque solertis cuiuspiam Imperatoris, ac Ducis consilium, neque ingentis vllius exercitus vis, ac robur aspirare potuisset. composuit se mūdo muliebri, sed vt ageret viriliter; certa victoriæ ornauit pedes, quasi iam protriuisset hostem. accepit sandalia pro militaribus calceis; his cepit hostem, & quasi caligari clauo trāfixit. incessu antea, quàm accessu vicit. ideoq; *Euseb.* robustior, quia armauit se pietate, non ferro. Regnabat ea **Numa.** tempestate Numa, qui Iani, ac belli portis clausis aditum, item clauserat fortitudini, ac virtutē exarmauerat: inuenta est Iuditha, quę religionem eduxit in campum, & cum hoste commisit. erat tunc persuasum Romanis, clypeū è cœlo delapsum, quod ancile vocarunt, hoc est breue scutū vtrinque recisum, & carens angulis, cuius summum, infimumq; latus à medio sinuato colligebatur in orbē; hoc videlicet tutissimum Vrbi præsidium putabant vnà cum Palladio, eaq; cœlestia vocarunt arma. at quò tum confugeret Hierosolyma hac ope destituta, in summo rerum discrimine? longè tamen firmius munita fuit Iuditha, quanquam neq; clypeum gestabat, neq; vibrabat hastam. instituti tunc sūt **Salij.** à Numa Salij Sacerdotes Martis; qui cœleste illud, vti dicebant, genus armorum per vrbem ferrent cum saltatione, atq; tripudio, non sine carmine. Iuditham verò triumphātem exceperunt ciues, hierarcha ipso epinicion, ac pæana canente in victricis heroidis laudem. instituit quoque sub **Vestales.** id tempus Numa Vestales virgines, quibus focum colendū dedit, vt ad similitudinem cœlestium siderum custos imperij flamma vigilaret: atqui huius matronæ pudicitiam quis non admiretur? quæ cum insigni esset forma, atque amisso viro,

Digitized by Google

viro, relicta esset in ipso ætatis flore, attingere tamen alterius torum nullo modo voluit; quod studium pudicitiæ visa est ipso genere ornamentorum significare, cũ aditura hostem non accepit arma, sed lilia. posthabuit autem thalami tædas igni illi diuino, quem verè immortalẽ in cordis foculo seruauit, enutrijtq; in patriæ commodum; ob cuius lucidissimi ignis custodiam crediderim factum, vt præter illud decus, quod à natura acceperat, eximius etiam, ac peculiaris ab auctore Deo in ipsam collatus splendor fuisse dicatur. porrò dum Iuditha consilio res agitur, idem Numa Aegeriam nympham consulit, qui dum populo imponit, hæc votis, ac precibus i eum conuenit. ille ab inferis execrabilem haurit afflatum, hæc è cœlo pietatem scilicet hydromantiæ ille inuenit artem, qua imagines, ac spectra Deorum, vel potius ludificationes quædam, & inanes laruarum formæ ex aquis se offerebant. inde sacrorum ritus se edisce re dicebat, quos sex libris est complexus. ij postea cum ex ipsius tumulo vnà cũ cineribus eruti essẽt, quòd nefarijs pleni præstigijs tanquam ominosi reipublicæ, ac pernicioſi viderentur, ex senatusconsulto coniecti sunt in ignem. Vixit deinde Iuditha post rem præclarè gestam etiam sub Tullo Hostilio Romanorum rege, qui scilicet idem penè, quod Numa libri, fortitus est fatum, cœlesti igne consumptus is, vt res militaris prosperos haberet euẽtus, religione (si ita dicenda impietas est) arma temperauit, & cum prodigia quædam nunciata essent de lapsis è cœlo lapidibus (cœlo videlicet digno supplicio appetẽte cultores lapidum,) nouendiale sacrum instituit, nec regem tantùm ipse voluit agere populorum, sed sacrorum, quod illi magno stetit; nam dum execranda tractaret sacra, & elicium indigitaret Iouem, elicuit in se fulmen quo ipse cum regia conflagrauit. Iam quod ad victorias attinet, neque Tullus Hostilius, neque quisquam è Græcia contendere de gloria potest cum Iuditha. orta hæc est (si superiorem sententiã sequimur) Olympiade decima, in qua Dotades Messenius coronatus est ex cursu, scilicet cum hæc vitæ stadiũ communi cum plausu cœpit excurrere, quòd tandem magna cum laude sub Iosia rege confecit. quandiù autem in

Tullus Hostilius



Digitized by Google

curſu fuit,nemo eorũ, qui ea ætate in Olympijs vicerũt,cũ illa poteſt exæquari,neque Pythagoras(Laconẽ dico, non Samium)neque Polus Epidaurius,neq; Cleoptolemus,neq; Talpius,aut Calliſthenes Spartiata, neq; Eurybates Athenienſis,& qui conſecuti ſunt Olympionicę, quibus de hoſte teterrimo victrix Iuditha longè præcelluit. neq; his ſolùm,ſed ſtrenuiſſimis polemarchis,ac tergeminis ipſis Curiatijs,& Horatijs,quorũ pugna ſub hoc tempus nobilitata eſt,nõ tàm hoſtiũ ſtrage,quàm fratrum: ſiquidẽ hęc heroina & pro religione pugnauit,& contra ſęuiſſimum eius hoſtẽ. elegantes autẽ induxit calceos, & pulchra ſandalia, vt nobiliùs vinceret,ſine pulueris ſorde cãpeſtris.calceata proceſſit,ne impij mõſtri calcatura ceruices infici videretur.oſtentet verò cruentum illud caput infeſtiſſimi Ducis, quod recidit,&plauſum etiãnùm exceptet. iactent alij bellicam victoriam partam manu,hæc pede.

Polus Epidaur. Olymp.

## *IOSIAE REGI Synchroni.*

IOſias Ammoni impio breui extincto ſucceſſit, regium planè virtutis exemplar.hic illẽ Ioſias eſt,qui ante trecẽtos, & amplius annos vaticinio ſignificatus dicitur, vt videlicet iã tum Hieroſolyma ſe pararet ad religionis patronum honorificè,atque amanter excipiendum. Eo naſcente,Roma Tullum Hoſtilium regem vidit in vrbem cũ triumphali pompa,& ſpolijs opimis inuectum. ſed maior omnino lætitiæ materies fuit Ioſiam videre in cunis iacẽtem,quàm Hoſtilium in curru ſedentem; quia ſpes de illo concepta maior huius factis. ſtatim atque Ioſias ad regnũ accesſit,religionem,abrogatis idolomantijs,reſtituit, Helcia Pontifice vſus,delubrum à ſuperioribus duobus Regibus inquinatum expiauit,& ſemirutum reſecit.inſtrumenta omnia ſimulacris addicta igni tradidit. Incidit autẽ Ioſias in tempora non Hoſtilij modò, ſed Anci Martij,Romanorum regum,quorum alter dum religioſus videri vult, nec ritè facit,ictus dicitur fulmine, alter id metuens nouos

*Euſeb.*

ſuſci-

Digitized by Google

fuscipiendi belli ritus instituit, Ioue, ac Manibus nuncupatis. interea Iosias verè religiosus, ac pius non minus hosti, quàm superstitioni indicebat bellum, quod quàm acre fuerit, testantur tumuli ipsi, ac busta impiorum, quorum ne ossibus quidem, ac cineribus pepercit. Zaleucus hoc tempore Locrensium legislator florebat iustitiæ seueritate cõmendatus, quippè adultero vtrumque oculum effodi iussit, cuius videlicet mens excæcata libidine ruisset in facinus; cum autem filius esset oblatus eius criminis reus, & si tota ciuitas in honorem parentis necessitatẽ pœnæ adolescẽti remitteret, impunè abire non est passus, sed quodam æquitatis temperamento vsus, suum primùm, deinde filij oculũ exsculpi voluit, se inter misericordem patrem, & iustum legislatorem partitus. at Iosias non modò huiusmodi vitia damnauit, sed eorum sentinam exhausit, ac Deorum cultũ, qui fõs est omnis turpitudinis, ac fœditatis, omninò sustulit. Ceterùm qui tàm seuerus, & acer in impios fuit, adeò mitis, ac dulcis in suos est habitus, vt eius memoria comparata sit quà melli, quà musicæ. itaquè opportunè in eius ætatem inciderunt melici poetæ; Simonides videlicet, qui etiam primus memorandi artem inuenisse fertur, ne vel Iosiæ memoria è mortalium mente deflueret, vel materies carmine melico digna Græcis, si laperent, deesset. quin etiam Aristoxenus musicus Iosiæ suppar fuit, quod ad eandem eius pertinet laudem de musicis in symposio modis. quanquam hòc Aristoxenus absonus potius, & absurdus fuit, q̃ hominis animum tantùm harmoniã quandam esse putauit; sed eũ concentũ in virtute positũ Iosias sapiẽtius iudicauit. præter hos, & illi satis opportunè atque accomodatè hoc tempore se obtulerunt, Terpander Lesbius musicus, & Arion Methymneus citharœdus. atque alter quidem primus in lyra heptachordum inuenit, cuius famæ, ac nominis indicium maximum est, quod Lacedæmonij in quodam seditionis æstu ab oracvlo admoniti esse dicuntur, vt Terpandrum accirent, qui lyræ, ac poeseos dulcedine tumultum vulgi sedaret; quamobrem dici postea solitum, si quando ad aures accideret suauior cantus, illum esse secundum Lesbium melos. de Arione autem nota historia, qui cum grandem pecuniam arte suâ coacerua-

*Sebast. Ver.* Zaleucus.

*Eccles.* 49. Simonides.

*Euseb.* Aristox.

Terpand. Arion.

set,

Digitized by Google

set,ac Lesbon insulam peteret,sentiretq;sibi insidias à nautis instrui propter opes,quas secum vehebat, orauit vti sibi liceret morituro præcinere. tum citharœdi habitu ornatus temperatis ad numeros chordis, cum delphines suauitate canendi allexisset,de naui se in vnius dorsum immisit; atque ita incolumis ad littus appulit. Iosiæ igitur memoria satis aptè,& accomodatè melodiæ similis est dicta, cuius videlicet ætate tot, tamquè præclari modulandi artifices, ac magistri floruerunt, cum tamen ipse his omnibus longè anteiret suauissimo vitæ, morumq; concentu; quo dum Hierosolymam mulcet,& bonis omnibus gratissimus regnat,Periander apud Corinthios tyrannidem inuisus exercet, crudeliter agit,in magna suspicione versatur, stipatus semper armatis, seriatum quemque,ac vel oscitantem reformidans, atque is tamen inter Sapientes septem est numeratus. interrogatus autem cur,cum esset sapiens,per tyrannidem imperaret, respondit,æquè sibi periculosum esse, siue sponte, siue inuitus cederet.quæ autem de eius intemperantia dicuntur, ea pudet referre.atqui ausus est vitæ præcepta tradere, inter quæ irã compescí iubebat,cum esset ipse sæuissimus.adeò minus cõsentanea,& congruentia factis erant, quæ exteri Sapientes dictitando iactabant.Iosias interim, qui veram sapientiam diuinitùs hauserat,omnia pacatè,honestè,ac religiosè in regno administrabat.

Periãder.

## *SOPHONIAE PROPHETAE, & Oldæ Prophetidi Synchroni.*

2.*paral.*34 *Sabel.* Dodona.

SOphonias Iosiæ regis tempore oracula edidit, itemque Olda,tantæ auctoritatis fœmina,vt eam in rebus grauibus non dedignatus sit consulere Helcias ipse hierarcha, scilicet hac ætate dicitur Græcia primùm,vti cœpisse Dodonæ oraculo; id petebatur ex geminis columbis coloris fuscí (nempè is color idoneus erat vaticinijs non candidè,ac simpliciter, sed vastè & veteratoriè fusis) eas autè ex Aegypto simul

simul tempore deuolasse ferunt, quarum in Africam vna, in Epirum altera processerit; hęcq; fago insidens humana voce fit elocuta; ibiq; loci Iouis oraculum condi oportere, seque interpretem fore dixerit, vt quicquid inde mortales didicissent, fato eueniret. pari item prædicatione ab ea, quæ in Libyam delata est, columba, Iouis Ammonis oraculum constitutum. neque fortasse aberrat suspicio illorum, qui putant malos fuisse genios, qui volucrum fuscarum specie cùm Africæ, tùm Europæ vno sint tempore insidiati, & miseros mortalium animos multis alioqui tenebris immersos quibusdam adhuc maioribus, & inextricabilibus inuoluerint. at Herodotus ab Aegyptijs se didicisse narrat, accepisseq; celebri sermone iactatum, mulierculas duas, quæ Thebis sacerdotio fungerentur, à Phœnicibus inde fuisse deuectas, quarum vna sit in Africam ab his delata, in Epirum altera; oraculumque ab vtraque hic, vbi proximè quiescere fuit datum, superstitiosè fundi cœptum: siue igitur columbæ illæ fuscæ quædam aniculæ fuerint, siue diuinatrices aniculæ, quæ tunc primùm innotuerint Græcis, ambabus certè oppositа opportunè fuerunt cùm Sophoniæ vatis, tùm Oldæ prophetidis oracula, in quibus nihil quod mentes infuscaret, fuit, nec nisi purissimus veritatis candor eluxit. Florebat hoc item tempore Mistheus Athenienſis poeta; sed inter Græcorum nugas, atque ineptias Hebræorum vatum oracula tantò attentius sunt audita, quantò longius à fabularum vanitate distabant. *Euseb.* Mistheus.

## VRIAE PROPHETAE *sub Ioachimo rege Synchroni.*

VRiam vatem Dei minas intentantem, & vrbis excidium præcinentem Eliachimus, siue Ioachimus Iosiæ filius degener interficiendum curauit. subtraxerat ille se Regi, vt furenti, atque in Aegyptum abdiderat, tutior futurus apud alienigenas, quàm apud indigenas; sed inde tamen per vim extractus impio lictori ceruices constanter dedit. similis *Ieremi.* 26.

Vria

Draco.

Vriæ alteri, qui etiã indignissimè cecidit: sed ille cessit incesto amori, hic insano furori. Vinebat tũc Draco Athenienſiũ legislator, qui vel leuissimis erratis indixit necem, quamobrẽ aiebat Demades, eius leges nõ atramẽto scriptas esse, sed sanguine. at multò crudelior Ioachimus, immò impius, qui & innocentẽ iugulauit, & vatem, vt diuinas liberiùs rescinderet leges. sed dignas tanto paricidio pœnas luit; quippe à Babylonis rege fœdifrago, quem intra Hierosolymam interposita iurisiurandi religione exceperat, interfectus est vnà cũ iuuentutis flore: quid enim religio prodesset ei, à quo violata fuerat innocentium cæde? scilicet fœdus icerat Vatis sanguine. proiectum est regis cadauer extra mœnia more iumenti. inuentæ dicuntur in eo cicatrices, & execrabiles notæ, quæ indicabant ipsum alicuius spurij Dei fuisse stigmaticum, quales in Magis, ac maleficis inueniri solent. meruit præstigiator insanus barbarico confici ferro, qui ferri aciem & superstitiosè in se, & impiè in bonos armasset. porrò dum Draco leges, ac iura scribere dicebatur sanguine, hic & alijs iniuriosus, & sibi, superstitionis, & impietatis leges non sine vero cruore, suo scribebat in corpore; ideò stultus, quia literatus. Iam Iosiæ regi sanctissimo rectè illud elogium tributum est, vt ob suauissimum virtutum concentum eius memoria musicis modis compararetur; quippè eo per mortem soluto, cum impietas se insinuasset in posteros, nõnisi absona, & absurda acciderunt omnia. Ioachas ab Aegypti rege de regno deiectus; Ioachimus hic catenis vinctus, ac Babylonẽ tractus, quem exitum & Iechonias filius sortitus est; restitutus quidem Ioachimus est solio, sed vt infeliciùs caderet. denique Sedeciæ inter ceteras ærumnas etiam effossi oculi: ita extincta pietate, cuncta in tenebris iacuerunt.

2. *paral.* 36 *Hist. schol.*

ACHIAS

Digitized by Google

# ACHIAS

Propheta Selonites.

Synop. *Iratus Salomoni Deus scidit regnum, atque eius partem Ieroboamo seruo tradidit. id huic significauit Achias suũ scindẽs palliũ; tum ei ob vitulos aureos custos prædixit filij mortẽ: agnouit Reginã sub alio habitu.* 3. Reg. 11. 24.

## ENCOMION 82.

Nihil in te aut vulgare fuit, aut humile,
cuius ex oraculis constituta sunt regna:
detulisti imperia, sustulisti.
ob sapientissimi Regis insaniam,
qui se fecerat Cupidinis vile mancipium,
eius seruum regnare iussisti:
tuum scidisti pallium,
vt scissum in partes significares imperium;
exuisti te lacerna, vt alterum indueres purpura.
Regios obtulisti fasces,
sed diuinam simul obiecisti virgam.
manum decorasti sceptro,
sed è cœlo demonstrasti fulmen.
non frustra intentatæ sunt minæ;
nam cum aurum ille conflauit in vitulos,
ferrum hostis conflauit in iacula,
mors etiam in falcem,
quæ regiam sustulit prolem.
tunc maximè appellatus es Videns,
cum senio caligarunt oculi.
laruatam agnouisti Reginam,
quæ se habitu finxerat seruam:
sed fictæ laruæ obiecisti oraculum verum
de sobolis morte:
quæ purpurata non venerat, redijt atrata.



Digitized by Google

# SEMEIAS
## Propheta.

3. Reg. 12. Synop. *Reuocauit à bello Roboamum Regem, finente Deo sic elui scelera per hostem. ostendit ab Aegypti Rege ideò populum non fuisse trucidatum, sed tantùm seruituti addictum, quòd scelerum pœnituisset.*

## ENCOMION 83.

Direxisti tuis sapienter oraculis
stultum Regem, quanquam sapientissimi filium;
cum ille rebellem exarsisset in gentem,
iussisti arma deponere;
nempè distrahi solet Regnum,
dum religioni à Rege detrahitur;
stabile non est solium,
quod adamantino clauo non firmat
Dei timor.
hostem in se suscitat,
qui amico non vtitur Numine;
tubas in se inflat hostiles,
qui tumet arrogantia,
at Aegyptio Regi excurrenti cum curribus,
ideò impositum frænũ, quòd ciues se refrænassent:
desijt audiri hostilium hinnitus equorum,
cùm desierunt ipsi adhinnire ad illecebras.
abstinuit tamen hostis cæde, non spolijs,
vt ciuitas erubesceret nuda.
non est sanguis effusus in terram,
quia casto pudore diffusus in genas.
libertate tantùm caruere ciues,
vt desinerent liberiùs viuere.
impijs seruire didicerunt,
ne piè regnare dedisscerent.

ADDO

Digitized by Google

# ADDO

Propheta.

Synop. *Increpuit hic Ieroboamũ Regem, quòd vitulos aureos coleret, cui ictum intentãti manus exaruit, sed mox ad preces Vatis sanata. altare ad eius minas effractum est. ipse per fraudem à leone occisus simul, & custoditus.* 3. Reg. 13.

## ENCOMION 84.

Non æquaret tuum posteritas deeus,
si te effingeret in auro,
quia superior fuisti auro,
cum effingi aureos vetuisti Deos.
non es passus vitulos consecrari ad honorem,
quorum vsus est ad laborem.
negasti esse colendos homini, qui colerent humũ;
noluisti simulacro exornari aureo,
qui vomeri destinati sunt ferreo.
visa sunt tibi armenta, & iure visa
digna potiùs hara, quàm ara.
increpare non dubitasti Regem,
quòd diademate coronatum caput
demitteret pronus ad bruta,
quæ capita submitterent iugo.
conatus est ille increpantem manu petere,
sed statim Religio repetijt pœnas,
nempè exaruit manus:
dum sacrilegè tractaret ignem
addens thura,
tanquam igni aridus factus est stipes.
indignum deinceps regno se fecit,
quia gestare manu non potuit sceptrum.
tametsi mox reuiruit manus,
quia pœnitens facti eam irrigauit lacrymis.



Digitized by Google

Quinetiam altare,in quod effudisti minas,
cum harum pondus sustinere non posset, crepuit.
quàm tu vehemens iaculatus es fulmen,
quod saxa dirupit!
quanto cum fragore vox tonuit tua,
quam vel sine sensu lapis expauit?
plus egisti ore,quàm malleo,
plus lingua,quàm ferro.
aram in multa partitus es frusta,
quòd esset numini dicata non yni.
diffinxisti aram,quæ Deos contineret fictos;
satis magno declaratum est ostento
integrum non esse vitæ,
qui ad altare faceret sciissum,
quanquam quid mirũ, quòd inquinata superstitio
dehiscens rimis faceret labem!
hoc mirum, quòd hanc ieiunus confeceris pugnã:
iussus es cum hoste congredi languidus,
& vt saxa frangeres fortiùs,
accedere viribus fractis.
deceptus es tandem falso Vatis oraculo,
qui vaticinatus fueras vera:
vbi arripuisti cibum, ferino correptus es dente;
sed hæsit viator, & stupuit;
quippe reueritus est prædam suam leo.
compressit viuentem,sed est repressus à mortuo;
quia iustitiæ iam litatum.
eadem bellua & carnifex fuit,& custos;
momordit,quòd auido ore peccasses,
sitiuit cruorem, quòd gustasses aquam.
didicerunt homines à famelica bellua
abstinere ab aliena præda,
cum ipsa abstinuit vel à sua.

ASA

# ASA

Rex Iudæ.

Synop. *Aethiopes vicit, abstulit effœminatos omnes; matrem è regno depossuit, quòd statuisset in luco simulacrũ Priapi, id ipse contritũ combussit, cinere proiecto in torrentem Cedronem.* 3. *Reg.* 15. 2. *Paral.* 14

## ENCOMION 85.

Quàm strenuus fuit hic Imperator, & pius,
qui, cum mortales deficerent hostes,
bellum mortiferis indixit Dijs!
nõluit omninò à pugnando desistere;
eiusdem fuit & verè martialis nomen consequi,
& falsò Martis putatum numen persequi.
vt solidiùs firmaret solium regni,
lapidea euertit signa.
tot sibi trophęa victor erexit,
quot simulacra deiecit.
profligauit hic Manes atros,
idemq; debellauit Aethiopes.
neutrius hostis tetrum exhorruit vultum,
neutrius innumerabiles copias.
pius fuit cum adoleuit igni victimas,
magis pius, cum seuerè exarsit in matrem,
turpiter initiatam Priapo;
vilem Cupidinis ancillam,
exaugurauit imperio.
non agnouit matrem,
quæ indulgeret Veneri genitrici.
meritò Priapum egit in ignem,
quòd maternum pectus depasceret flamma:
aptè simulacri cineres egit in profluentem,
vt fœdæ libidinis elueret maculam.

AZA-

# AZARIAS

## Propheta.

1. *Paral.* 15 Synop. *Fuit Odedi Propheta filius. hortatus est Asam Regem, vt simulacra frangeret, in primis Priapi; cuius cinis proiectus est in torrentem. iuramentum exegit à Rege tubis clangentibus. pax deinde regni consecuta.*

## ENCOMION 86.

Non degenerauit in te Virtus,
quia ex Vate genitus Vates,
omninò vires illa sumpsit, & robur.
nunquam tu tractasti ferrum,
dux tamen, & auctor fuisti maximi belli,
quo videlicet concussisti Erebum.
verbis pium accendisti Regem
aduersus impios Deos;
nec tamen montibus addidisti montes
more Titanum,
sed altitudine nixus es mentis.
tunc maximè Regis ardor exarsit,
cùm simulacra demersit aquis;
Priapo in primis infensum fecisti:
nunquam Regis purpura splenduit pulchriùs,
quàm cum erubuit,
quòd in regno coleretur turpitudinis Deus.
voluisti à Rege fœdus iniri Numini vero
inter tubarum, & buccinarum sonum,
vt ostenderet se indicere bellum falsis.
meritò hoc pietati datum,
vt hostiles interim silerent tubæ.
desijt puluis campi, vbi redacti in puluerem Dij;
tempestas belli non tonuit,
vbi fulmen Iouis est fractum.

HA;

Digitized by Google

# HANANVS

Propheta.

Synopsis. *Cum Asa rex ceterùm pius, aduersus hostes quæsiuisset auxilium ab impio Syriæ rege, reprehensus est ab Hanano. quamobrem coniecit eum in neruum, sed ipse acerbissimo dolore pedum interijt.* 2. Paral. 16

## ENCOMION 87.

Ardens tuæ vocis pertimuit fulmen
etiam Regum laureata maiestas;
sed cum se lauro fecit indignam.
increpuisti regẽ, quòd quæsijsset humana præsidia,
cui auxiliares antea copias
suffecisset cœlum.
quandiù ille spe pendebat à Superis,
innumera suspendit trophæa victoriæ:
sic atros debellarat Aethiopes
signans candido calculo diem;
armis impar, sed pietate superior.
sic Africana quoque fregerat monstra:
robustus sine roborea claua.
hostes in ardentem Libyes arenam compulerat
inardescens ipse precando.
sed ideò postea nõ triumphali inuectus est curru,
quòd alienis confisus esset quadrigis.
cum hanc emisisti vocem velut ex arcu sagittam
immeritò constrictus es neruo.
sed se Imperator fecit eneruem,
tibi strenuò addidit robur.
quia ille tua ægrè tulit monita,
in ægritudinem incidit.
acerrimo dolore elanguit pedum,
qui pedem cruciauerat in neruo tuum.

IOSA-

Digitized by Google

# IOSAPHATVS

Rex Iudææ.

3. Reg. 3. 2. Paral. 17 20.

Synopsis. *Pius, & iustus fuit. instituit Academias sapientium virorum, qui populum diuinam docerent legem. simulacra Deorum sustulit. tributarios sibi fecit Philistæos, et Arabes. in pugna duxit sacros cantores.*

## ENCOMION 88.

Nisi te commendaret posteris Sapientia
videretur penè desipere;
feciſti enim, vt vnà tecum illa regnaret.
sacra instituisti in vrbe Lycèa,
vbi diuina perdiscerent iura.
Sapientiæ regiam prætulisti aulæ.
molitus es altissimas turres, ac mœnia,
sed nobilior, quòd Deorum euerteris fana.
iudicia in primis curæ fuere regnanti,
iussisti tribunal esse innocentiæ aram;
pertimuit iudicem reus, te iudex.
ad subsellia negasti aditum auro:
cauit aurum seuera Iudicum ora,
ne palleſceret magis.
tametsi hostes, ne tuo concideront ferro,
suum tribuerunt aurum,
sed eo accepto vsus es piè.
cum prospero euentu vicisti Arabes,
tunc primùm ea regio sibi visa est felix,
mirum adhibuisti in pugna consilium.
ante aciem non milites statuisti, sed mystas;
non galeatos præmisisti, sed infulatos;
species fuit ea templi, non campi.
vbi hostes contra se ministros videre sacrorum,
veriti sunt, ne victi cederent in victimas.

HELI AS

Digitized by Google

# HELIAS

Propheta.

Synop. *Vis eius ostenditur in pluuijs exhibendis, aut inhibendis. puero vitã reddidit. Achabũ Regẽ intrepidè increpuit. idolorũ sacerdotes aut irrisit, aut occidit. curru igneo in sublime raptus. extrema Mundi ætate rediturus.* Eccles. 48. 3. Reg. 17. 19. 4. Reg. 2, 13.

## ENCOMION 89.

Qua te, heros magne, celsitudine sermonis exequẽ?
quem ardua virtus in cœlum extulit curru
ex humo prodigiosè sublimem.
supra Naturam fuisti, qui imperasti Naturæ:
iussisti, cœlum fecisti æreum;
iterum iussisti, fecisti cereum.
nihil tristius videre mortales,
quàm serenatum perpetuò cœlum.
nunquam tanta mœroris est offusa caligo,
quàm cùm semper ierunt clari sine nube dies.
exaruit aer, at maduerunt oculi.
impijs non eripuisti Solem,
vt per famem eriperes vsuram lucis.
tunc exhilarasti tellurem,
cum triste fecisti cœlum;
siccasti lacrymas, cum fudisti aquas.
Abdidisti te obscuram in specum,
vt lux menti oboriretur vberior;
abijsti à Sole,
vt verum inuenires lumen:
at nec in igne lumen,
nec in fragore numen,
sed in tenui nactus es aura:
ideò tàm velificatus es prosperè
per æquor aeris.



Digitized by Google

Mirum, quòd è tenui aura
tàm valido es concitatus afflatu.
ministro rapaci vsus es coruo,
vt maleficium cederet in officium.
nigrum nactus es alitem è silua,
idemq; candidum è cœlo:
habuisti addictum obsequio coruum,
sed Regum te sunt veritæ aquilæ.
nihil harum valuit fulmen, tonante te minis.
acer tuus ille vultus, ac rubens
decolorem sæpè reddidit purpuram.
exarsisti non semel in impios,
deuocans è cœlo ignem,
vt eos absumeret,
qui te ad necem deuocabant è colle.
statim concitatus aer ad imperium tuum
aut exundauit in imbres,
aut excanduit in flammas,
vsus es quà cœli calore, quà tuo:
illo, vt hostem extingueres morte,
hoc, vt puerum reaccenderes vitæ.
virtutis magnitudine superasti te ipsum,
cum te coarctans commensus es paruulo.
tantò fuit prodigium maius,
quantò tu minor,
coegisti te viuum, vt cogeres mortem,
quod abstulerat, reddere.
cum te angustum pro pietate fecisti,
suffecisti amplam materiam laudis,
vt posset orator se latè diffundere.
adduxisti te in virum breuem,
vt pueri vita produceretur in longum,
nempe collegit se virtus, & contulit in vnum,

Vt

Digitized by Google

Vt aduersus mortem maiore contenderes nisu.
fecisti tute ipse compendium tui,
vt puer citius rediret ad vitam,
compendiaria videlicet via.
Sed quantus tu dicendus es heros,
quem, quia capere non potuit tellus,
immensus excepit æther!
Mirus præsertim in augendo fuisti oleo,
præclarus scilicet vel athleta, vel aliptes,
habuisti abundè quo te, ac tuos inungeres,
in Deorum lucta perpetuò victor.
cum hierophantis impijs inijsti certamen
de vero Numine.
admotæ vtrinque erant ad aram hostiæ,
cœperant illi deuocare de cœlo ignem,
vt litarent ritè;
at noluit cœlum sacrilegis inquinare sacris
elementum purum.
Dijs ferebant vota, sed surdis:
cum incenderent magno clamore cœlum,
ne scintillam quidem impetrarunt leuem;
quia rigebat cœlum, exarserunt in se ipsos,
in se acuerunt cultros,
acrius quàm in victimas;
hostes euaserunt sui, quia non litatum hostia;
confuderunt cruorem victimæ cum suo
fassi se victos.
at tua sacrificandi ratio
quàm noua fuit, ac mira!
vt sufficeres fomitem flammæ,
non oleum sparsisti, sed aquam.
tanquam aratro madentes proscidisti victimas,
vt vera religio progerminaret in fruges.



Digitized by Google

Quanto item religionis ardore flagrasti,
cum in simulacri cultores aurei
distrinxisti ferrum!
mactare non dubitasti hierophantas ad aram,
talium sacrorum ministros execrabiles ratus.
nullas vnquam tàm piè immolasti victimas,
quàm cum impios victimarios.
At post tot, tantasq; de Dite victorias,
quia nullũ par Capitoliũ inueniebatur in terris,
inuexisti trophæa cœlo.
mirum est visum, quòd tot spolijs grauis
in altum euaseris ex humo tàm leuis.
eò spectabilior pompa, quò celsior.
quia nullus in terris apparatus tàm splẽdidus fuit,
nullus dignus triumphatore tàm nobili currus,
ideò suffectus è cœlo igneus.
inter ignes posita virtus euiruit magis.
immensum confecisti curriculo stadium,
idem auriga simul dictus, & currus,
ne gloria diuideretur in partes.
excurristi victor ad metam
rotis non feruidis modò, sed igneis.
vel hoc fuisti quolibet Olympionice præclarior,
quod Olympicum non collegisti puluerem,
quia sublimis per aerem spatiatus es purum;
nempè nihil tibi commune cum puluere,
qui fuisti etiam immunis à cinere.
mors quantumuis citissima cursu,
non potuit tuum assequi currum.
cum triumphalibus euectus es rotis,
non fuit qui de more moneret, te esse mortalem,
quia præter morem euaseras mortem:
domitor fuit in curru, non monitor mortis.

At

Digitized by Google

At quanta gloriæ luce fulsisti,
cum à te nomen mutuata sit Græcia,
vt illud inderet Soli!
quanquam hoc fuit inter te, Solemq; discrimen,
quòd non occideris.
visus es vel illustrior Sole, vel pulchrior,
quia ille admittit equos ignem ore spirantes,
tu totos admisisti igneos.
ideò iunxisti lucidos ad currum iugales,
quia iunctus non es vinculo coniugali.
explenduisti cœlesti clarus in flamma,
quia fumidas respuisti thalami tædas.
sed celsior postea es Taboreo visus in monte,
quàm cum equis elatus in cœlum.
duo cum Cœlitum rege conueniistis heroes,
alter luce frontis, alter luce oris illustris.
mirum spectaculum: inter diuini amictus niues,
apparuisti igneus.
promptas obtulisti Imperatori quadrigas,
nisi fuisset tanti triumphi pompa dilata.
stetit medius inter duumviros Deus,
voce declaratus parenti par Deo.
fuistis ambo mortali conditione maiores,
quia diuinitatis adhibiti testes.
opportunè tandem tu es rediturus in terras,
vbi refrixerit mortalium pietas,
scilicet vt tuo recalescat ardore.
multis illustratus es in igne prodigijs,
sed tunc apparebis illustrior,
cum æstu religionis incensus
deuouebis sponte te morti.
mirum dictu: commune totius orbis incendium
restincturus est sanguine Vates igneus.

*Ex S. Chrys. ser. Filius Sol*

*S. Ambros.*

HELI-

Digitized by Google

# HELISEVS

3. Reg. 19.
4. Reg. 2.

Synop. *Heliam secutus est aratro relicto, à quo abeunte duplicem postulauit spiritum. pueri ei illudentes ab vrsis consumpti sunt. duos excitauit è tumulo, vnũ viuens, alterum mortuus. vidit ad tutelã præsidiarios Cœlites.*

## ENCOMION 90.

Desijt audita tui fama Roma iactare
euocatos ab aratro colonos
ad tractandum imperij clauum;
euocatus es inde tu maiore cum laude,
non vt præferres consulum fasces,
sed vt Regum comprimeres fastus:
cedere ligonibus sceptra,
rastris, ac vomeri tyrannorum secures.
moderatus es regna oraculis tuis.
fœcundior tibi gloriæ seges
creuit in vrbibus, quàm in agris.
à magno vate quiddam postulasti maius;
voluisti non hæres modò esse virtutis,
sed ditior duplo:
laudanda cupiditas, quæ non fuit auri;
immo nihil tibi fuit auro vilius,
quia ministrum pecuniæ, quam tu reieceras, furem
sordida fœdasti lepra.
dignus es habitus nouo, & illustri spectaculo,
triumphantis igneo curru Vatis,
ducta per aerem pompa.
particeps fuisti spoliorum, nec tamen hostilium:
hòc nobilius spolium fuit, quòd laureati Ducis,
reuerita est ipsa Natura
triumphale paludamentum.

eo

Digitized by Google

Eo tu operimento aperuisti flumina.
mitius fuit tuum, quàm alterius herois imperium:
adhibuit diuidendis aquis virgam ille, tu pallium.
Vidisti acies igneas Cœlitum te tueri paratas,
nõ egebãt illi tibicine, qui Martẽ accẽderet cantu,
quia igne accensi in hostem exardescebant tuum.
at qui te sunt ausi pueri lacerare conuicio,
ferino lacerati sunt morsu.
aptè parentibus dolor illatus est per vrsos,
quia hi deformes catulos lingua componunt,
incomposítos ipsi prolis non correxerant mores.
mira res: inhumanitatẽ in Vatẽ vltæ sunt belluæ,
feritas cessit in magisterium pietatis,
pœna fuit norma virtutis:
ab agrestibus consumpti sunt feris,
qui tecum non egerunt vrbanè.
habuit à te pueritia, quod timeret,
at habuit etiam, quod optaret,
cum compensasti matris hospitiũ miro beneficio:
è viuis exulem reuocasti filium;
quod minister admota non egit virga,
egisti tu admoto corpore:
cõtraxisti te in puerũ, vt puer ptraheretur in senẽ.
quàm immane superasti monstrum!
scilicet quod domari non potuit claua.
quid quòd vel exanimus infudisti animam!
infossum alterius cadauer in tumulum tuum
prosilijt statim è tumulo viuens.
extincta fax vitæ, vt reaccendi posset,
admota est frigido cineri.
quanti vigoris, ac spiritus fuisti Vates,
cuius vaticinatum dicitur vel mutum cadauer,
non verbi significatione, sed rei!



Digitized by Google

# NAAMAN

Sýrus.

Synop. *Iussus ab Heliseo septies in Iordane ablui, aegrè primò tulit; tum iussa faciens à lepra mundatus, rediturus in patriam de Iudæa glebam tulit, vt aram erigeret vero Numini, beneficio gratus.*

4. Reg. 5.

## ENCOMION. 91.

Inter immensas Syriæ opes
à vitæ præsidijs inops
miserè languebas morbo.
purpura ipsa auro illita
contaminato erubescebat in corpore.
honor erat in trabea, horror in morbo.
assuetus alijs imperare
detrectabas Vatis imperium;
cum iussit Iordane elui luem,
ad aquarum nomen exarsisti ira.
non putasti morbum posse extingui aquis,
at idem fluuius, qui vndas olim suas
retrorsum diuinitùs vertit,
etiam luem retrocedere iussit tuam;
nisi quòd in eum illa confluxit,
qui pecunia voluit affluere.
non tàm nobiles sunt fluuij, qui ferunt aurum,
quàm Iordanis, qui inimicus auro.
denique cum es reuersus in patriam,
nihil aliud asportasti tecum,
nisi Iudaicæ terræ glebam;
vt extrueres vero Numini aram;
non tàm accessisti dives,
cum tulisti aurum,
quàm cum redijsti referens puluerem.

IONA-

Digitized by Google

# IONADABVS

## Pater Rechabitarum.

Synop. *A Iehu Rege admissus est in currum, vt iret ad Baalis simulacrum, et eadem destruendã. Rechabitis præscripsit religiosè viuendi normam, vt abstinerent à vino, & à vineis, ac domibus ædificandis.* 4. Reg. 10. Ierem. 35.

## ENCOMION 92.

Nullum dedit Roma triumphale spectaculum,
quod æquaret tuum:
scilicet vt nobilius oppugnares Deos,
regio inuectus es curru
accersitus à Rege.
non Olympicum colligere puluerem
tibi glorioſum fuit,
sed conculcasse Deorum puluerem,
qui sunt iussi comminui.
quin etiam eos in ignem proiecit
religionis ardor;
præter patriam Erebi flammam,
arserunt & extera:
inter vibrantes ignis linguas
Dij siluerunt muti.
quæ ludebant vagando scintillæ
illudebant ambustis.
Baalis item ædem vaporatam thure
vidisti fœdari.
vt superstitionis exhauriretur sentina,
iectæ sunt sordes.
ceciderunt & profani hierophantæ ferro:
versatus est inter seceſpitas gladius.
verè tunc victimas visi mactare,
quia illas cæde auxerunt sua.



Digitized by Google

Decuit te gaudere Deorum strage,
qui religionis amplificasti cultum
pio Rechabitarum choro.
præcepisti esse abstemios,
vt sola pietate feruerent.
interdicta sunt Bacchi munera,
vt implerentur numine.
inter ardentes preces, ac feruida vota,
visa est aqua potior mero,
ne restingui pietas posset.
vetuisti à tuis plantari vineas,
ne, dum proni effodiunt scrobes,
mens hæreret humi.
docuisti non vuas calcare, sed vitia;
premi obedientiæ prælo
esse suauius mero;
non frondium amputare luxuriam
opus esse, sed morum.
non id volupe fuit
videre repentem clauicula vitem,
sed Stygia domare monstra
religionis claua.
ignobile, ac vile duxisti
id curare, an gemmarent vites,
sed studium nobilius fuit
animum gemmis ornare virtutum.
præscripsisti quoque, ne hic exædificarent domos,
qui patriam agnoscerent cœlum;
non alia iacienda putasti
quàm fundamenta pietatis;
sub tentorijs eos habitare iussisti,
hoc est vel piè militare sub pellibus,
vel se indigenas negare telluris.

MI-

Digitized by Google

# MICHÆAS

Propheta.

Synop. *Achabo Regi, cui Sedecias pseudomantes cornua ferrea vaticinatus fuerat victoriam, prædixit ipse potius cladē; quāobrē à falso Vate in maxilla percussus, et in carcerem detrusus à Rege, qui mox interijt.* 3. Reg. 22.

## ENCOMION 93.

Magis tu formidolosus fuisti tyranno inermis,
quàm hostis armatus.
acrius tu oracula torquebas in minas,
quàm ille iacula in vulnus.
nullus fuit thronus ex auro tàm solidus,
quin te vaticinante nutaret.
excussisti penè sedentes de solio Reges,
exciderunt penè sceptra de manibus;
palluerunt in purpura.
abdita in penetrali aula maiestas
cortinam non æquauit tuam.
intendebant illi tibi lictorum fasces,
tu illis mortis falcem;
securim illi, tu fulmen.
plus habuit tua vox roboris,
quàm fastus imperij.
frustra minati sunt fata fatidico.
frustra terrere conati oris præsentia,
qui ipsos terrebas ore præscio futuri.
multorum mendacio splendido Vatum
vnus oppositi te strenuè.
portendebant victoriam illi, tu cladem;
ab illis parabantur iam triumphales laurus,
à te funestæ cupressus.
commemorabant illi trophæa, tu vulnera.



Digitized by Google

Redarguisti Vatem inanem simul, & tumidum,
qui cornua obtendebat Regi ferrea,
quibus ventilaret hostes:
visus es tille quasi corniger Bacchus,
sitienti gloriam propinare mendacium;
sed dulci fortuna ebrium Regem
amaris tu exagitasti dictis.
aptum supplicium: qui Vatis fisus est cornibus,
interijt inter Martis buccinas,
quippe in pugna temerè excussa sagitta
perculit temerarium Regem.
accepisti tu à vaniloquo Vate alapam,
sed ipse potiùs erubuit genis,
cum inuentus est mendax.
liuentes tuæ immeritò malæ
omen fecere Regi sui liuidi vulneris.
vbi te angustum inclusit in carcerem,
in lato ipse cecidit campo.
vbi te abstrusit in tenebras,
perijt ipse progressus in Solem.
velificanti tumidioribus velis
obuersis repentè antennarum cornibus
reflauit fortuna belli.
qui cornua libenter viderat ferrea,
vidit dolenter exercitus sui cornua
fracta hostium ferro.
ratus posse triumphalibus inuehi quadrigis,
in curru ictus pro feretro habuit currum.
non hostilẽ sanguinem equi calcauere, sed regiũ.
iacta in incertum sagitta
certum tuum fecit oraculum.
quãquã in hoc nec falsus Vates aberrauit à scopo,
quia Rex in arcus incidit cornua.

IEHVS

Digitized by Google

# IEHVS

## Propheta.

Synop. *Filius fuit Hanani item Propheta. increpuit Iosaphatũ, quòd Achabo succurrisset. occisus est à Baasa impio Rege, cui denunciarat diuinam irã, obijciens ipsi impietatem, atque alia scelera. scripsit historias.* 3. Reg. 16. 2. Paral. 19

## ENCOMION 94.

Cum tua fundebas animosus oracula,
perfundebantur dynastæ vel pudore, vel metu.
Regem pium dixisti reum,
quòd impio suffeciisset arma,
quorum vsus foret religioni tuendæ,
non superstitioni seruandæ.
minus explendescere tibi visa sunt arma,
cum ijs seruierunt,
qui luce veritatis carebant.
penè Rex pius interijt in pugna,
quòd pro impijs propugnasset;
vix impetum euasit hostilem,
quia religionis hosti succurrerat.
sed nunquam fuisti vaticinando liberior,
quàm cum in alterum inuectus es Regem
cultorem numinis falsi.
pro vitulis, quos coluit, aureis
minatus es equos armatos ferro.
Idem regia scribere aggressus es bella,
acumen & lingua partitus, & calamo:
illam acuebas in minas,
hunc in lepores;
inter aciem vtramque versatus,
fecisti, vt in certamen venirent honoris
& stylus, & gladius.

ELIE-

Digitized by Google

# ELIEZER

Propheta.

2. Paral. 27 Synop. *Quòd Ioſaphatus, pius alioquin Rex, iniſſet fœdus cum Ochozia impio, per hunc Vatem ei comminatus eſt Deus, ac nunciauit comminutam naufragio claſſem, contritaſq; naues.*

## ENCOMION 95.

Celebrior fuit tua cortina, quàm Regia.
tua vox magis verenda, quàm Regum.
fuiſti tu oraculo fortior, quàm illi imperio.
acrius vnus terruiſti minando,
quàm hoſtium copiæ arma vibrando.
non dubitaſti Regi ipſi ceteroquin pio
intendere cœleſtes minas,
quòd Regi ſe iunxiſſet impio.
putaſti eſſe fœdiſſimum fœdus,
quòd religione vacat;
illum obſtringi ſcelere,
qui nectit amicitiam cum reo;
ſibi manum inferre, ſe cruentare,
qui ferire cum malo vult fœdus.
dignam crimine minatus es pœnam
naufragium claſſis:
non benè gubernator dirigit curſum,
qui cœlum non ſpectat, ac ſidera,
ſed humanis imperij rationibus ducitur;
minus peritè tractat clauum,
qui non cauet occultas exitij cautes.
rudis eſt, qui non alligat aptè rudentes.
ſiniſtra alite init curſum,
cui aquila regia auolat à læua;
opes perdit, qui fert impijs opem.

IEHA-

Digitized by Google

# IAHAZIEL

Propheta

Synop. *Cum hostes innumeri obsedissent Iosaphatum, indixit hic militibus ieiunium, iussitq; canentium choros stare ante aciem. ita hostes in se arma verterunt. triduũ consumptum in auferendis spolijs.* 2. Paral. 20

## ENCOMION 96.

Impar Rex hostilibus turmis
non alijs vicit armis,
quàm consilijs,& oraculis tuis.
vox fuit tua pro classico;
preces adhibuere pro tubis,
lyris insonuere pro lituis,
religio est data pro tessera.
noua Mars arma visus induere,
quia descendit miles ieiunus in pugnam;
iussus suas ante atterere vires,
quàm contereret hostiles.
nihil edendo edidit stragem:
tametsi diuinitùs factum,
vt hostis ipse de se ederet stragem.
scilicet cum irruerent cæci furore,
non discreuerunt aduersarios
positos in discrimine vitæ.
rediere hi onusti spolijs hostium,
quos ipsi non spoliauerant vita.
ducta est de manubijs pompa per triduum,
cum non conseruissent manum.
vnus fuit triumphus,at pompa tergemina,
quia vni confisi Numini,sed tergemino.
adeò,vbi ceteri desunt hostes,
ipsa sibi est hostis impietas.

NA-

Digitized by Google

# NABOTHVS
impiè occisus.

Synop. *Lapidatus est iussu Achabi Regis, suadente Iezabele coniuge, cum inuasisset ille iniustè in huius vineã,* 3. Reg. 21. *sed ambo horrendum in modum cæsi pœnas luerunt; sanguinem verò ipsorum canes linxerunt.*

## ENCOMION 97.

Nihil non audet impietas,
cum se securibus armauit, ac fascibus.
scilicet hausit Rex innocentis sanguinem,
vt hauriret ex aliena vinea merum.
non vitem subiecit prælo, sed vitam.
mortis vsus est falce,
non vt inutiles præcideret ramos,
sed vt vtilem occideret ciuem.
exarauit hunc vulnerum sulcis,
vt eius sibi vendicaret agrum.
sustulit colonum, vt terram excoleret:
sed purpuram, quam decolorauerat liuor,
mox sanguine infecit suo:
cæsus est in campo, qui pro agro fecerat cædem;
regio curru reuectus ad tumulum.
at impia coniux ex alto acta est præceps,
vt frangeretur ad saxa,
scilicet quæ innocentem lapidandum curarat;
depinxerat illa coloribus lumina,
sed decolor amisit lucem.
delinctus eius est à canibus cruor:
obiecta est impudentis animalis ad pastum,
quæ se impudenter à nece ornarat ad fastum:
quia animum induerat ferinum,
quasi præda incidit in canes.

IOIA-

Digitized by Google

# IOIADAS

## Pontifex.

Synop. *Athalia impia Ochoziæ matre, quæ regiam extinxerat prolem, morte sublata, Ioiadas superstitem Ioam inūxit Regem adhuc puerum. is, quādiu Ioiadas vixit, multa piè egit, postea ad impietatem delapsus interijt.* 4. Reg. 11.

## ENCOMION 98.

Nihil trepidauit te viuente Religio
vel consilijs tuis munita, vel armis.
impij Regis impiam sustulisti matrem,
quæ Regni hæredes sustulerat nece:
vt nobiliùs sibi Regina tingeret purpuram,
sanguinem scilicet fudit regium.
vnus infans clam seruatus est hæres,
hunc tu Regem inaugurasti septennem:
consedit puer in solio
celsus muneris maiestate, non corporis statu.
sed firmius sedit quandiù puer,
quàm cum adultus,
quia consilijs eum antea firmabas tuis.
Rex fuit, cum habuit Ducem;
clauum rectè tractauit,
cum obseruauit Cynosuram;
te latente per mortem, perdidit nauem.
peritus auriga equuleum frænasti regium,
te amisso, vel adhinnijt ad illecebras,
vel per prærupta est actus in præceps.
cum restaurauit augustum delubrum auro,
inimicum non timuit ferrum.
cum deiectam refecit aram,
non cecidit ipse hostia, sed hostis.
diadematus imperauit, dum paruit infulato.



Digitized by Google

# ZACCHARIAS

Sacerdos.

2. Paral. 24 Genebr.

Synop. *Hic Ioiadæ filius, cum reprehendisset Deorum cultum, iussu Regis Ioæ lapidatus est. is postea à Syris magnas clades accepit, & in lectulo necatus. Zachariæ cruor dicitur diu ebullisse post mortem quasi recens.*

## ENCOMION 99.

Appetitus es, heros magne, lapidibus,
quòd Deos insectarere lapideos;
sed dum hostis saxa deuoluit,
honori famulatus est tuo,
quia cesserunt illa in mausoleum nobile.
in saxis virtus fundamentum firmius iecit.
cæsus es, quòd Deorum succidi iusseras lucos,
sed è succisis arboribus collectæ sunt frondes,
quæ contextæ in corollam victori cingerẽt caput.
qui te cecidere saxis,
cæsi ipsi sunt ferro;
quippe moriens causſæ iudicem appellasti Deum.
cum in atram te compellere putaret noctem,
dixisti atroci tyranno diem;
tametsi clara tua mors caruit nocte.
vbi ille te iussit lapidibus peti,
omnia eius dilapidata sunt bona,
Syro hoste depopulante regnum.
quin etiam dum dormiret stratus in purpura,
suo cruore fecit dibapham, immo infecit;
commutauit cum morte somnum.
at, qui tuo de corpore fusus est sanguis,
efferbuisse diu dicitur viuidus.
scilicet dum gliscebat exiliens,
faciebat de victo hoste tripudium.

IO-

Digitized by Google

# IONAS

## Propheta.

Synop. *Ferunt hunc fuisse puerum illum, quem Helias à mortuis excitauit. magna vis eius vaticinationis ostenditur; cum eiectus in littus à ceto Dei iram denunciauit Niniuitis magno cum animorum motu.* Epiphan.

## ENCOMION 100.

Illum te fama puerum dicit,
quem magnus Vates excitauit à morte,
cum calore fouisset suo.
is, qui Soli simile sortitus est nomen,
igneo prouectus curru
te reddidit luci. ἥλιος Sol Ex S. Chrysost.
dici poteras Phœnix
reuiuiscens calido eius Solis afflatu,
sed maluisti dici columba, Ionas hebraicè columba.
delectatus magis candore, quàm fastu.
tametsi mirandum fuit in columba,
siquidem hæc caret felle,
tu contra conquestus es Deum fieri mitem.
sed nimirum veritus es, ne more columbæ
falsos viderere obiecisse colores, & fictos
vanitate minacis oraculi;
id scilicet metuens alio auolasti;
sed penè incidisti in accipitrem præda.
vt effugeres spirabile Numen,
frustra confugisti ad vndas,
quibus incubuit statim recente iam Mundo
more columbæ. Ex 70. Interp.
dum tu pennarum remigio fidis,
fatigas in mari remiges;
tuæ fugæ leuitate nihil est grauius.



Digitized by Google

Exoneratur frustra mercibus nauis,
nisi eo leuetur,
qui secum fert seueri pondus oraculi.
rectà velificari illa non potest
diuino reflante spiritu;
durare nequit imperiosius æquor,
dum te vehit cœlesti imperio durum.
nauigare secundo non potes cursu,
qui non obsecundas Deo.
meritò in vndas te proijci sinis,
ratus immenso opus esse pelago,
vt eluas peruicaciæ maculam.
quia vrbem terræmotu absorptum iri nõ credis,
marino absorberis à ceto.
includeris reus vteri carcere,
conderis sepulcro, nec tamen marmoreo,
sed quod erat in marmore.
non es animantis calore digestus,
qui Vatis calore animatus fueras puer.
sed quid tàm monstrosum, ac mirum,
quàm quòd pro naufragij tabula
marinum nactus sis monstrum!
vanum feciſti Arionis nomen,
qui ne periret, allexit cantu delphinem:
at tu sacrum ceciniſti carmen,
non piscis humero sidens, sed vtero iacens;
euasit munitus fidibus ille, tu fide.
expuit te cetus in littus,
ne Dei iussa respueres.
in arena locauit vt pugilem
initurum cum vrbis vitijs luctam.
vaticinatus es, persuasit non elegans sermo,
sed squalor oris, ac pallor.

Quanta

Quanta dicendi vis fuit in naufrago!
quæ tremefactum Regem excussit è solio,
purpuram mutauit in saccum.
nouum Rex edidit genus edicti,
indixit triste iustitium
non ciui modò, sed pecori;
interdixit vel aquæ potum
tunc, cum maximè ciuitas vndabat
effusa omnis in lacrymas;
asperis hæc horruit setis,
vt lenem faceret Deum;
vt vitaret mortem, sedit in cinere;
maluit esse sordidata, quàm sordida.
vt brutos exueret mores,
eadem sumpsit indumenta cum brutis.
nunquam tàm eminuit ratio,
quàm cum dolore paria sibi fecit bruta.
meruit vrbs trepida, ne tremeret tellus.
non corruit motu, quia diriguit metu;
nisi quòd tu erubuisti, cum illa expalluit,
quia religione tuum euasit oraculum.
iacuisti dolens sub vmbra,
quòd adumbratæ tantùm euanuissent minæ.
de arente conquestus es hedera,
qui feceras, ne madescerent Baccho.
perferre non potuisti Solis ardorem,
qui acribus exarseras dictis.
at quæ causa questus? habes quod erat in votis,
iam Vates inuentus es verus:
nempe euersa Ciuitas est, cum piè conuersa,
cuncta suo demota sunt loco,
Rex ipse ruit è solio,
fastus cessit in sordes, luxus in luctum.

OZIAS,

Digitized by Google

# OZIAS, siuè AZARIAS

## Rex Iudææ.

Synop. *Exquisiuisse dicitur Deum, & ab eo directus. vi-*
2. Paral. 26 *cit Philistæos, Arabes, & Ammonitas. extruxit turres, & machinis muniuit. fuit et agriculturæ deditus. ausus obire sacerdotale munus, lepra perfusus est.*

## ENCOMION 101.

Fixisti bellator vbique trophæa victoriæ,
meritò, quia defixus in Deo.
fecisti magnos in apparatu bellico sumptus,
sed nemo visus est te apparatior pugnæ.
inuenisti bellicas diuersi generis machinas,
vide Adag. at præsto tibi fuit tanquam è machina Deus,
huius tu præsidio quasi muro munitus
vrbium demolitus es mœnia.
regiam vrbem cinxisti turribus multis,
tibi pro arce fauor Numinis fuit.
delectatus es labore castrensi,
nec minus agresti:
scilicet plantasti tibi ipse ad victoriam lauros,
in duplici versatus es campo,
in altero fecisti glebæ,
in altero vulnerum sulcos.
ornasti lauro non modò tela, sed vomerem
triumphalis arator.
vnum egisti nec cautè, nec piè,
quòd relicto vel ense, vel vomere
ausus es sacram tractare acerram:
cum in fronte contraxisti morbum,
diadema vilem cessit in fasciam
didicisti in regno non arroganter facere,
sed pro regno rogare facientem.

AMOS

Digitized by Google

# AMOS

## Popheta.

Synop. *Pastor fuit iuxta Bethlen. vaticinatus est biennio ante terræmotum. videre sibi visus est Deum cum cæmentarij trulla linientem adamantinum murum; item uncinum pomorũ. rapaces perstrinxit. occisus est veste.*

## ENCOMION 102.

Cum hic ex pastore factus es Vates,
desijt Apollinem mirari Græcia,
qui ex Vate factus est pastor.
terræmotum hic anteuertit oraculo,
tremorem terrore, vaticinium minis.
eluere hominum conatus est maculas,
antequam humus faceret labem.
intremuere terrigenæ antequam terra:
labilire conatus est vrbes verborum pondere.
obiectus est eius menti opifex Mundi
operarum more substruens murum;
sed mirum visu, quippe cæmenta cum trullæ
subitò abierunt in gemmas.
tractata Dei manu facta sunt adamas. *Ex 70. Interp.*
protecta gens esset adamantino muro,
nisi abijsset & cor in adamantem
duritate, non pretio.
Vidit hic idem vnco ferreo diripi poma,
qui rapaces insectatus est acriter.
damnauit quoque superbum diuitum luxum:
nempe oriundus ipse ex vicinia Bethles,
opponere pauperis Dei visus est cunas.
percussus ab impijs est ligneo vecte,
sed Deorum monstra grauius ipse fregerat claua.

AB

# ABDIAS

Propheta.

Synop. *Dux antea fuit exercitus. pauit centum Prophetas*
3. Reg. 18. *abditos in spelunca impij tyranni metu. quamobrem meruit & ipse prophetiæ donum. superbiam in primis carpsit sub aquilæ similitudine.*

## ENCOMION. 103.

Nihil in hoc mirere non strenuum,
siue cum Ducem egit, siue cum Vatem,
ante conscripsit exercitum,
quàm scriberet oracula;
arma tractauit antequàm calamum,
sed acrior styli mucrone, quàm gladij,
plures strauere minæ, quàm vulnera,
plus potuit ore, quàm manu.
nobilior fuit cortina Vatis,
quàm tentorium Ducis.
pugnando magnos hausit spiritus,
vaticinando vnum, ac ter maximum.
quòd profugos Vates pauisset in specu,
meruit vaticinij mercedem.
illis è suo sumptu edentibus
edere ipse cœpit oracula.
alta est, & sublimi mente locutus,
sed temerè elata defregit ingenia.
generosus Dux, at generosior Vates.
Dux bellicis aquilis exterruit hostem,
Vates coegit aquilas trepidare vel regias;
positum ab illis inter sidera nidum
minando detraxit in terram.
nouo more pugnauit, ac vicit,
cum non contulit signa, sed abstulit.

IO-

# IOATHANVS

## Rex Iudææ

Synop. *Ozia filius fuit: fecit quod est rectum: excitauit portam templi sublimissimã. exædificauit vrbes, ac turres. pugnauit aduersus Ammonitas feliciter. eius via à Deo directa sunt.* 4. Reg. 15. 2. paral. 27

## ENCOMION. 104.

Non nisi grandiloquo hic dicendus est ore,
qui regium esse duxit moliri grandia.
vel hinc huius animus patuit celsus,
quòd religioni aperuit celsissimam ianuam.
statim ac regni claues accepit,
primum hunc sibi aditum fecit ad gloriam
per augustissimi delubri portam,
quam erexit ingenti substructione sublimem.
docuit videlicet eos, qui se intrò inferrent,
non abiecta mente, sed excitata precari.
didicit ipse atroci parentis ex pœna
sacra venerari, non rapere,
aditus reficere, non ad adyta facere,
delubra non temerè subire, sed condere.
non est ausus, vt genitor, regias vittas
confundere cum sacerdotalibus infulis.
opes non impendit in suam,
sed in religionis aulam.
tunc putauit sibi solium fore sublime,
cum sublimiorem struxisset Numini sedem.
vbi hic res sacras in cœlum extulit,
fortius hostem humi deiecit, ac strauit.
exegit ab eo tributi nomine triticum:
colligere visus est amplam gloriæ messem,
qui templum fecerat virtutis aream.



Digitized by Google

# MICHÆAS

Propheta alter.

Synop. *Vaticinatus est in primis de Dei in terris nati cunabulis, Bethlen vrbem laudãs, quod oraculum in Magorum aduentu Sacerdotes citarunt. confertur hoc cum stella cunarum indice.*

## ENCOMION 105.

Nobilitata tuis est oraculis Bethle
natalis Numini locus:
nequaquam ea vrbs tibi visa est minima,
quæ potuit complecti ter maximum.
ante tuo est illustrata sermone, quàm sidere;
anteuertisti præcinendo Cœlitum cantum.
tua vox expressa per flamines, fecit,
vt Rex Solymes inuidus palleret in purpura.
Orientis Reges errantes, ac tristes,
condito sidere itineris Duce,
tuo rexisti solatus oraculo.
certauit hoc cum stella, vel luce, vel fide.
dicta est illa pulchro elogio cœli lingua,
ex S. Aug. sed locuta est tantum splendore, non sermone;
tu Dei cunas in lucem euocasti clamando,
antequam eas occuparet nox intempesta silentio.
ceterarum rerum vaticinia edidisti, sed tectè,
at hoc, quod noctu implendum erat, apertè.
præuenisti tuo in terris oraculo cœlum,
quia prior ostendisti, vbi lateret Deus.
subtraxit in itinere sese tantisper stella,
vt tuum tantùm suspiceretur oraculum.
illa post obitum munus obijt,
at hoc æternis consignatum notis
semper vrbem indicat Dei natalem.

OEDVS

# ODEDVS

Propheta.

Synop. *Cum ob scelera Achæ Regis, & eius gentis magna pars exercitus cæsa esset, Deo sinente, per Israelis Regē. Odedus impetrauit, ne reliquiæ attererentur, immo hostes ipsi captiuos indutos spolijs dimiserunt.* 2. Paral. 28

## ENCOMION 106.

Quid tua vel sacratiùs voce, vel fortiùs,
qui tumentes victoria Duces,
inermis vicisti?
fecisti, ne reliquiæ belli perirent;
parcere iussisti deuictis,
quòd essent generis communione deuincti.
satis iam vel luerant cæde pœnas,
vel eluerant cruore labem.
vbi vox dulcis insonuit tua,
desierunt raucæ clangere tubæ,
perstrepere litui;
penè detraxisti de iugo triumphales equos:
sed reddita est pompa multò præclarior,
cum te auctore captiui incessere soluti.
parum hoc; indui iussisti nudos,
at quo amictu, qua chlamyde?
mirum spectaculum: ij, qui vicerant,
bellicis induerunt spolijs victos;
qui ceciderant, insignia reportauere cædentium;
à strage suorum laureati remearunt in patriam.
quisquis hoc vidit, cœpit ambigere,
vtri essent adepti victoriam,
qui dextero, an qui siniſtro pugnauerant Marte!
tot armatus odijs furor hoc egit,
quòd te Duce pietas triumphauit.



Digitized by Google

# EZECHIAS

## Rex Iudææ.

Synop. *Extat eius præconium in sacris literis. sustulit Deorum simulacra, immò etiam æneum serpentem, qui coli cœperat. succidit lucos. hostilis exercitus ab vno Cœlitum deletus est. eius productio vitæ à Sole significata.*

*Eccles.* 48. 49. 4. *Reg.* 19. 20. *Esaiæ* 38.

## ENCOMION 107.

Fuisti arbiter horarum magnus, ac temporis,
sed magnitudinem pietatis excepit æternitas.
nihil fuit ea spectabilius pompa,
in qua tu captiuos duxisti Deos,
non vinctos manibus post terga, sed fractos.
nouus tibi patuit ad prælium campus,
cui comminuti Dij sufficerent puluerem.
vel hoc habitus es statua dignus,
quòd fregeris indignas.
scilicet malè apud te audierunt Dij,
qui carent auditu;
inuisi tibi fuerunt, qui nequeunt videre.
succidisti lucos, qui menti eriperent lucem.
Stygias insectatus es belluas,
quæ impuris latebant in lustris.
vt religio altiores ageret radices,
superstitionem extirpasti radicitùs
acriùs cruciati sunt suo tetri Manes incendio,
cum ignis materiam suffeciſti ipsorum arbores.
plus tibi comparasti laudis,
cum versata est securis in silua,
quàm cum gladius in campo.
sed illud liceat mirari consilium,
quòd insignem prodigio æneum anguem
non sustuleris modò, sed fregeris.

Tu-

Digitized by Google

Tumuisti ira, vbi non tumuit virus:
sed nimirum cultum impium aboleuisti anguis,
quem in sanando habuerant pium.
non es passus vmbram futuri cedere in noctem;
effinxisti tibi monumentum perennius ære,
cum serpentem diffinxisti æneum.
non siuisti populum implicari
spiris superstitionis obliquis.
Idem in hostes cœlestia nactus es arma,
qui in cœlum armauerant linguam.
mira vis diuini præsidij,
in vno Cœlitum vis integra fuit exercitus;
vnus immortalium strauit innumeros morte.
retulit tuus miles exuuias hostium,
quos alter exuerat vita.
ditatus est ea, quàm ipse non ceperat, præda.
de cœlo illata hosti mors est,
de cœlo etiam prolata tibi vita.
quid potest fama commemorare præclarius,
quàm te, qui produxisti lucem!
vel hoc illustrior Alcide fuisti,
quòd ille nascens geminasse dicitur noctem,
tu renascens geminasti diem.
vt longius excurreres in stadio vitæ,
reuocasti ad carceres Solem.
regressus est Sol, sed stetit, hæsitq; Natura
attonita, & defixa prodigio.
mirum fuit & illud prodigium vitæ:
reuocata videlicet horologij vmbra
certum reddidit te, non aditurum vmbras.
ne se Sol conderet in Oceani vndas
vna tua fecit lacrymula,
cœli oculo imperauit tuus.

NA-

# NAHVM

## Propheta

Synopsis. *Prædixit Niniuen vrbem euertendam, quæ cum Ionæ minas euasisset, ad pristina redierat scelera. quamobrem & ab hoste oppressa, & terræ cùm tremore, tùm igni erumpente, & eluuie vastata est.*

## ENCOMION 108.

Ab onere statim tuum exordiris oraculum,
eam scilicet vrbem supplicio grauas,
quæ proposito fuerat leuis.
incidit in exitium, quod euaserat
alterius Vatis minis exterrita.
sed vbi se asperis exuit setis,
hostes induti sunt armis.
vbi aurum redamauit ad luxum,
ferrum illi acuerunt ad cædem.
quia timuerunt acre vaticinij fulmen,
serenato cœlo procella non tonuit.
quãdiù legati verba apud ipsam habuerũt pondus,
terra suis librata ponderibus stetit,
non fecit labem, quia incolæ eluerunt suam.
at postea hiatu facto euomuit ignem:
quandiu exarserunt in se ipsos,
illa non eructauit incendium.
mira res: effugerunt ignem,
dum iacuerunt in cinere.
quin etiam à solitudine prorupit eluuies
cuncta in exitium trahens:
aduersa licet elementa coniurata senserunt,
qui aduersantia primis inierant consilia.
cum falsæ exaruerunt lacrymæ,
dulcibus consumpti sunt aquis.

MA-

Digitized by Google

# MANASSES

Rex Iudææ.

Synop. *Diu impius fuit, planetis, atque astris cultum exhibens, & filium per ignem transferens. Esaiam ipsum eximium Vatem serra dissecuit. tandem magno cum animi dolore resipuit. in horto regio sepultus est.* 3. Reg. 21.

## ENCOMION 109.

Tandiù iacuit hic nocturnis in tenebris,
quandiù coluit sidera;
tandiù errauit, quandiù planetas,
imbellis in terris, & inglorius fuit,
dum sibi adiunxit cœli militiam.
nihil ipso fuit abiectius,
cum excelsis immolabat in montibus;
nihil inquinatius
cum superstitiosè purgabat sobolem igni.
sed exarsit tandem in se vel dolore, vel ira;
extulit se supra sidera, cum ea infra se habuit;
pedem ijs impressit, quibus submiserat caput;
nobilius esse duxit sidera calcare, quàm colere;
illustre, ac regium esse,
vti ministerio, non imperio Solis,
addidit & purpuræ non exiguum decus,
cum erubuit de sanguine magni Vatis effuso.
tunc sceptrum tractauit rectius, cum se correxit;
sceptrum sibi censoriam mutauit in virgam.
stultè dedit superioris fabulam vitæ,
sapienter extremum actum.
ob pluuias Hyades cultas
imbrem fudit lacrymarum,
meritò est Regio sepultus in horto,
vbi animum cœpit excolere.

ESAIAS

Digitized by Google

# ESAIAS

## Propheta.

Synop. *Eius vaticinij dignitas ostenditur, & claritas, dū ea, quæ ad Liberatorem nostrum pertinent, quasi coram constituit. obiecta est ei species in throno sedentis Dei. impiè sectus est à Rege Manasse.*

## ENCOMION IIO.

Fas sit subire tuam, Vates magne, cortinam
inumbratam penitûs diuinitatis obtentu,
inaccessam insanienti Græciæ.
quàm amplum quæsiuisti theatrum!
cum mortales castigaturus ingratos
cœlum, terramq; audire iussisti,
vt essent auctoris vindices sui.
ostendisti, data in ministerium bruta
venisse in magisterium hominum.
ex hara deprompsisti quæ discerent
assueti Lycèo Sophi.
tui claritas oraculi fecit,
vt Apollo contemneretur obscurus,
qui dictus est Clarius
tàm aperti perspicuitas vaticinij
dubios fecit posteros,
vtrùm dicendus esses spectator, an Vates.
penè affuisti magnis paruuli Dei natalibus,
penè instruxisti cunas.
non es veritus, proterui Regis purpuræ
Virginis matris obiectare candorem,
illibato pudicitiæ flore.
qui non petendo prodigia
Deum fecerat partum,
inuenit prodigum sui.

Iussus

Iussus es in grandi volumine
notas exarare breues, cap. 8. & 9
contracti videlicet in hominem Dei.
stylo scripsisti mortalium
inexpliçabiles vel Superis notas;
Dei nomen ornasti titulis & nouis, & miris:
meministi celeritatis, & cursus,
cum adhuc materno arceretur amplexu.
pugnauit Imperator in campo,
cum imbellis lateret in specu.
meministi spoliorum, & prædæ,
cum algeret humi nudus.
inter nobilia locasti trophæa,
qui decumbebat in stipula.
nunquam es tàm magnificè locutus, & splendidè,
quàm cum de Dei spontè deiecti probris.
appellasti tanti præsidem belli,
Principem pacis;
recens natum, futuri sæculi patrem;
consiliarium, qui commodis non consuleret suis;
fortem, qui pendebat ab vbere.
at hoc certè minimè mirandum,
quòd appellaueris admirabilem.
qui etiam euocasti ab Oriente dynastas,
excitasti sopitam vrbem ad noui Solis exortum: cap. 60.
iam tum videre tibi visus es grande spectaculum,
cum abiecerunt Reges è capite diadema gẽmatũ
ad pannosi pueri pedes.
quid mente acutius tua!
qui regiam prospectasti pompam
tàm longè dissitus tempore. cap. 53.
quid quòd tibi tantò ante pependit è trabe
medius inter reos Deus!



Digitized by Google

Occupasti sanguinem illius lacrymis tuis;
parentasti conditori Naturæ,
antequam lumina conderet morte;
patuit tibi scena tàm grandis,
antequam orbis terræ theatro.
cap. 6. Sed quò te consequi audeam gradu
admissum ad adyta ter-maximi Numinis?
audijsti arcanum carmen cœlestis odèi,
inter superos versatus es alites,
penè ipsorum euolare visus es pennis;
arsisti tu quoque pietate inter igneas mentes.
iccircò de Deo fecisti verba tàm clarè,
quia os diuino fulgebat igni, quem tetigit.
nullus tibi felicior obtigit dies,
quàm qui cœlesti notatus est calculo.
vt gemmeus efflueret sermo,
prunæ abierunt in pyropos.
tametsi tanti lumen oraculi
hebetes perstrinxit impiorum oculos,
cum cæci ruerunt in iram:
scilicet impiè dissectus es serra;
improbitas tuo aureo ore perstricta
acutos exacuit dentes.
cum nullum par esset simulacrum tuæ virtuti
assabrè fecisti teipsum.
ipse hostis honori deseruijt tuo,
cum sufficit ferram dolando.
denique sepultus diceris esse sub quercu,
nempe oppositus es candidissimus Vates
Dodonææ quercui,
vnde columbæ falsa fundebant oracula,
videlicet è collo,
quod colores à Sole mentitur.

OSEES

Digitized by Google

# OSEES

## Propheta.

Synop. *Iussus est accipere uxorem è prostibulo. describit Deum ut nutricium, itemq; vindicem. cum nuptias inter Deum, & hominem initas fide, sponsamq; in solitudinem abductam.*

## ENCOMION III.

Vaticinatus es non dictis modò, sed factis;
nunquam tu fuisti castior,
quàm cum coniugem accepisti iussus incestam;
diuinas videlicet repræsentasti nuptias,
cum mortalibus initas indignis.
coniunctus es Venereo scorto,
sed nihil debuisti Veneri.
è prostibulo accendisti tædas,
vt lucerent pulchriùs domi.
nihil mortales audiere te blandius,
cum nutricium appellares Deum;
nihil asperius, cum similem pardo,
tametsi nullis notasti maculis.
cum eundem Deum faceres sponsum
pronubam dixisti Fidem,
sed amandata est in solitudinem sponsa,
vt disceret minus belluas timere, quàm procos.
nemus adijt, vt perpetuò viresceret Fides.
at mirum, quòd in siluis exuit siluestrem animum,
inter feras esse cœpit humanior.
non ibi (vt alijs accidit) lacte nutrita est ceruæ,
ne in amore disceret esse fugacior.
sed inde lac hausit, vnde hausit & vitam.
mirum dictu: quæ in vrbe fuerat lupa,
in solitudine euasit agna.



Digitized by Google

# IOEL

Propheta.

Synop. *Vaticinatus est in primis de sancto Spiritu, qui, post Christi ascensum in cœlum, inde delapsus, afflaturus esset mortales. item de magni Iudicis aduentu. iussit ieiunos esse suos, vt effugerent hostem.*

## ENCOMION. 112.

Quis tàm afflatus Numine dicendus est Vates;
quàm qui de Numinis est vaticinatus afflatu?
cap. 2. quis tàm suauis eloquio
quàm qui Amorem deuocauit in terras?
aurea hic præcinuit lingua
eum, qui præfelaturus erat igneam.
huius Vatis ante illustrata mens est,
quàm iguis ille effunderetur in capita,
sed qui mortales amore demulsit,
idem Deo deterruit iudice;
tetram Mundi caliginem præuidit clarè;
Sol profundè condendus in tenebras
ipsum minimè latuit.
versa est ei in sanguinem Luna,
ante communem mortalium stragem;
doluit casum Naturæ, antequam caderet.
hortatus est suos ad sonitum tubæ,
[cap. 2. vt vereri discerent extremæ clangorem.
iussit vbertim madescere lacrymis,
antequam exarescerent metu.
cum coegit ciuium cœtus in vnum,
inuictum conscripsit exercitum;
sed, vt vinceret, ieiunum misit in hostes.
nouum consilium militi negauit ador,
vt acquirere posset adoream.

TO-

Digitized by Google

# TOBIAS

Pater.

Synop. *Cum esset inter captiuos, sepeliebat mortuos domi suæ. cæcus factus est ad experimentum virtutis. tandem curatus felle piscis, quod remedium vnus Cœlitum ostendit peregrinanti filio.*

## ENCOMION 113.

Immortaliter es, vir magne, laudandus,
vel ob hoc, quòd consuluisti mortuis.
non es passus, necatos ab hoste ferino animo,
immanibus etiam obijci feris.
nefas putasti iactanter ostentari cœlo
superbæ mortis trophæa.
condidisti vita functos communis parentis sinu,
quos viuentes parentis instar condideras tuo:
eadem manu, qua inopi cumulasti opes,
ipsum tumulasti humo.
fodisti ligone terram,
non vt erueres aurum, sed vt integeres pauperem.
tunc verè tibi visus es viuere,
cum inter vrnas versabaris, ac tumulos.
nihil apud te tanti ponderis fuit
quàm terram inijcere leuem.
mira pietas. alij efferunt mortuos domo vel suos;
tu intulisti domum vel alienos.
vnus in ædibus thalamus fuit, tumuli plures.
lauisti vulnera non manibus modò, sed oculis.
non tàm doluisti postea, quòd tu careres luce,
quàm quòd alij lucis vsura.
multa in te fuere mira, sed illud maximè,
quòd qui mitissimus sine felle vixisti,
curatus es felle.

TO-

# TOBIAS

Filius.

Synop. *Matris in eum amor ostenditur, cum oculorum lumen, & senectutis baculũ appellauit. habuit itineris ducem, & comitem vnum Cœlitum, a quo edoctus est, qua ratione pater à cæcitate curari posset.*

## ENCOMION 114.

Dictus es à matre cæci parentis lumen
miro vaticinio,
quia consuluisti cæco,
cum & te lumen recepit, & per te lucem.
qui senectutis dictus es baculus,
peregrinando accepisti bacillum.
sed vt per nuptias sustentares familiam firmius,
ne sine prole concideret.
Ducem nactus es viæ non cœli sidus,
sed inter sidereos Cœlites vnum:
idem simul & erat viator,
& perfruebatur patria.
habuisti eum non comitem modò, sed comem,
mirus honor. deposita propter te purpura
Cœli Senator induit penulam;
fecit, ne nuptiales puellæ tædæ,
vt alijs acciderat ipsius viris,
tibi quoque cederent in rogales.
Stygium fugasti hostem incenso piscis corde,
scilicet eum, qui mortales facit excordes.
meritò ipsum expulit fumus,
quem è cœlo depulerat fastus.
dulcis tu semper tuo fuisti parenti,
sed tunc suauissimus,
cum, vt te videret, ei fel attulisti.

IV.

Digitized by Google

# IVDITHA

Matrona.

Synop. *Holofernem, qui obstructis fontibus urbem obsederat, adijt. inter cetera ornamenta attulit lilia. Deus ipse addidit splendorem. sandaliis captus est Dux. ebrij, ac dormientis caput amputauit ipsius gladio.*

## ENCOMION 115.

Dux fœmina facti, sed præclarissimi facti;
omnes hæc vicit Amazones
vel virtute, vel gloria,
quanquam Amazoniam non gestauit peltam;
in curuatæ speciem Lunæ,
ne bellatorem aditura procacem,
omen sibi faceret maculæ.
hoc consilio non sumpsit arma, sed lilia;
benè sibi est ominata victrici,
quòd videlicet efflorescceret virtus.
in campum progressura cum hoste,
campestria tulit insignia;
sed lilia sibi, non rosas adsciuit,
ne quid sortiretur commune cum Venere.
castos se induit in flores,
vt vita spoliaret incestum.
accepit mundi muliebris ornatum,
vt dedecoraret immundum,
induxit aurea pedibus sandalia,
vt vestigia pulchriora virtutis imprimeret;
calcare voluit hostẽ nõ strenuè modò, sed pulchrè.
cultum adsciuit sibi, vt eum eriperet Dijs.
incedentem cum fastu Ducem
augustiore ipsa obstupefecit incessu:
non est cum hoste congressa manu, sed gressu.

Cap-

Digitized by Google

Captus est ille non tàm vultu, quàm pedibus,
sed his proterendus.
vt vrbem ille caperet, obstruxerat fontes,
sed manarunt vberius ciuium lacrymæ.
cum ijs negauit aquas,
sitim accendit sanguinis.
occupauit hæc ebrium sobria.
distrinxit gladium, vbi vidit somno solutum;
arripuit pendens è columna telum,
vt faceret sibi omen constantiæ.
habuit vbi rem præclarè gestam
vel inscriberet, vel incideret.
In molli iacentem purpura duro strauit ferro.
tumuit ceruix non iam fastu, sed vulnere;
rubuerunt oculi non ira, sed sanguine;
victoriam, quam somniabat, amisit;
lectus cessit in feretrum,
purpura in linteum sepulchrale.
ducta triumphalis est pompa,
hòc maior, quòd hostis capite minor,
epinicion non cecinit miles,
sed antistes sacrorum,
quia non arma vicere, sed vota,
nunquam litatum pulchrius,
quàm cùm victima cruore turpata,
nihil visum in pompa venustius,
quàm matrona procul à Venere,
quæ proxima stetisset incesto.
lilia, quæ secum tulerat, retulit,
inermis adijt pugnam,
sed redijt armata cum telo.
nouum spectaculum: turpe ostentauit caput,
quòd pulchro superauerat pede.

ACHIOR

Digitized by Google

# ACHIOR

Ammonites.

Synop. *Holofernem, etsi ethnicus, monuit, ne Hebræos impugnaret, quos Deus tegeret. traditus est ipsis Hebræis vt vnà cum illis caderet, alligatusq; arbori. parta ab illis victoria, religionem veram amplexus est.* Iudith. 6.

## ENCOMION 116.

Magnum accessit religioni decus
testimonio tuo,
quia acceptum ab extero.
apud barbarum Ducem aliena defendisti sacra;
hostilem vertisti tubam
in præconium.
deterruisti Ducem à bello ostensa vi Numinis,
quod Hebræi colerent.
imbellem declarasti, licet tot copijs instructum;
immò nec patrios es veritus Deos,
cum Numen commendasti extraneum.
traditus es Iudaicæ, quam extuleras, genti,
vt illam sociares in cæde;
sed cum alligatus es arbori,
spem concepisti non vanam
ex viriditate ramorum;
sub vmbra positus accepisti omen,
fore, vt tegereris à Numine,
quòd hosti tectum esse nolueras.
cum vidisti turpe illius caput recisum
à Iuditha in triumpho duci,
habuisti vnde componeres sertum
ex viridi tuæ arboris fronde;
at vincula, quæ hostis innexuerat tibi,
ipsi iniecisti captiuo.



Digitized by Google

# IOSIAS

Rex Iudææ.

Synop. *Extat eius præconium in diuinis literis, vbi ipsius memoria comparatur odoratis pigmẽtis, melli, & musicis modis, & sympoſio. ad ipſum pertinent Ieremiæ næniæ. ſuſtulit cultum in primis Solis, & aſtrorum.*

*Eccl. 49.*
*4. Reg. 22.*

## ENCOMION 117.

Occidere potuiſti, vt mortalis, in bello,
excidere è mortalium mente non potes.
tumulus tuus iniecto non eguit flore,
quia nomen etiam à morte fragrauit:
cum eſſes in ſepulchro compoſitus,
memoria, vt in compoſitione odoris, afflauit.
poſt editum extremum ſpiritum,
non deſijt virtutis ſpirare ſuauitas.
quia priuaſti thure fœda figmenta,
redoluerunt tuæ famæ odorata pigmenta.
collatum eſt nomen pretioſo cum puluere,
quia Deos in vilem vertiſti cinerem.
dicta eſt etiam tui memoria dulcior melle,
tametſi inter tuorum vulnerum roſas.
apis inſtar erexit dolor aculeos.
dignus es ore Neſtoreo,
qui diffluxiſti rore nectareo:
& mel memoria tui habet, & melos,
quia concinuerunt tua dicta cum factis,
religione choreas ducente virtutum.
quin etiam dum ſtrenuè cadis,
inter raucas tubas, ac lituos,
multò vocaliores auditæ ſunt næniæ.
At quàm virile prætetuliſti robur,
qui effœminatos ſuſtuliſti de regno!

Pro-

Digitized by Google

Prostibula viliora feciſti, quàm ſtabula;
leone acrius inſectatus es lupas.
nihil odit infenſius,
quàm te ſuperſtitem ſuperſtitio.
nulla triumphi pompa par tuæ,
in qua ducti ſunt, præter hoſtium ſpolia,
diuinitate ſpoliati Dij.
infames lucos repleſti mortuorum oſſibus,
aridam inieciſti materiam, ne reuireſcerent.
excepit Deorum cinerem profluens Cedron;
præluſiſti ſcilicet bello,
quod ibi confecturus erat imperator Deus,
ſanguinem deſudaturus in pugna.
execrabiles ipſæ nemorum vmbræ,
quas ſuſtuliſti ſucciſis arboribus,
reddidere te clarum,
ſed illuſtrior factus es multò
(mirum dictu) cum ſuſtuliſti cultum Solis.
nulli maculoſior eſt viſa Luna, quàm tibi,
ne impleret illa orbem lumine,
impleſti eam ignominia.
de cœlo iniecta tibi mens eſt,
vt profligares militiam cœli.
cœlum ipſum conſilio prætulit facem,
vt combureres Solis currum;
Solis equi non ſolùm igneo viſi ſunt ore,
ſed toti abierunt in flammam.
non aſtra tibi ſiniſtra deuoluerunt fata,
immò tu aſtris fuiſti fatalis.
quàm ſplendidus contigit tibi triumphus,
qui coronatus es pro ſideribus victis!
immortaliter viue, qui ante currum duxiſti
Solis quadrigas in cinerem verſas.



Digitized by Google

# SOPHONIAS
## Propheta.

Synop. *Maiores suos, quos ipse recenset, habuit, vt Hieronymo placet, item Prophetas. prædixit superstitionem delendam, astrorum in primis cultum. Dei Iudicis aduentum grauibus verbis describit.*

## ENCOMION 118.

Clarum te fecit & virtus, & genus.
editum dicit fama ex Vatibus Vatem;
minus dixisset, si ex Regibus Regem.
quàm abundè in te se Numen effudit, ac tuos;
siquidem parentem, auum, proauum afflauit, & atauũ.
tàm nobiles quatuor Vatum quadrigas
extremus ipse velut auriga complexti.
meritò tales imagines præfers maiorum,
qui vaticinaturus eras maxima.
præcinuisti euertendum Stygij regis imperium;
penè arma sumpsisti, cum acuisti stylum.
inter comminuta Deorum simulacra
velut in campi versatus es puluere.
oppugnasti maximè cœli militiam,
vt fas esset potiri cœlo.
extorsisti Orioni gladium, exarmasti fidera;
rem ratus es indignam, in terra vereri,
quæ in cœlo calcanda;
noluisti hominum mentes errare cum Sole.
Lunæ item sustulisti cultum,
ne mens quoque contraheret maculam.
Quin etiam reis mortalibus dicis diem,
dum caliginosam vltimam dicis noctem:
nunquam clarius se fundit lumen oraculi,
quàm inter offusas tenebras Mundo.

ILDA

Digitized by Google

# OLDA

## Prophetis

Synop. *Cum Helchias Pontifex inuenisset in templo librum legis, ac multi ex eius præscripto non viuerẽt, missus est à Iosia Rege ad Oldam prophetidem, quæ vaticinata est pœnas in posteros dilatas.* 2. Paral. 34

## ENCOMION 119.

Nihil in te muliebre fuit, aut molle,
quæ peruicaces animos voce fregisti.
tametsi solata es insignem pietate Regem;
integrum ei præcinuisti regnum,
cum audisti scidisse purpuram.
distulisti in posteros damna:
quòd ille velox fuisset ad luctum,
incessit pede pœna claudo.
sed quanta tu in existimatione fuisti,
quam consuluit antistes ipse sacrorum!
nempè is, qui solitus suo consulere in pectore
logèum gemmis intextum.
tu quoque fecisti oraculis pretium tuis,
quæ, etsi fœmina, gemmarum abieceras cultum.
scilicet indutus ille textili Mundo
te veritus est muliebri carentem mundo.
non latuisti Sibyllæ more sub antris,
sed versata es in vrbium luce,
quæ clara fundebas oracula.
tàm illustrem si nacta esset prophetidem Græcia,
obscuram damnasset Pythiam,
quia responsa reddebat ambigua:
mirum, quòd incalescens à Phœbo, clara non fuit;
non accendit vaticinijs lumen,
etiam si sederet in tripode.

VRIAS

Digitized by Google

# VRIAS

Propheta.

Syuop. *Fuit hic ex vrbe Cariathiarim, hoc est ciuitate syluarum. cum de imminenti Hierosolymæ excidio vaticinatus esset, à Ioachimo Rege extractus est ab Aegypto, quò se abdiderat, & impiè necatus.*

Ierem. 26.

## ENCOMION 120.

Sortitus es patriam nascens
ciuitatem syluarum;
sed inuenisti in vrbe Solyme,
qui syluestres immanitate vinceret belluas,
impium Regem,
sæuiorem etiam rege ferarum leone.
abdideras te in Aegyptum,
vt ferinos eluderes morsus.
non ibi ausus est tibi oblatrare Anubis;
tutior fuisti inter barbaros,
quàm inter tuos;
alterius Vriæ visus es similis,
quia & ipse iniustè interfectus à Rege;
sed qui eius sanguine infecit purpuram,
eluit lacrymis criminis labem;
at qui te necauit, supplicium seruitio luit;
non leues pependit paricidij pœnas,
qui graue pependit Babyloni tributum.
tui fulmen oraculi
extimuerunt vel aquilæ Regum.
horribilius expauit Solyme
tuis auditis minis,
quàm hostilis tubæ clangore;
non tibi nomen Vriæ fuit fatale, qui cecidisti;
sed ei, qui te cæcidit.

COL-

Digitized by Google

# COLLATIO EXTERORVM.

## QVI Á BABYLONICÆ SERVITVTIS tempore vſque ad Machabæos fuere Prophetis, &c. Synchroni.



Egrè calamus excurrit ad eorum temporum calamitates, quibus Hebræi iactati ſunt in vrbis vaſtitate, ac Babylonica ſeruitute. qui mœror, qui ſqualor! occurrat verò animis illa inclyta olim natio, ſeptuaginta ipſos annos extorris à patria, deſtituta præſidio Numinis, ac tutela Cœlitũ, apud ripam fluminis, tanquam è naufragio ad littus eiecta; ſuſpenſis lyris, ac citharis ad amaras ſalices, amariſſimis lacrymis obruta, hoſtem exoſa, non modò vexantem, ſed ſolantem. quem certè non commoueant tot eius gentis exitia, tanta clades! ille tot ciuium miſerandus interitus, illud Hieroſolymitanæ militiæ decus tot Regum, ac Ducum victorijs acquiſitum, barbarorum poſtea obtritum equitatu; filiorum cruore materni reſperſi oculi, ſtrues cadauerum obiecta laniatibus auium, ac ferarum, & quod indigniſſimum eſt, delubrum auguſtiſſimum ſacris inſtrumentis ſpoliatum, direptum, euerſum, ara deiecta, ſacra conculcata. ita plerumquè ſpreti Numinis præmonitus excandeſcunt; ſic humana dat pœnas audacia, vbi ſe diuinitati cõtumacem præſtat. ſed vt agam placidius, quàm atrocius, ad exempla præclara virtutum accedam:

Digitized by Google

cedam: habet hoc virtus, vt attrita rebus aduersis explendescat magis, ac niteat, premi se, non opprimi sinat. admirationem certè excitat in tantis ærumnarum tenebris lux tantæ pietatis, quæ in Ezechiele in primis, ac Daniele Vatibus, in Susanna matrona, in tribus adolescentibus in illa seruitutis tetra caligine positis enituit, præter nonnullos, qui in vrbis ruinis semiuiui remanserunt: num impedimento fuit tanta tempestas, ac turbo, quin sapientissimè omnium philosopharentur? Inciderunt in hæc tempora ex exteris septem illi Græciæ Sapientes, alijq; multi doctrina præstantes, qui tamen in religione, quæ veræ sapientiæ parēs est, stultè hallucinati sunt; aut si quid de virtute benè senserunt, hauserunt à nostris: siquidem Solon præsertim Aegyptū per id tempus adijt, quo Ieremias ibi exulabat; itaque multa ab eo discere, ac tamquam è fonte deducere potuit; vt si quid in Solonis legibus, quas condidit honestū, ac laudabile visum sit, id in nostros redundare debeat. Quæsitum est hoc tempore inter Sapientes ipsos de Sapiētiæ principatu, nec tamen verus inuentus est Princeps: nā cum à piscatoribus in Milesia regione verriculū traheretur, extracta est aurea Delphica mensa cum tripode aureo; placuit igitur Apollinem Delphicum consuli, ac scisciari, cuinam adiudicari mensa deberet. respōsum est à Pythia, illi dandam, qui sapientia ceteros præstaret; tum Thaleti mensam detulerunt; is eam Bianti cessit, Bias Pittaco, hic protinùs alij, ac deinceps per omnium septem Sapientum orbem ad extremum Solonem peruenit; qui tamē titulum, ac præmium amplissimum sapientiæ ad ipsum Apollinem transtulit. hæc tùm ab ijs acta, neque per tot ambages veræ sapientiæ fontem, aut inuenerunt, aut agnouerunt: quippe ille non nisi per sanctissimorū Vatum ora manabat. ab his igitur exordiamur, vt rectè philosophari discamus.

*Euseb.*

Septem Sapiētes

## *IEREMIAE PROPHETAE Synchroni.*

IEremias Vates, quanquam iam inde à Iosiæ Regis temporibus vaticinari cœpit, nec Babylone, sed in Aegypto diem

diem obijt, tamen hoc loco ponitur, quòd adhuc viueret, cum Iudæi adducti sunt Babylonem, ad quos etiam literas misit. hic à vitæ labe purissimus, etiam à communi expiatus antequam natus, ab aduersarijs in cœnosum lacum iectus est, vbi aliquandiu latuit, quòd inquinatum sceleribus populum liberè arguisset. cum exularet in Aegypto, quæ regio omniũ superstitionũ receptaculum fuit, cœlestis ibi philosophiæ incunabula posuit, ac secretiore doctrina hierophantas imbuit; cuius fama excitati Græcorũ sapientes peregrinationes in Aegyptum susceperunt, atque indè sapientiæ fontẽ ad se deriuarunt, quanquam non ita liquidus fluxit posteaquã quasi extra munimenta se euoluit in Græciam, non suas duntaxat trahens vndas. ac Solon in primis tunc cum Aegyptum adijt, vbi Ieremias exulabat, eum conuenisse putatur, vti dictum est, & multa audijsse de moribus, deq; vero philosophandi genere, vt mirum nõ sit, quòd quædam Solonis dicta laudẽtur, vt cùm Cræsi forunis Telli pauperis coloni, sed iusti prædiolum prætulit. Thales quoque, si sub idem tempus eam regionem peragrauit, percipere potuit multa, quæ sapienter ab ipso prolata circumferuntur, vt cum interrogatus, quid esset verustissimum? Deus, inquit, propterea quòd nunquam esse cœperit. quid aspectu pulcherrimum? Mundus, quòd opus architecti, & conditoris Dei sit. cumq; ab ipso quæsitum esset, num lateret Deum quisquam iniustè operans? respondit, immo verò ne cogitans quidem; quæ videtur ex Hebræorum Vatum cortina accepisse. sed nimirũ noster hic Vates sapientiam diuinitùs hausérat; qui cum obtendisset infantiam, vbi afflatus Numine eloqui cœpit, pondere, ac vi verborum omnia repagula impietatis effregit. Ioachimum ipsum regem vaticinij minis exagitauit. corripuit maximè Sedechiæ regis perfidiã, fastumq; compressit, denuncians Babylonis regis aduẽtum; quamobrem eius iussu in obscurum, ac tenebricosum detrusus est carcerem, sed idoneas Sedechias luit pœnas. spoliatus videlicet regno; tum effossi sunt ei oculi, catenis oneratus est, deductus Babylonem, inclusus in canea, nihilo felicior captiuis ceteris, nisi quòd propriam ærumnam, & hostis vultũ,

Solon.

Thales.



Digitized by Google

vt erat obtæcatus, videre non potuit. Sub idem verò tempus & Ieremias Sedechiam regem verbis, & Tarquinius Priscus Romanorum rex oppugnabat Hetruscos armis; sed nobilior planè illa nostri Vatis fuit de Rege victoria. cum autem Ieremias in carcerē coniectus est, Tarquinius Circenses instituebat ludos, vbi è carceribus effusæ aurigarum quadrigæ excurrebant ad metam, sed clauso potius Ieremiæ palma delata est. Obijt tandē exul in Aegypto vir sanctissimus suorum manu impiè appetitus lapidibus, qui scilicet minatus ijs erat ob crimina vrbis excidium in acervum lapidum redigendæ. post mortem autem nō modò viuere visus est, sed armare suos in impiorum cædem: obtulit enim se per visum multò post vnà cum Onia hierarcha tuda Machabęo Duci fortissimo, gladiumq; porrexit ad spectem aureum, ad vim autem quolibet chalybe, & Vulcanijs, vt dicitur, armis validiorem. ferunt ex eius tumulo pulverem accipi solitum, quo aspidum curabantur morsus, prodigio certè satis idoneo, quippè ille surdis licet auribus populū obstrictarum quodammodo sacris vaticinijs excantauerat, & venena sustulerat impietatis, & reges in se crudelitatis virus euomentes constantia superarat. Non est autem omittendum, quod ad institutam operis rationem pertinet, Ieremiam eo ferè tempore in arenosum locū fuisse demissum, vt ibi situ, sudore, ac macie contabesceret, quò in Olympico pulvere Cleon Epidaurius vicit. nemo tamen est, quin multò felicius, atque præclarius eum nostro Vate actū dicat, quia hic impurum lacum in liquidissimum gloriæ fontem vertit. Neque illud prætereundum est, sub idem quoque tempus, quo Ieremias Sedechiæ regi constanter, ac liberè restitit, seq; vaticinando opposuit, Pittacum Mitylenensem cum Phrynone Athenien sium Duce certamen inijsse, quem reti, quod clypeo tegebat, per astum implicuit, ac deiecit. at hoc potius fuit Vati propositum, vt cùm populum, tùm ipsum regem ex hostium laqueis expediret, nisi impedimento esset culpa. Fuit autē Pittacus vnus ex sapientibus septem, cuius illud in primis commemoratur. Prouidendum ne casus veniat, si forte venerit, æquo animo tolerandū: quod videlicet à nostro Vate non

Tarquinius Priscus.

2. Machab.

Epiph.

Dionys. hal. Cleon Olympionices.

Pittacus. Euseb.

non tàm iactanter verbis est, quàm cõstanter factis expressum. eundem Pittacum ferunt in Fortunæ fano scalarum gradus constituisse, vt eius significaret ingenium, cuius opera multi mortalium ad fastigium dignitatis, ac felicitatis ascendant, multi descendant: at verò Ieremias non Fortunæ, quæ nulla est, imaginem Sedechiæ Regi proposuit, sed infinitam Dei vim, potestatemq; qua ipsum sibi non obtemperantem mox è solio deiectum ferarum more in Babylonicam compulit caueam. *Laertius.*

# BARVCO SCRIBAE, & Prophetæ: Synchroni.

BArucus Ieremiæ Vatis anagnostes, & ipse Vates admirabili constantia fuit; neque enim dubitauit vaticinium palàm proferre, ac legere quamuis minarum plenum, legatione perfunctus sanè difficili; quippe Ioachimus rex ira æstuans eum libellum non modò scalpello cõscindi, sed in ignem proijci iussit; ipsum verò præconem comprehendi, qui tamen diuinitùs ereptus est. Arion, vt quidam putant, hoc ferè tempore canebat, qui & ipse periculo subtractus dicitur, non solùm citharœdus insignis, sed tragici quoque carminis scriptor. at Ieremias lugubri carmine, ac tragico veluti syrmate obductus excidium canebat patriæ. incurrit Arion in sociorum insidias, at Ieremias, & vnà Barucus eius alumnus in Regum vim, furoremq; qui & imperij maiestate, & armatorum manu muniti sunt, quorum immanitas vitari sine Numinis tutela non potuit. Quanta verò vis eius oraculi, quod Barucus cecinit, fuerit, vel ex eo intelligi potest, quòd cum apud Iechoniam, ac ceteros, qui captiui Babylone tenebãtur, illud perlegeret, tantos excitauit animorum motus, tantam vim lacrymarũ expressit, quãtam nullus artificiosus orator potuisset exprimere. oblata statim est grandis pecunia in vsum delubri, atq; sacrorũ, quibus è cœlo exposcerẽt pacẽ. *Ieremi. 36.* Arion



Digitized by Google

## SVSANNAE MATRONAE Synchroni.

SVsanna lectissima fœmina Sedechia regnante cum Babylone captiua teneretur, liberam tamen habuit pudicitiam, matronalem non dedecoranit seruitio stolam. inter incestos senes castimonia nō cōsenuit; sed viguit vt cū maximè sletit ante tribunal inuicta, quia non rea. infamiæ nube inobscurata, tamen emersit conscia sinceritatis, spē salutis non ancipiti argumento, sed certo petens ex sua in Deum fiducia; nec iacta in vanū vota; siquidem nihil in ea opprimenda senum auctoritas, canities, supercilia valuerunt. Accepit ea, qua hæc acta sunt, Olympiade Thebanus Cleonides in stadio coronā, sed Susanna maiore cum plausu, quia victrix cùm impudentiæ, tùm vafritiæ. ab adolescēte Daniele detecta senum fraus. est nempe is vetuit hanc esse prædam, qui & leones vetuit ipsum prædari. cum verò procos de vario arborum genere interrogauit, sub quibus res acta diceretur, ostendit non exaruisse pudicitiā, eamque frondium vmbraculo non inobscuratam fuisse, sed tectam

*Dionys.* Cleonides Olymp.

## ANANIAE, AZARIAE, Misaeli Synchroni.

TRibus pueris, quos propter virilē animi virtutem potius Triumuiros dicas, Babylonicæ seruitutis vincula non modò non nocuerunt, sed illa ipsa, quibus obstricti cōiecti sūt in flammā, soluta cesserunt in decus. hoc enim vnum egit flamma, quòd vibranti lingua, sed innoxia ostēdit inter captiuos nō esse censendos, quos vna religio colligarat. cum autem Regis statuæ in immanem altitudinē erectæ proni accidere noluerunt, altiores ipsi fuere ingenti colosso. itaque, & ardentem ira tyrannum, & ipsum ignē eius iussu sæpius accensum superarunt. Maiorem certè hi pro-

Digitized by Google

promeruerunt laudē, quāmis, qui ea Olympiade, qua hæc gesta sunt, nomen dedit Anticrates Epidaurius, cum cursor in stadio vicit: nam vt hi quoque veluti religionis Olympionicæ libero pede excurrere possent, ipsis flamma, cū cetera reliquisset intacta, solum compedes soluit; & qui contempserant in profanæ statuæ dedicatione musicorum instrumentorum sonum, ingressi pyram suauissimam cecinerunt odam: non sunt ausæ interim quæ vibrabant in igne linguæ interstrepere canētibus, inter tripudia alienam symphoniam repudiarūt, inter pœnas musici ipsi esse cœperunt: dulcius fuit melos, quod veluti assa voce cantatum ab ipsis est, dum igne nequeunt assari. circumuolitando lusit flamma, non læsit. diceres inediam illam, cum ab epulis regijs abstinuerunt, magisterium fuisse flammæ, ne ipsos, regium genus, voraret. quid autem horum certamine aut auspicatius, aut felicius esse potuit? cui ipso hoste spectante, ac stupente, adesse visus est. propositis præmijs agonotheta Deus, idemq; aliptes. Anticrates Olymp.

## DANIELI PROPHETAE *Synchroni.*

DAnielis virtus iam inde ab adolescentia se prodidit, cum nobilem matronam Susannam procacium senum expedijt laqueis. deinde cum alijs luctatus est monstris. Draconem, qui diuinis honoribus colebatur, nō ferro, sed medicatā interfecit offa. idem lusit inter leones; apparatum habuit diuinius epulum in cauea. præter hæc visis admiratione dignissimis nobilitatus est. inter ænigmata, & gryphos, & varias futurarum rerum ambages ita versatus est, vt imperiorum fata, atque regnorum mente præciperet; immo verò Dei ad nos aduentum certis temporibus definiret, nocturna quoque visa, & inusitata spectra, quæ se Regi obiecerant, in solutā euoluit. quis autem eorum sapientum, qui tunc maximè in Græcia florebant, aut ingētis statuæ, aut fatalis arboris casum de Regis exitio ausus esset interpretari? non verius est periculum capitis, dum

luteos

luteos: sectus pedes ad idem significandum ac commodè ipsum verò Regem, quis inter turpes belluas amandasset, exutum purpura, hispidis horrentem setis, commutantem regias dapes cum fœno brutorum, auream catenam cum sorpit vinculis, aulicos, ac proceres cum agrestibus feris, denique augustale cum lustris? hoc tantùm de imperatoris insignibus reliquum fecit, quòd aquilæ more, ob desuetudinem videlicet vrbani cultus, curui excrescerent vngues: quis, inquam, ex Græcis Philosophis (vt omittam diuinaculos, & coniectores) non dico hæc obscuriora interpretari scisset, cum in nocte versarentur, sed aliquid malè ominari de Rege etiam suspicando esset ausus? quis non metuisset, ne dum ipsum belluam dicit, in se primùm experiretur ferum? Quid cum Baldassari item regi inscriptam, diuinatis parieti sententiam mortis, atque exitij non minus constanter, quàm verè declarauit? atqui tãtum abest, vt aliquid subierit ob harum rerum vaticinationes damni, vt potius ab altero constitutus sit regni præfectus, ac princeps, ab hoc verò donatus sit sapientis insignibus, hoc est aureo torque, & veste purpurea. Celebrabatur Danielis tempore inter ceteros Sapientes in primis Chilo Spartanus, Cleobulus Rhodius, & Bias Pritaneus. & Chilonis quidem (quanquam & alijs tribui solet) præsertim illa vox memoratur. Nihil nimis; quod tamen ipse nullo modo præstitit; audito enim filij nuncio, quòd in Olympijs vicisset, nimio gaudio expirauit: at verò Daniel cum tot à Regibus, atq; tàm insignia sapientiæ, ac virtutis ornamenta accepisset, nec de se sensit elatè, nec lætitia gestijt inaniter. Iam Cleobulus cum Aegyptios adierit, qui à nostris, vti dictum est, veram philosophandi rationem acceperant, nõ mirum quòd modestè satis illud pronunciarit. A sapiente, non amicos modò, sed aduersarios beneficijs esse afficiendos. denique Bias cum patria ab hostibus capta nihil in fuga rei domesticæ secum asportaret, iactauit tamen omnia secum extulisse bona. at non intellexit, etiam mala, superstitionem videlicet, & animi factum. In Daniele quidem ea vox poterat esse verior, qui cum è patria factus esset exoris, tulit secum non modò ingenium, & prudentiam, sed

Chilo. Cleobulus. Bias.

etiam

eriam pietatem, & religionem. Et quoniam longissimo Vates hic persunctus est æuo, multos alios habuit, præter septem, ex ijs, qui doctrinæ laudem apud exteros sunt consecuti, synchronos, atque suppares, quibus omnibus ipse, quia diuinitus instructus & eruditus, facilè sapientiæ palmam eripuit. Inter hos Anaximander fuit Thaletis sodalis, qui primus terræ, maris q; ambitus descripsit, geographicam tabulam edidit, cœlestia docuit signa, sphæram construxit, & gnomonem inuenit. At verò Daniel ipsos orbis terræ principatus, fata regnorum, imperiorum euenta quasi describens, arcanis quibusdam rerum significationibus proponebat; definitas, ac certas temporum rationes præscribebat, non inani matheseos labore distentus, sed ijs intentus, quæ ad communem mortalium libertatem, salutem q; spectarent. atque illi quidem in multis erraruit; nam Anaximander parum sapienter, ac piè infinitatem quandam rerū posuit, ex qua omnia orirentur, nec perennitatem diuini fontis agnouit; Anaximenes autem eius auditor longè item à Danielis mente philosophatus est, quippe principium rerum aerem opinatus quem genere infinitum dixit, ac vano diuinitatis titulo ornauit; Solem, Lunam, ac stellas à terra ortum duxisse somniauit, nec mirum cum ipse nouo aliud saperet, nisi quod è terra concretum esset. Neque porrò in contentionem laudis cum Daniele venient, aut Anacharsis Scytha, qui leges apud barbaros tulit; aut Xenophanes Colophonius Archelai auditor, qui iambos, & elegos scripsit, aut Egamnon Cyrenæus, qui theogoniam, aut Alcæus Mitylenæus insignis lyrâ; aut Sappho poetria, quæ puros Castaliæ fontes inquinauit; neque Simonides, qui musicen nouis chordis auxit, & membrisi artem inuenit; quo ferè tempore Daniel diuina præcinebat oracula, & somnia Regum, quæ ipsis è mente excideranr, in memoriā reuocabat. Epimenides quoque Cretensis ea ætate celebratus est, de quo meminit Plato, mira prorsus de eius somno narrāt; ipsum septē & quinquaginta ferè annos in spelunca quadā alto sopore depressum, ac pēnè sepultū iacuisse, cum demum excitatum: cum autē in apertū prodisset, ad-

Anaximander.

Anaximenes.

Anacharsis.

Xenophanes.

Egamnō

Alcæus.

Sappho.

Simonides.

Epimenides.

Digitized by Google

admiratum nouam rerũ faciẽ, & mutata omnia, ſtupuiſſe attonito ſimilem; cumq; domum diuertiſſet, à fratre natu maiore, qui iam ſenuerat, vix agnitum: cuius rei fama cum Græciam eſſet peruagata, in magna Epimenides apud omnes veneratione fuit, & quaſi Numinis loco habitus: ſed is rumor non ſine fraudis ſuſpicione percrebuit; impoſitum fortaſſe vulgo eſt: at ea, quæ de ſomniorum interpretatione Daniel edidit, omnem admirationem ſuperãt; neque enim aut vana coniectura nitebantur, aut tanquam laruatæ mentis fuere laudibria. quid autem magis inauditum, quàm diuinare, ac firmiter decernere de volucri alterius ſomnio, quod ab ipſius mente, qui ſomniauit, euolarit. non effigies illæ rerum, aut inanes, aut abiectæ fuerunt, ſed quæ conuerſiones, motuſq; regnorum, euenta imperiorum, viciſſitudines, orbitas, caſus humanarum celſitudinum cortinebant. ita factum eſt, vt ipſis barbaris Regibus Daniel admirationi eſſet, atque ab ijs ea exciperet honoris inſignia, quæ nemo exterorum, qui ſapiẽtes habebantur; quid enim magnificentius, atque præſtantius dici poteſt, quàm alienigenam, immò captiuum regia circumdari purpura, monili ornari aureo, ac tertium in regno conſtitui? multi memorantur Olympionicæ, qui Danielis ætate vixerunt, in primis Chryſomaxus Lacon aureo fulgore nominis clarus, & factis illuſtris; tum Spartanus Eurycles, Claucias ſiue Glycon Crotoniates, itẽq; Eratoſtenes, Agis Elæus, Hippoſtratus, Ladromus Lacedæmonius, Diogenetus; Archilochus quoq; Corcyræus, qui curſu; Praxodomas, qui pugillatu vicit, aliiq; quos Olympicus ipſe puluis obliuione tumulauit. Obiit autem Daniel, vt ſapientes nonnulli ex annorum rationibus colligũt, ſecũdo eius Olympiadis, qua victor in ſtadio coronã meruit Tarentinus Achocas, anno: ſed aliud eſt oleaſtro coronari, qui mox exareſcat, aliud aureo decorari torque, & inter regni purpuratos eſſe præcipuũ, quod Daniel conſecutus eſt viuens; à morte verò muneratorem & agonothetam habuit Deum. Denique neque illud omittam, Danielis tempore Iſthmia, & Pythia poſt Melicertam primùm acta. Gymnicus item agon, quem Panathençon vocabant, exhibitus eſt Athenis: fiebant autẽ Panathença in

*Dionyſ.* Olympionicæ. Chryſomaxus. Eurycles Glauciaſ. Eratoſthenes. Agis. Hippoſtratus. Ladromus. Diogenetus. Archilochus. Praxodamas. Achocas

Digitized by Google

in Minerue honorem, quam præsidem sapiẽtiæ putabant, cuius peplum ferebant in pompa cum Prryhica saltatione, & athletarum lucta. sed nimirum ludus fuit quicquid in eo genere sapientiæ iactauit Græcia. Nemeęus quoque agon primùm ab Argiuis institutus, posteum, qui sub Archemoro datus; tametsi alij à Molorcho, qui Herculem suscepit hospitio, cuius filius à leone interemptus fuerat, instituum dicant, cum Hercules eius vltus est necem: atqui Danielem longè celebriorem fecit fama constans, & vera; admirabilius enim fuit inter leones tanquam inter agnos ludentem cubare, quàm eos aut iaculo confodere, aut claua percutere.

Panathenæa.

Agon Nemeęus.

## *HABACVCO PROPHETAE Synchroni.*

HAbacucus Vates, & Danielis magni dapifer Babylonem adijt, miro modo peregrinatus; nam cum iter ignoraret, nactus est ducem Cœlitum vnum; ac ne vlla esset mora, suspensus capillo verticis ilicet tranauit aerem; tum in caueam immissus, vbi Daniel inter leones sedebat intrepidus, nouo attonitus spectaculo, quam secum aduexerat, porrexit dapem; mox repente in pristinam abreptus est sedem. nobilitatus autem est vaticinijs magnis, atque præclaris, in primis eo, quo futurum Liberatoris nostri triumphum de morte, ac de Erebi principe partũ descripsit magnificentissimè, in quo ambo illi hostes currum captiuorum more præirent: quæ profecto victoria longè dignior calamo fuit, quàm Eleensis Olympionicæ Apellæi, qui tunc stadium currendi confecit, cum hic viuendi. Porro cùm Habacuci, tùm Michęæ Vatum ossa diù latitarũt, quæ tandẽ cœlesti monitu Eutherinpolis præsul effodit, ac protulit Theodosio imperante, eaq; honestissimo loco cõposuit: & sanè par erat, hunc Vatem maximè, qui triumphali carmine prosecutus fuerat victorem Deum, non carere funeris pompa.

Apellæus Olymp.

*Baron.*



Digitized by Google

# *EZECHIELI PROPHETAE Synhroni.*

EZechielis mens Babylonicæ seruitutis vinculis ita adstringi non potuit, quin soluta se altiùs efferret. ei admirabiles omninò rerum formæ obiectæ sūt, in primis verò currus triumphalis, quo inuehebatur Deus. insignis planè currus ille, atque spectabilis fuit, siue compage rotarum, quæ licet essent inter se complexæ, facilem tamen habebant cursum, & expeditum; siue animantium, à quibus trahebatur, aspectu quadriformi; siue aureo fulgore chrysoliti; siue oculis intermicantibus, quibus erat aptè distinctus. maris item species apparebat, tanta videlicet mysteriorum altitudine, vt mens humana quātumuis Delio natatore peritior obrueretur. Inter hæc Tarquinius Priscus Romanorum rex de hostibus victor triumphum egit, quadrigis inuectus primus, quatuor videlicet ad maiestatem, & magnificentiam vsus est equis, & aureo curru: sed quantò vel nobilior, vel admirabilior illæ sub hoc tempus visæ à Vate quadrigæ? quas non trahere æmiterentur equi, sed leo inter belluas generosissimus, aquila inter aues princeps, taurus armenti decus, robore præstans, denique homo, qui inter ceteras animantes dominatur, vel potius ipsi Cœlites ea induti specie; adde, quod omnium triumphorum gloriam planè superat, aurigam Deum. Post hæc Tarquinius aduersus Sabinos castra mouet, sed Marte cōmuni; quo tempore Ezechiel afflatus numine, quamuis inter captiuos degeret, mente tamen Hierosolymam petit, templum circumspectat, superstitionibus, quæ irrepserant, bellum indicit, diuinam intentat iram. Floruit hoc item ævo poesis in primis tragica; nam tum primùm certantibus in hoc genere τραγος, ideſt hircus propositum est præmium, vnde Tragœdiæ nomen multi deductum putant: at verò Ezechiel spectaculum dedit suæ genti maximè miserabile, atque tragicum: cum videlicet vrbis excidium repræsentauit in latere, ordinauit aduersus eam obsidionem, munitiones extruxit, comportauit aggeres, arietes in gyro dispo-

Tarquinius Priscus.

Digitized by Google

disposuit,& metatus est castra:tum aduersus hanc feralem imaginem extendere iussus est brachium, & minas intẽtare diuinas; vt nullus primarum partium histrio,vel ad terrorem incutiendum, vel ad lacrymas eliciendas, ràm accommodatè rem ante oculos constituisse videatur. Inter hæc autemtanti ponderis vaticinia, apud exteros Stesichorus præclarissimus habebatur poeta, suauissimè lyra canebat; sed græcanicæ illæ fuere nugæ: ferunt in eius infantis ore luscíniam consedisse canoram, mirabili auspicio, ac significatione futuræ suauitatis in carmine:at contra Ezechiel hoc maximè dolebat, audiri se à suis tãquam lyristen aliquem, cum illi aurium blandimenta, & verba perinde ac temperata melicis modis sequerentur, & leui mulceri ore, quàm acri perstringi oraculo mallent: itaque dum tubam potius,quàm lyram tractare aggreditur,impietatem detestatus, super lapides tractus, effracto capite impiè necatus est; quanquam eos lapides ad substructionem æterni monumenti immortalitas excepit. erat hic annus, quo Vates sanctissimus cæsus est, eius Olympiadis, in qua Spartanus Eurycles egregius cursor vicit.atqui admirabilior fuit Ezechiel, qui vitæ curriculum, etiam interpositis, obiectisq; lapidibus, strenuè, feliciter, ac sine offensione confecit.

Stesichorus.

## ZOROBABELI DVCI Synchroni.

Eccl.49. Zac.4.

ZOrobabel regium genus, auo Iechonia rege, regno ipse dignior ob virtutes,quibus præstitit, imperatorias censendus est, sed Ducis appellatione nobilior, siue quia dux,& auctor fuit exædificandi delubri, ac restituendæ religionis; siue quia reduxit in patriam, ac reuexit extorres diù suos. enimuerò cum significatum esset Cyro, statim ac Babylone potitus est, mirum Esaiæ Vatis oraculum, quo non vmbratili aliqua rerum imagine,sed aperto, expressoq; Cyri nomine ante annos ducentos, & amplius declarabatur futurus vindex Hebraicæ libertatis, attoni-



Digitized by Google

tus dicto, & redeundi facultatem dedit, & extruendi delubri. igitur excusso diutinæ seruitutis iugo, Zorobabelem Duce secuta tãdem ea natio patriam repetijt. Athenas sub id tempus Pisistratus per tyrannidem inuadit, & dũ hic liberos reducit ciues, ille libertatem adimit suis. Hippias item eius filius patriam vastat, ac spoliat; dum hic suam & mœnibus ornat, & templo. Porrò inter duorum hic Romanorum Regum tempora incidit, hoc est Serui Tullij, & Tarquinij cognomento Superbi, quorum alterum ipse superauit non virtute modò, sed genere, quippe non vt ille, verna natus ex serua, sed Salathiele genitus Iechoniæ regis filio, & hæres regni futurus, nisi illud barbari occupasset. ac Seruius quidem (vt alterius superbiæ tantisper silentium opponam) vbi ambitione, atque effusa largitione mercatus est regnum, tunc maximè visus est superstitioni seruire. duo enim Fortunæ fana extruxit, memor videlicet se ex seruo regem factum; at cum geminam fecit Fortunam, multiplicauit rotas, vt maiore ipse cum impetu rueret præceps. vtramq; sortitus est infelicem: quid enim homini miserius, & inauspicatius accidere potuit, quàm quòd nactus sit Tulliam filiam hoste ipso crudeliorem? prima hæc à parentis cæde Tarquinium sibi desponsum Regem salutauit. tum recipiens se domum incidit in cadauer patris inhumatum; restitit ilicet auriga pauidus, & consternatos equos inhibuit frænis, aciacentem parentem ostendit filiæ. quid tum illa? fœdum scelus, ac paricidio maius traditur, quod nomẽ loci dedit, vt Sceleratus diceretur vicus. quippe Tullia amens, agitantibus furijs, per patris corpus carpentum egisse fertur, partemq; sanguinis, ac cædis paternæ cruento vehiculo contaminata ipsa, respersaq; tulit ad penates suos, viriq; sui. Hoc igitur consecutus est Seruius ex duplici, quod excitauit, Fortunæ fano, vt dupliciter esset infelix, vel quòd ab aduersarijs crudeliter necatus, vel quòd à filia conculcatus, carpento in prælum verso. Interea Zorobabeli omnia prosperè fluere, dum & suos libertate donatos in patriam refert, & in augusti delubri substructionem incumbit, Regum etiam exterorum muneribus auctus, & familiaritate coniunctus. Post Seruium Tarquinius regnum

Pisistratus.

Hippias

Ser. Tullius.

Tarquinius Superbus.

*Sabel.*

Digitized by Google

regnum occupat, cui Superbi cognomentum facta indiderunt. congruebat nihilominus & appellatio crudelis, siquidem socerum sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum iacuisse dictitans; tum præcipuum quemque Patrum necauit. excogitauit item taurea vincula, fustes, latomias, carceres, compedes, catenas. sed tandem ob illatum à filio honestissimæ matronæ Lucretiæ stuprum, in tumultu interfectus est, Vrbe superbum potius ferente regem, quàm hæredem turpem: cum inter hæc à Zorobabele omnia non modò moderatè, ac prudenter, sed castè, pudenterq; administrarentur. Verum haud scio an aliquid celebrius apud exteros actum sit sub hoc Duce, ac Iesu pontifice, quàm Agon ille centenarius primò Romæ actus, & seculares ludi publicè dati; quo videlicet tempore Hebræis post diutinam seruitutem libertate donata, ac templi exædificandi potestate per Reges Persarum facta, tanquam aureum decurrere cœpit seculum. Sed ecce dum hæc de seculari celebritate Romæ acta, Zorobabele Ducem agente, conscribo, opportunè centenarius iam annus agitur nostræ familiæ. visum est autem Patribus consentaneum, & æquum, superstitione in religionem versa, hunc celebrari cum eo apparatu, quem & pietas in Ignatium parentem, & gratulatio de ipsius ordinis incremento suadet. nullo igitur modo prætermittendus, aut leuiter tantùm attingendus videtur hic annus, qui nobis instar æternitatis illuxit. Celebrauit hunc Roma (vt ceterarum vrbium gratulationes vbique terrarum factas omittam) suis penè connulla sedibus; tanta fuit lætitia, qua gestijt, tanta cõcursatio, quæ ad nostras ædes est facta. admirata est magnificentissimum delubri apparatum, & artificiosas lũminũ scenas, quibus additus splendor cùm ex procerũ, legatorumq; regiorũ cõuentu, tùm maximè ex Romana, sacraq; purpura, immò ex magni ipsius hierarchæ Vrbani præsentia. testata res est, & consignata in aureis, argenteisq; numismatis, quibus Barberinæ familiæ munificentia, beneficentiaq; declaratur; sed in nostris mentibus expressiùs, & solidiùs. egregiè planè in hoc nauauit operam eminentissimus Cardinalis Antonius dignus tanto patruo nepos; incredibile dictu est quantum ille studij, atque industriæ hoc maximè tempore con-

*Salian. Anno Mũdi 3551.*

Agon centenarius. *Anno sal. 1640.*

contulerit ad nos ornandos, eo auctore, duce, & quasi totius pompæ designatore gesta sunt omnia, nam de Francisco item eminentissimo Cardinali fratre quid dicam? cuius extant in nos merita & plurima, & maxima: ex augustis his fontibus tantum in nostros manauit boni, vt dum Roma honorificè nostro seculo fauet, ac tempori, conciliata sit nobis æternitas nominis. Libet igitur altiùs repetere huius instituti originem, habet enim eruditionem cum voluptate coniunctam; deinde dabitur pietati venia, si tantisper ad ea, quæ sunt nostri ordinis propria, digrediar. Iam inde à Valerio quodam deducta res dicitur: hic, cum liberi pestilentia laborarent, admonitus est ab oraculo, si malo succurrere, & pueros habere saluos vellet, vti eos continuato flumine Tyberis deuectos Tarétum portaret, ibiq; ex Ditis Patris, & Proserpinæ ara petitam aquã calidam bibendã ijs porrigeret: quo prædicto magnopere confusus pater, quòd & longa & periculosa nauigatio imperabatur, spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tyberis protinùs detulit, ac lyntre Ostiam petens, quà salutis aditus parabatur, nocte concubia ad Martium appulit campum, sitientibusq; ægris succurrere cupiens, cum ignis in nauigio nõ suppeteret, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum, & ab eo iussus egredi Tarentum (id nomen ei loco erat, quod ipse de vrbe à Tara Neptuni filio condita interpretabatur) cupidè arrepto calice, aquam flumine haustam eò, vnde fumus erat obortus, iam lætior pertulit; tum contractis leuibus, & quæ fors obtulit, nutrimentis, pertinaci spiritu flammã protulit, calefactamq; aquam pueris obtulit, qua hausta post quietem liberatos se morbo senserunt, patriq; indicarunt, visse se in somnis à nescio quo Deorum spongia corpora pertergi sua, & moneri, vt ad Ditis Patris, & Proserpinæ aram, à qua potio ipsis fuerat allata, fatuæ hostiæ immolarentur, lectisterniaq; & ludi nocturni fierent. igitur egesta humo animaduerterunt aram ijs Dijs inscriptam; ibi tum Valerius imperata egit, ludosq; continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo soluti erant, dedit. Eius postea exemplum Valerius Publicola cos. studio succurrendi ciuibus secutus, apud eandem aram publicè nuncupatis votis, cæsisq; atris bobus, Diti maribus, Proserpinæ fœminis, lectis-

*Val. Max. Aug. Polit. Alex. ab Alex. Onuphr. Censorin.*

Digitized by Google

ciſternijs, & ludis trinoctio factis, aræ terra, vt antea fuerat, obruit. Deinceps illud ſolemne, atque in more poſitũ fuit, inſtante ea celebritate tota Italia præcones miſſitabantur conuocatum ad agonem, qui neque ſpectatus à quoquam antea eſſet (quotus enim quiſque centenario ſupereſt anno?) nec poſtea ſpectandus foret: tum æſtatis tempore paucis, antequam ſpectacula ederentur, diebus, Quindecimuiri operã dabant ſacris faciundis in Capitolio, & Palatino templo; ac pro ſuggeſtu conſidentes piamina diuidebant, tædam videlicet, & alia quædam nutrimenta ignis ad luſtrationem, & expiationem, atque hæc ingenuis tantùm, neque enim ſeruis quoque fuit ad accipienda ius vllum, conueniebant autem præſertim in Dianæ templum in Auentino, ac triticum dabatur; tum initiorum peruigilia fiebant. vbi iam aduenerat feſtus dies, triduum, trinoctiumq; ſacris intenti in ripa maximè Tyberis agitabant: victimas interdiù Apollini, noctù Dianæ mactabant, quòd ambo ſint tanquam duces temporum, & ſeculum vertant; præterea Parcis, quòd ducãt vitæ ſtamen, ac ceteris Inferis Dijs, iam ſecunda noctis hora. Princeps ipſe ſacrorum tribus aris ad ripam fluminis extructis faciebat. conſtructa autem ſcena in theatri morem, lumina & ignes accendebantur. odæ ad hunc vſum compoſitæ concinebantur, ſpectacula dabantur, munera ſpargebantur. mane Capitolium aſcendebãt, ſacra, ludi q; ſcenici, maximè Circenſes edebantur. ſecundo verò die nobiles matronæ Capitolium adibant, ſupplicationes agebant, lectiſternia frequentabant, hymnos canebant. tertio denique die in templo Apollinis Palatini ter noueni pueri prætextati, totidemque virgines, patrimi omnes, matrimiq; carmina, & pæanas ſermone tum Græco, tum latino recitabant; quibus imperiũ & incolumitatem reipublicæ Dijs commendabant. hæc de illa ſecularis anni celebritate attigiſſe ſit ſatis. Quid ni igitur maiore nos iure Numini verò, ac Cœlitibus vota pro noſtro ordine perſolueremus, cuius centenarius iam annus ageretur? præſertim calamitoſis hiſce temporibus Chriſtianæ reipublicæ, quibus præter peſtilentiam, quæ nonnullis adhuc in locis graſſatur, omnia tubarum ſtrepitu, ac belli fragore circumtonant. certè agon ille ſecularis Romæ ic-

circò

circò est celebratus, vt communibus mederentur malis, atque à Numine pacem, ac tranquillitatem rerum exposcerẽt; siue infecto aere, vt Valerius narrat, siue in maximo belli discrimine, vt Plutarchus: nam in ipso pugnæ procinctu cum expectaretur bellum à Sabinis, & Latinis, Valerius Publicola cos. eam celebritatem cum supplicationibus instituit. itemq; altero seculo Valerius Coruinus, cum nunciatum esset legatos ab Antio concitare populos Latinos ad bellũ. quamobrem etiam à nobis secularis anni supplicatio opportunè indici debuit, cùm ad contagionem non modò aeris, sed prauæ doctrinæ, quæ multas regiones occupauit, corrigendam, tùm ad bella sedanda. non est hæc ostentatio, sed deprecatio; ac iure vtar ijs ipsis verbis, quæ de Publicola cum hoc instituit, Valerius vsurpauit: studio, inquã, succurrendi ciuibus. neque verò datur apud nos vllus superstitioni locus, vbi omnia occupat pietas, & religio: scimus profanis ethnicorum celebritatibus solitas opponi sacras. centesimus autem numerus maximè in arcanis est, vt ostendit Adamãtius; vnus videlicet, idemq; plenus, atque perfectus. addeeundem numerum appellari virgineum apud Eucherium; nam vt tricenarius nuptijs, sexagenarius viduis, ita centenarius vnus, atque purissimus virginitati dicatus est. consecretur igitur meritò à nobis hic annus castimoniæ, ac pudori, quod præcipuum est ornamẽtum nostræ familiæ. quid quòd idem numerus ex eiusdem Eucherij sententia, quia perfectissimus est, ad proposita Martyribus præmia, atque mercedem spectat? atqui hoc heroum genere fœcundum habuimus seculum. Itaque vt rem breui complectar, ex veteri ritu ijs reiectis, quæ ad nostra detorqueri non possunt, cuiusmodi sũt lectisternia, extispicia, ac similia, succedant iudicris seria, leuibus grauia. præcones constituantur, oratores scilicet sacri, nec Italiam tantùm aduocaturi, sed orbem terrarũ, qui testis est nostrorum, vt moderatè dicam, certè laborũ; atq; hi præcones ad celebritatẽ populos inuitent, quã neque viderint, neque visuri sint, ac proinde doceant cum virtute vti tempore, & eius volubilitate perspecta ad æternitatis stabilitatem aspirare; at pro piaminibus illis, quæ dabantur ad expiandum, tædis videlicet, & alijs ignis nutrimentis,

Digitized by Google

mentis, sint ardentes ad Deum preces, ac cetera incitamenta pietatis; pro tritici munere, quod dabatur, divinam demus dapem. accedant expiatoria dona à Romano Hierarcha collata. spectaculum verò dent omnium pulcherrimum, etiam Circensi maius, profligatæ hæreses, deiecta Deorum simulacra, vitiorum monstra perdomita. nec desint in seculari gratulatione accendi solita lumina toto trinoctio. & quod præcipuum est, pro nostri ordinis incremento, proq; incolumitate Christianæ reipublicæ indigitétur Apotropæi Cœlites, ac Soteres. denique celebret hunc annum etiam Sapientia spectaculis datis ad rem accommodatis. Atque hæc de centenario nostro anno habui, nactus occasionem secularis item anni, qui Romæ actus est, quo tempore Zorobabel, de quo scribebam, apud Hebræos agebat Ducē.

## IESV, siue IOSVAE PONTIFICI Synchroni.

Filius hic hierarcha Iosedechi fuit, vnàq; cum Zorobabele Duce nanauit operam restituendæ, amplificādeq; religioni. ambo se ad sanctissimi delubri fabricam, atque ornatum contulerunt. Extruebat sub id tempus, excitabatque Tarquinius Capitolinam eidem, quam anus in Sabino bello vouerat. ad id Tarpeia rupes delecta, præcelsus, ac salebrosus locus; sed magnis impensis asperitas castigata est, & mitigata. aperientibus fundamentum prodigium se obtulit humani capitis recenti sanie madentis, vnde inditum Capitolio nomen in ea vrbe, quæ caput ceterarum esset futura. instituta item sacra, & inauguratus Pontifex, qui inter triumphantium laureas operaretur. interim Iesus Hierosolymæ pontifex creatur, ac præficitur ei templo, quod longe Capitolio fuit augustius. dumq; sacra facit, eum induit amictum, qui arcanam Mundi totius referebat imaginem, vt videlicet rerum dominam religionem potius constaret esse, quàm Romam. oblata quidem species semel est Tarquiniæ Vati huius pontificis tamquam sordidati, ac rei, communi aduersa-

Capitolium.

Zachar. 3.

rio accusatorias criminationes agente, sed frustra; dein sanctimonio symmate exutus, ac ritè sacris indutus insignibus est præcessit autem Solymei delubri ædificatio Capitolinam ætatem, & amplius annos, vt tempore, ita dignitate. Cum huius aureæ pietatis gloria iungenda laus est eorum, qui cum inter captivos fuissent, oraculo iussi sunt aurum tribuere ad pontificiam coronam conflandam, ij scilicet qui compedes eius serãt ferreas: quamobrẽ & eos ego cohonestabimus.

*Zach.6.*

## ZACHARIAE PROPHETAE Synchronismi.

ZAcharias Vates illa ipsa aurei lychnuchi, quem grauiphicè describit in suis oraculis luce clarus inter seruitutis Babylonicæ tenebras fulsit, in eo scyphos effingit; vt captiuis spem pro mera propinet stilla, vt futuræ felicitatis det auspicium; sphærulam, vt orbem rerum breui in melius vertendum significet. mitto cetera prosequi arcana. Floruit hoc tempore Anacreon, ac nonnihil lituræ poeta vidit, et impurus, & sordidissimi carminis scriptor; etiam si columbæ eleuter fragrãs odoramẽtis. alij quoq; apud cæteros male scripserunt; nam & Hippachi carmina edidit, & Simonides, & Theognis; Xenophanes item philosophus, & poeta, ridiculum historiæ quoque conscribenda clari extiterunt Pherecydes Pythagoræ magister, quem confectus est Hellanicus, præterea suppares Zachariæ fuerunt Democritus, & Heraclitus, qui ita inter se humanarum rerum conditionem meditando partiti sunt, vt alter risu tanquam ineptias, ac meras nugas, alter fletu tanquam miserabile quoddam spectrum prosequeretur: ac Democritus quidem, vt sapientiam quasi fugientem apprehenderet, adijt Gymnosophistas, penetrauit Indiam, profectus est Athenas; nec tamen reperit qui veram potuit, hoc est eam, quæ apud Zachariam, & cæteros eius temporis Vates latebat. ambo autem cum Democritus, tum Heraclitus luce caruerunt; nam ille oculos vltro sibi eruit, vt disciplinas addisceret non minus cæcas,

Anacreõ
Simonides.
Theognis.
Xenophanes.
Pherecydes.
Democritus.
Heraclitus.

hic

hic verò ouerit, hoc est tenebricosus est dictus, quum de industria obscuritatem in docendo affectaret: at contra Zacharias inter sacri lychnuchi lumina cum ellychnijs septē tanquā inter lucidos septentriones positus, nō potuit non oculatissimus videri, atque clarissimus. His adde illos item suppares, Anaxagoram Clazomenium physicum, & Pythagoram, qui primus philosophi nomen inuenit, in multis simulé philosophatus: atque Anaxagoræ quidem illud laudari solet, quòd cum omnibus fortunis posthabitis, ipsaque domo relicta moneretur, vt patriam respiceret, ego verò, inquit, facio, digitum scilicet intendebat in cœlum, vnde tamē longè aberat animum: iam de Pythagora dicere longum esset, qui nomen illud consecutus est, quòd non minus verè, quàm Apollo Pythius proferre putaretur, vt propterea ipsius dicta starent auditores populi vice: sed dum humanos animos huc illuc; compellit, & in bestiarum etiām, atque pecudum corpora irrudit, pepulam, vt ita dicam, emisit vocem, & ad bruta abijt stultè. porrò eius ambagibus, & involucris obscurioribus oppositæ Zachariæ fuere oracula, noua quadam luce splendentia, nimirum in quibus Deo ad nos venienti nomen inditur Oriens. præter hos synchronus quoque fuit Abaris ille Hyperboreus, quem ferunt accepisse ab Apolline sanctarum virium sagittam, vt eam toto terrarum orbe gestans nulla prorsus re indigeret, difficultates superaret omnes; quanquā hæc vana præludia vitæ Græci suo more finxerunt, scripsisse autē dicitur oracula, quæ Scythica nuncupata sunt, itemque nuptias Hebri, atque Apollinis ad Hyperboreos aduectum: at verò Zacharias de Deo apud nos orientis accessu, quæ tanquam nuptiæ quædam cum humana natura fuerunt, & vera, & admiranda fudit oracula.

Zach. 4.

Pythagoras.

Abaris. Gre. Naz.

## AGGAEO PROPHETAE Synchronus.

AGgeus Vates cum templi substructionem finitimarum gentium malevolentia, atque inuidia interruptam videret, ac ciues cutam abiecisse cōdendi cū ipso perficiendi,

excitare, atque inflammare cœpit animos procerum in primis, ac diuitum, vrgere etiam stimulis, arguere, quòd interim ipsi laqueatas sibi domos exædificarent, de summi verò Imperatoris augustali non magnopere laborarent. Dum hanc Aggeus construendi delubri curam suscipit, Delphicum templum subitò excitata flamma depascitur; aurei tripodes, ac tot Regum donaria, opesq; immensæ, quinetiã Apollo ipse ignarus sui fati, qui præcipiebat alienа in cinerem abeunt, quod tunc opportunè factum puto, vt discerent mortales ex eius tantùm delubri adytis, atque cortina, quod Hierosolymæ vero Numini condebatur, petenda esse digna fide oracula. præluſit autem illud incendium Delphicum ceteris Deorum fanis, quæ postea à Christianæ religionis cultoribus incẽsa, & æquata sunt solo; nec aptiùs potuere locari tripodes, quàm inter cineres.

Delphicum templum.

*Euseb.*

## *MALACHIAE PROPHETAE Synchroni.*

MAlachiæ vaticinia inter oracula vltimum tenent locum; non auctoritatis habita ratione, sed temporis. meruit hic singulari pudore, atque pietate, vt eo nomine appellaretur, quo beatæ illæ mentes, ac cœli indigenæ, nempe Angelus dictus. fudit oracula omninò præclara, sed illud præclarissimum, quod est de admirando, summoq; sacrificio, quo, antiquatis iam veteribus, ipsum contineretur Numen; præcinuitq; quod cernimus, illud non intra Iudææ solùm fines coercendum fore, sed vbique terrarum, ac gentium, erutis passim infinitis delubris, atque aris, instituendum indigitamentis nouis, ac hierurgijs vmbra carentibus. Vaticinabatur hoc tempore Hellespontiaca Sibylla, sed celebratur maximè Cumana. accessit hæc ad Tarquinium, qui tunc Romæ regnabat, cognomento Superbum, ignota facie anus nouem proferens libros, rogauitq; an mercari eos vellet, diuina in his oracula contineri dictitans: verùm dum nimis amplum depoſcit pretiũ, habetur ipsa parui, & tanquam affecta ætate desipiens irridetur.

Sibylla Hellesp. Cumana

Digitized by Google

detur. tum illa tres in proximum ignem cõijcit libros; rursus Regem percunctatur, num sex reliquos eodem pretio velit emere. hic Tarquinio adhuc effusiùs ridẽte, tres alios pari ratione comburit. postremò dum ad reliquos emẽdos nihilo minore summa sedulò inuitat, demiratus ille aniculæ siue pertinaciam, siue constantiam, libros, qui supererãt, ex constituto mercatur. cumq; illa posthæc subitò se propripuisset è medio, credita est Sibyllarum vna, adhibitiq; Duumuiri, qui eos libros diligenter inspicerent, & custodirent; ac tanta ijs veneratio est exhibita, vt cum eorum vnũ M. Attilius temerè vulgasset, bubulo corio sit insutus iussu Regis, & in mare proiectus. asseruati sunt deinceps sub tẽplo Capitolini Iouis in arca lapidea. nec aliter adiri, inspiciq; consueuere, quàm aut cũ ciuitas seditione iactaretur, aut tetra aliqua belli clades incidisset, prodigiumue inexpiabile esset factum. permansere oracula illa ad Marsicum vsque bellum, quo tempore incenso Capitolio libri quoque conflagrarunt. ita monumentis ipsis, ac tabulis, quæ fata continebant, fatalis fuit ignis, partim Vatis consilio, partim casu incensis. nam quæ Sibyllina nunc circumferuntur oracula, ea ex variis Italiæ atque Asiæ ciuitatibus publica cura conquisita, & collecta fuisse dicuntur. at Malachiæ liber per tot secula superstes nec debuit quicquam flammæ, nec tempori, suorum tantùm oraculorum luce splendescens. *Sabell.*

# IVDITHAE EX ALIORVM sententia Synchroni.

FActa, quæ ad Iuditham pertinent, Manasse regnante accidisse dictum est, in quo locupletissimorum scriptorum sententiam sum secutus: quoniam autem non desunt sapientes viri, qui sub aliis Regibus, atque alio tempore ea gesta esse contendunt, non omittam exteros proferre synchronos, atque conferre. quidam ad Cambysem Persarum *Euseb.*

regem

regem hæc retulerunt. Samij tunc Dicęarchiam condiderunt, atque id nomen indiderunt vrbi, quod ea ciuitas iustissimè regeretur, atque optimis temperata esset institutis, & legibus; δίκη enim græcè iustitia est, ἀρχὴ principatus: at illa verè iustitia dicenda est, sine Astręa, quæ cum libratis alisè cœlo deuolasset, Iuditham in impium armauit hostem, ac præsidio Numinis texit. Pythagoras quoque cum in Italiam venit, vbi diffluentes luxu populos ad frugalem cultum reuocasse dicitur, ac pudicitiæ sanxisse leges: Iuditha verò nullis Pythagoręis præceptis imbuta tam insigni fuit castimonia, vt etiam apud inquinatissimum hostem labe caruerit: quanquam Pythagoræ hortatu mulieres auratas vestes, ornamentaq; lasciua exuisse, atque in Iunonis fano suspendisse dicuntur; at hæc muliebrem mundum induit potius, sed vt hostem perderet, qui angustissimum delubrum spoliatum venerat.

Pythagoras.

Tornicl.

Alij & ipsi doctrina præstantes hæc à Iuditha Xerxis tempore acta putant; liber igitur hic quoque nihil aduersus nos facit, nisi quid ad rem nostram facit. nempe si ita se res habet, apertè constat qua fiducia nitendum sit in bellis, & quo præsidio in rebus aduersis. nam quo tempore tanta Imperator immensis copijs instructus summo cum dedecore victus inijt fugam, vna mulier inermis, quia diuinitus munita, ab acerbissimo hoste victoriam retulit. quanto cum apparatu armorum aciem instruxerat Xerxes? septingenta millia militum de regno conscripserat; trecenta millia de auxilijs, vt mirum non sit quod prodidit fama, ab eius exercitu siccata fuisse flumina, Græciamq; omnem vix capere immensas copias potuisse. nauium quoque decies centena millia comparasse dicitur: itaque fiducia virium veluti naturæ ipsæ imperans, & montes in planum deducebat, & conuexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus sternebat, quædam ad nauigationis commodum per compendium ducebat; dissoluto autem ponte vi pelagi, non tyrannidis genere in naturam sæuiens trecenta Hellesponto iussit verbera infligi, compedesque demitti in imum vadum. quinetiam fama est & lictorem missum, qui stigmata Hellesponto inureret. satis constat eiusdem Xerxis impe-

Xerxes.

rio

do Colophos mari fuisse impactos, atq; incussos, barbaraq; voce increpitum, quòd ipsum tempestate læsissent; luerent proinde pœnas: vellet, nollet, conculcatūs pedibus viam daret. superaturus autem Hellespōtum duplici ponte, cum Soli, qui se repente sereno cœlo fabricaret, sacra fecisset, vti prodigium expiaret, aureum craterem in mare proiecit & cum eo aciacem, hoc est, Persicum ensem; dubium Solinè, an Hellesponto, quòd priſtini facti peniteret, proiectis armis. atque hic recidit eandem omnis ille conatus Xerxis, cuius introitus in Græciā quàm terribilis, tàm turpis, ac fœdus discessus, & fuga fuit. cum ferè inter hæc Iuditha vnius pedisequæ comitatu per confertos hostes Ducem ipsorum aggrederetur, & somno, vinoq; sepultum ipsius pugione confoderet. siccauit & hic hostis flumina, vti Xerxes, sed ne Hebræis supperetēt: voluit ab ijs sitiri aquā, quorum sitiebat sanguinem. Diagoras hoc tempore philosophus viuebat, si hoc nomine dignus est, qui non theologiam, modò sed theosebiam destruxit, ac penitùs abstulit, quamobrem ἄθεος dictus; sed ab Atheniensibus, quātus ignaris veri Numinis, supplicium est impietati decretum, talento proposito ei, qui ipsum interemisset. in hanc igitur tantā temporū labem, cū agebatur de omni diuinitate abolenda, Iuditha incidit, & opportunè incidit, quæ veri Dei cultum tota mente complexa, sanctissimum delubrum, aramq; ab hostili vastitate defenderet. Aristides hac eadē ætate vixit, qui cognominatus est Iustus: sed hic ostracismo eiectus est à suis, Iuditha contra virtus Hierosolymis gratissima fuit. quod autem ad res militares attinet, Themistocles tunc bellica laude florebat. Dux inuictus, qui bello maritimo Persas ad Salaminam fudit; at hic etiam extorris factus è patria, cum ad Xerxem confugisset, ab eo creatus est Dux aduersus suos; sed cum videret ingenti clade periculum imminere, hausto tauri sanguine, sibi mortem conciuit: dum ergo ille pugnare in patriam cogitur, Iuditha pugnæ discrimine patriā expedit. Achioris etiam, qui Iudithæ religionem secutus est, felicior exitus, quàm Themistoclis fuit: quanquam enim Achior, cum Hebræorum defenderet sacra, ab hoste deiectus è patria

Aristides.

Themistocles.

est,

est, atque ad illorum castra transmissus, vt vnà cum ipsis interiret, ibi tamen salutem nactus est, non exitium. Floruerunt item hoc tempore insignes illi tragœdiarum scriptores, Aeschylus, Sophocles, & Euripides, qui varios heroum casus descripserunt, & rerum humanarum vicissitudines, conuersionesq; in theatrum contulerunt: atqui nihil accommodatius ad id genus carminis tunc agebatur, cum videlicet superbissimus Dux, qui Hierosolymæ ruinis imminebat, tantoque cum fastu sibi triumphum deposcebat, subita, nec opinata cæde, matronæ manu, suo pugione confossus interijt. Pindarus quoque tũc Olympionicas epicinijs efferebat ad lyram, cum hæc apud nostros maiora suppeterent; sed nimirum grauioribus hæc erant monumentis commendanda, nempe diuinis. Iam si à Græcis abeamus ad Romanos, inueniemus hoc ferè tempore Popiliam Vestalem virginem incesti accusatam, per forum fuisse magno cum probro traductam, & in subterraneam specu viuam ex lege defossam; at contra Iudithæ honestissimæ matronæ quanta fuerit pudicitia, vel ex eo constat, quòd cum summo esset decore prædita, & in ipso ætatis flore à demortuo viro relicta, post insignem quoque triumphum nobilissimis digna thalamis, tamen cœlebs cœlestem quandam traduxit vitam, victrix voluptatis etiam concessæ, nempe ea, quæ, vt impudicum vinceret hostem, non alijs accessit armis ornata, quàm lilijs,

Aeschylus. Sophocles. Euripides. Pindarus. Popilia Vestalis.

Denique quoniam alij insignem hanc Iudithæ victoriam sub Artaxerxe Ocho contigisse putant, ex horum sententia de exteris pauca dicamus. Plato tunc philosophiæ principatum tenebat, cognomento diuinus, tametsi veræ diuinitatis vel ignarus, vel certè nõ cultor. sapientius Iuditha philosophabatur domi, quàm ille in Academia, quãquã eũ Labeo Antistius vir doctus in primis saltè inter Semideos numerandum cẽsuit, at non caruit labe dictum. quinetiam Magi vita functo tanquã Numini victimas immolarunt; at non ritè, ac piè litatum. quantum hic laborauit, vt sapientiam quasi erraticam comprehenderet? quam Iuditha in suis ædibus inuenit: nam primùm ille in Italiam est profectus, vt Pythagoreos audiret, vbi Philoni Croto-

Seuerius. Plato.

niatæ

niatæ librum de ea disciplina centum minis mercatus dicitur; sed dum in eam regionē demigrat, hoc stultè didicit, homines transmigrare in bruta. deinde Aegyptum adijt, oleumq; secum, vt narrat Plutarchus, mercaturæ gratia vexit, vt viatico præstò esset; sed oleū ipsum, operamq; perdidit, siquidem lectis Moseos libris, vnde lux oboriri potenat menti, in tenebris permansit. perstrictus est, credo, splēdore illo è Moseos vultu manāte, qui & in libris elucebat. in Siciliam porrò aduentāti Dionysius tyrannus virtatam nauim misit obuiam, & egredientem in littore quadrigis albis excepit; sed mox in suspicionem venit, atque ex eius manibus vix elapsus. ceterùm post illustrem illam victoriā quantò dignior Iuditha triumphalibus quadrigis fuit? sed non tàm ipsa glorioſum putauit, equum frenare, quàm fastum, nec candorem quæsiuit in animantibus, sed in animo. Hac etiam tempestate, Camillus belli a virtute sibi gloriā comparauit: Falisios enim obsedit, Veios edomuit, Gallos Senones vrbe pepulit, quibus & Romanorū vexilla extorsit, quamobrem assertor est dictus, hoc est patriæ libertatis vindex. atqui hæc laus Iudithæ propria est, quæ imminēti exitio vel inermis eripuit suos. Sub idem quoq; tempus & Herina poetria celebrata est dicendi genere numeris adstricto, & Demosthenes soluto, qui in fœcunda tàm his suppetebat ex tàm illustris heroinæ facto panegyrici sermonis materies! sed cautum est, ne altera id fabulis inquinaret, neue alter res gestas matronæ, quæ ciuibus attulerat vitam, eo calamo conscriberet, in cuius crena venenum tegebat lethale, quo perijt.

Camillus

Herina.

Demosthenes.

## ESTHERI REGINAE, & Mardochęo. Synchroni.

Esther puella Hebraici sanguinis, ex captiua vxor Xerxis, siue Artaxerxis fuisse putatur cognomēto Longimanus, qui & Assuerus) diuinitùs genti data videtur, quo

*Iosephus.*
*Niceph.*
*Suidas.*

quo tempore suprema clades imminebat; ac satis aptè nocturno, sed illustri viso significata est Mardocheo per somniculum, qui porrò excrescceret in amplum fluuium, ac demum in lucem, Solemq; verteretur; discussa videlicet eorũ temporum caligine. nihil autem opportunius est factum, quàm vt illa se importunè, & iniussa ingereret Regi; nihil ad salutem accommodatius, quàm cum ad eius conspectũ cecidit intermortua. Sub hæc tẽpora magnam Solis defectionem contigisse narrant; ad nouæ videlicet Solis exortũ, hoc est ad Estheris gloriam, & præstãtiam quandam lucis hoc planeta perstricto, superat. q; Iam ex exteris non a iũ conferre libet, quàm Vasthim ipsam reginam, cuius repudiatæ obtinuit locum: illam arrogantia deiecit è solio, hãc animi demissio, ac pietas in regia collocauit sede. quippe Vasthis ad regium epulum inuitata superbo quodam fastu ire neglexerat: non meruit regiam prolem parere, quæ Regi non paruit; cuius genio dum fastidiosè indulgere detrectat, toro caruit coniali, ac dum lectum despicit conuiuale, perdidit coniugalem.

Mardochæus autem Estheris patruus cum somniasset se draconis specie cum altero dracone pugnare, ac vincere, in spem venit, fore vt Amanum, quem infensissimũ habebat, superaret. cum aliquando in Regem coniuratio esset facta, per ipsum eruperat è latebris; quod dũ annalibus consignatum Rex forte perlegeret, Amanum ad se accersitum sententiam dicere iubet, ecquo tandem honore dignum existimet virum, quem Rex ob rem præclarè gestam remunerari vellet; ille ad se decus pertinere ratus, pronunciat, eiusmodi virum insigni equo insidentem purpura, & aureo torque ornatum per vrbem ab vno ex regijs purpuratis circumuehi oportere, eodemq; præcone summis laudibus extolli. annuit Artaxerxes, & cum primùm illuceseceret, iubet eum honorem ab ipso deferri Mardocheo. obstupuit hic Amanus, exarsitq; quà dolore incredibili, quà pudore; quippe cogebatur, eum, quem destinauerat in crucẽ agere, in equo circumagere sublimem: detrectare tamen imperium non licuit, ac non hic vltimus actus tragicæ scenæ fuit; enimuerò Rex Amani supplicis ad Esterem pre-

ces

Digitized by Google

ces eum vim interpretatus esset illatam, ipsum in eandem, quam aduersario parauerat, crucem tolli iubet. nullum spectaculum terribilius datum, & quod documento esset regijs Satrapis, ne aduersus pietatem, ac religionem superbo tumescerent fastu, neue humanis rebus insisterent, quæ variæ, perplexæq; freto, atque æstui similimæ sunt. desijt tum Hebræa natio pendere animi, ac suspensa periculo æneri, cum Amanum de infelici arbore pendentē, ac suspendio affectum vidit, Mardocheum verò eius loco, dignitatis gradu suffectum: neque iàm de sua cruenta strage, ac cæde, quam ab hoste sibi metuebat inferri, solicita deinceps fuit, posteaquam hic Regi gratiosus est factus, ac rubuit purpura, atque id quidem satis accommodatè sub Artaxerxe gestum, qui, quòd alteram manum longiorem haberet, Longimanus dictus est. vt ea videlicet extenta facilius, ac prōptiùs Hebræam gentem posset amplecti. Paullò ante quàm hæc agerentur, Romani insignem retulerant triumphum de Volscis, & Aequis; sed illa omnis Capitolij pompa propè nulla fuit præ hac, qua Mardocheus per Susianam vrbē inuectus est; quem etsi alienigenam, & captiuum eò virtus extulit, vt à præcipuo Regis dynasta præcone triumphantis more circumduceretur; atque is equi frena teneret, qui antea indomitus exultabat audacia; denique vt hostis ipse virtutem, quā oderat, publica voce testari cogeretur. scripsit postea Mardocheus ipse totam hanc suam, & regiæ neptis historiam eo tempore, quo Hippocrates in Thessalia de re medica scribebat, sed ille corpori consulebat, hic maiore cum gloria gentis suæ vulnera colligabat. Romani. Hippocrates.

## *ESTHERI, AC MARDOCHAEO ex aliorum sententia Synchroni.*

QVanquam ea, quæ narrata sunt, ad Artaxerxis tempora, qui Longimanus appellatus est, spectare videntur, vti diximus, tamen non desunt viri docti, qui ad



Digitized by Google

eum referant, qui dictus est Mnemon, ab insigni videlicet
*Euseb.* memoria, qua pollebat; μνήμων enim græcè memor est.
*Beda.* & verò is delectari visus est præteritarum rerum recordatione; quòd Mardochæo maximè profuit. nam cum Rex annales rerum gestarum fortè perlegeret, incidit in eum locum, vbi de coniuratione quadam regni procerum, quæ facta fuerat in ipsum Regem, consignatum erat literis ea, Mardochei opera patefacta in lucem emersérat, clandestinis insidijs detectis, & periculo explicato; quod cum in Regis mentem renocatum esset, statim ad eum remunerãdum excitatus est. Præcipuæ per id tempus in orbe terrarum vrbes laborabant; nam Syracusas Dionysius, Athenas tyranni occupauerant; sed Iudæis maximè, qui captiui tunc erant, horrenda calamitas imminebat, Amano videlicet eam gentem ad interitum, atque exitium vocante, vbi verò ille meritas luit per Estherem inuidiæ, atque impietatis pœnas, & huius patruus eius muneri suffectus est, omnia sunt in decus, & gaudium versa. Accessit tunc quoque superstitioni alterum vulnus, quippe celeberrimum illud Ephesiæ Dianæ templum. subito incendio conflagrauit: itaque cum Esther (vt Mardochei somnio significatũ est) in liquidissimum fluuium primò, tum in Solem conuersa est, Diana, hoc est Luna incendij fumo fœdata est, & cũ humori præsit, caruit fonte, qui restingueret flammam. Celebrabatur hoc tempore insignis rhetor Isocrates qui Helenam laudandam sibi proposuit, scilicet eã, quæ patriæ fuit exitio; ignorabat, cum de his ineptijs scriberet, Estheren florere, quæ non modò pulchritudine omnibus antecelleret, sed omni honestate afflueret, quæq; suam gentem ab imminenti clade diuinitùs liberasset. eam si ante oculos sibi constituisset, nihil sibi visum esset Helena, quam artis coloribus ornabat, fœdius, atque deformius. Sub idem tempus Socrates in primis, & post eũ Diogenes Cynicus philosophabantur, sed apud Estherẽ maximè pudentem, & in regnum iam euectam in summa liberati populi gratulatione, neque Socraticum supercilium, neque Cynicorum impudentia locum habuit.

*Isocrates.*

*Socrates Diogenes.*

ES-

Digitized by Google

# ESDRAE SCRIBAE Synchroni.

ESdras diuini iuris peritissimus iure laudandus est; neque à nobis effluere debet eius memoria, qui insigniter memor fuisse dicitur, ac diuinas inprimis litteras capaci mente resorbuisse, is Hebraicæ literaturæ notas inuenit, ac ne cum Samaritis promiscuæ essent, effecit. ipsius quoque opera Nehemias locupletissimam bibliothecam magno cum apparatu construxit; quo scilicet tempore Babylone celebris erat bibliotheca Persarum: sed veræ sapientiæ officina, ea tantum erat, vbi sacri codices seruabantur, quos Esdras in ordinem, seriemq; digessit. Plus certè consilij, atque intelligentiæ in hoc viro fuit, cum diuina oracula disposuit, ac distinxit in numerum, quàm in insigni illo astronomo, qui tunc florebat Athenis, Metone, à quo decennouenalis Solis anfractus inuentus est; quod curriculũ tẽporis ob præstantiam quandam Aureus numerus est appellatus. alij quoque viri doctrina præstantes vel æquales, vel suppares Esdræ fuerũt; inter quos Empedocles Physicus, quem æstus quidam gloriæ eò abripuit, vt in ardentem Aetnæ caminum se immiserit, non alio consilio, quàm vt non inuentus putaretur ad Deos abijsse; sed ferreę eius crepidæ impetu flammæ reiectæ insaniam indicarunt, cuius quodãmodo vestigia reliquerat. illa verò vox bruti videtur esse, non hominis, cum dixit, se aliquando fuisse in Olympijs bouem, ac victimam; ita suo dicto se quodammodo iugulauit, ac pecudem ipse se fecit. Prodicus autem Cous librũ tunc scripsit, in quo fingit Herculem cum virtute pariter, & voluptate congressum, & vtramque ad se trahere conãtem; demum virtutis hortatu alteram spretam; quòd tamen an verum fuerit, testentur Herculis pollices. At Parmenides carmine physiologiam expressit, idemq; à nõnullis putatur inuenisse Luciferi, atque Hesperi nomina, motumq; eius sideris obseruasse: atqui tunc Esdras veræ sapientiæ Sole gaudebat, cuius ipse quasi Phosphorus fuit, & Hesperus comes assiduus. Exercebant etiam vnà cum Esdra

*Euseb.*

Meton.

Empedocles.

Prodicus.

Parmenides.

stylum

Cratinus Aristarchus.

stylum Cratinus in comœdijs, Aristarchus in tragœdijs conscribendis: sed aliud est in fabularum vanitate, aliud in veritatis soliditate versari. Porrò dū hic in sacris voluminibus colligendis, ac diuinis legibus, præceptisq; mandandis occupatur, Romani per legatos ab Athenienſibus leges petūt, quæ in tabulis duodecim descriptæ sunt: ita apud Romanos aliunde accersitæ leges, apud Hebræos verò domi natæ, ac duæ tantùm tabulæ acceptæ olim, ac datæ à magno nomotheta Mose, abrogatis iam duodecim, & antiquatis, leges non vni vrbi, sed omnibus populis, ac nationibus proposuerunt.

## NEHEMIAE Synchrani

NEhemias cum esset à poculis Artaxerxi Regi Persarū, suum esse putauit, patriam iacentem, & ægram demulcere, ac tanquam merum ei propinare, siue potiùs Homericum illud pharmacum νηπενθὲς, quòd malorum omnium oblivionem inducere dictum est: itaque impetrata à Rege facultate, Hierosolymæ muros Barbarorum incursione deiectos reficiendos curat; sed dum rem aggreditur, finitimi populi, quos inuidia fecerat infensos, furore perciti impiè se opponunt; non tamen abijcit Nehemias ædificandi consilium, sed iubet armari suos, ac nouo more pugnare, vt altera manu cæmentitiam trullam, ac cetera instrumenta fabrilia tractent, altera gladium intentent in hostem, architecti simul, & bellatores: ita vno, eodemq; tempore dupliciter de patria benemerentur, dum & attollunt muros, & deprimunt hostem; altior animus ipsis mœnibus fuit. Florebat hoc tempore Melissus Samius Parmenidis auditor, philosophus ciuibus suis admodum charus, propterea quòd, & rempublicam optimè administrarat; & strenuè cum hoste conflixerat; præceptis quoque, & institutis præclaris suos informarat; sed multò præstantior Nehemiæ in patriam charitas eluxit, cuius opera pristinæ restituta est gloriæ, muris, & propugnaculis munita, ciuium mul-

Melissus.

Digitized by Google

multitudine amplificata: & quod præcipuum est abolitis, quæ irrepserãt, vitijs, virtute renouata. Ille verò eius ingressus in vrbem, ad quam instaurandam ex Artaxerxis regia veniebat vna cum suæ gentis comitatu, triumphi cuiusdam imago fuit, ac planè nobilior, quàm is, quem per id tempus Cornelius Cossus Romæ retulit ex Fidenatibus, ac Veientibus, vectus inauratis quadrigis, ac spolijs opimis onustus. Cornelius Cossus. Cæterùm Nehemias parũ se fecisse ratus, quòd propugnaculis munisset vrbem, ad sacra curanda se conuertit, quibus potissimum nititur ciuitatis salus. excitata iam erat ara, in promptu victima, sed ignis ille immortalis diuinitùs olim datus dederat, & in puteo latebat, à maioribus abditus, cùm barbari occupassent vrbem; accedunt, extrahere aggrediuntur; cùm ecce nouum se offert prodigium. Sacratus ignis versus erat in palustrem aquam. at non despondet animum Nehemias, immo verò ea aqua ligna aspergi iubet, aduerso Sole, qui tunc latebat in nube. mirum dictu. repente nube discussa, & radijs in madentem lignorum struem coniectis, ligna ignem concipiunt, perinde atque perfusa oleo. tùm flamma exiliens victimam combussit. merito profectò Nehemias tàm illustri prodigio nobilitari cœlestis ignis, vel ob hos, quòd cum Persarum regi esset à poculis, ne vis videlicet è præcipuis aulæ ministris, eunuchi apud Persas ignis diuinis honoribus colerentur, ab ea ipse superstitione semper abhorruit; cui ergo viluit profanus, resplenduit sacer. Narrant sub Nehemiæ mortem Aetnam montem incendio conflagrasse, tanquam ad eius iusta tædas accendentes, qui eam singulari ignis prodigio, cùm viueret, illustrauerat fuerat. Conuenerunt autem in hanc ferè Nehemiæ tempora ex exteris multi sapientia laude præstantes, in primis Protagoras Abderites, scilicet is, qui omnium generum reclamante consensu dixit, sibi non liquere, verùm esset aliquis Deus: quamobrem ab Atheniensibus damnatus est, & ex publico decreto exusti eius libri etiam contra Nehemiæ veræ diuinitatis cultum apud suos amplificarent. Aetna. Protagoras. his addit Theodorum mathematicis disciplinis insignem, & Zenonem Eleatem, qui Parmenidis auditor fuit, & dialecticas inuenerat, sed ea tandem ratio eloquendi, qua Nehemiæ nefàs de Deo sentiendo, ipsis iniquè longè Theodorus. Zeno.

Gorgias
Euripides.
Sophocles,
Eupolis.
Aristophanes.
Telesilla
Thucidides.
Herodotus.

gè præstantior fuit, ac certior. Dicendi quoque ars, atque eloquium tunc floruit, vt cùm maximè; nam & Gorgias celeberrimus rhetor in honore habitus, & Euripides tragœdias scripserunt, & Sophocles; Eupolis verò, & Aristophanes comœdias. Bacchilides item poeta lyricus, & Telesilla poetria canebant. at Thucydides, & Herodotus conferendis historiis operam dabant, ingenio penè pares, genio dispares: quippe alter densus, & brevis, & semper instans, & incitatus; alter dulcis, candidus, & remissior, ille Peloponesiacum bellum scribere aggressus est, hic Cyri res gestas, sed minus ad historiæ fidem: atqui suppetebat tunc & veritatis, & dignitatis plena materies, res videlicet Hebræorum prospera, concessa libertas, augustissimi delubri exædificatio, ac tota illa temporum in melius facta conversio. Iam sub ipsum hoc tempus, quo Nehemias suis ciuibus diuina iura, legesq; tradebat, mores corrigebat, atque vrbem non modò muris, ac propugnaculis munebat, sed optimis, ac sanctissimis institutis, So-

Socrates

crates scholam aperuit, ille inquam Socrates, qui primus philosophiam in terras deuocasse de cœlo dicitur, ac de moribus cœpisse disserere; habuisse item Dæmonē consiliorum ducem, atque euentuum præmonitorem: at Nehemiæ verius ea laus est, qui sapientia, quam de cœlo hauserat, gentem erudiuit suam, nempe ille ipse, qui, vt ritè vero

Phidias.

Numini victimas immolaret, ignem prodigio mirabili deduxit è cœlo. Per hæc item tempora Phidias sculptor clarissimus floruit. is inter cetera Mineruæ statuam, quam sapientiæ præsidem fecerunt, egregiè finxit ex ebore; atque auro: in eius scuto Amazonum prælium, & gigantum cœtauerat bellum; in soleis autem Lapithatum, & Centaurorum pugnam. interim Nehemias longè pulchrius simulacrum, diuinum videlicet, ac cœleste efformabat, idq; non in Athenarum, sed in arce animi collocabat, cum gentem suam pietate, ac religione informabat. Ferunt hac quoque tempestate

Pericles

Periclem tonuisse dicendo, ac fulgurasse, toramq; permiscuisse Græciā: sed maiorē hic laudē assecutus est, cum Hierosolymæ mores, quos inuenerat, vt sic, depravatos, ac perditos, castigando, & corripiendo correxit. Denique hoc religioni auspicato accidit, quòd tum Nehemias instaurato

delubro

delubro sacra faciendi curat, ac diuinitus è cœlo delapsa flamma ritè operatur, templum Lunonis, quod superstitiosè Argis colebatur, subito igne consumptum est.

# IEDDOAE PONTIFICI Synchroni.

DE Ieddoa, siue Iaddo hierarcha quanquam in sacra historia nihil insigne narratur, ac tantùm nomine notus est, non videtur tamen omittendum quiddam sanè præclarum, quod eorum monumentis consignatum est, qui res Iudaicas scribunt; habet enim eius muneris fructum cum magno religionis honore coniunctum. Pontificem Ieddoas hic agebat, tùm, cùm Alexander Macedo terrarum orbem armis quatiebat: is cum Tyrum vrbem obsideret, ad Iaddum Hierosolymam misit petitum, vt commeatum, & auxiliares copias in castra sufficeret; responsum est, Iudæos sacra fide teneri, ne fœderato Tyri regi nocerent. iratus ad hæc Alexander minatus est, statim se à Tyro capta hostiliter copias Hierosolymam traducturum. distulit tantisper vltionem, dum Gaza caperetur, inde mox citato agmine eò ire pergit. ingens metus ciuitatem inuaserat, angebatq; præsentem curam duarum nobilissimarum vrbium recens excidium; nemo enim erat, cui persuasum non esset, futurum, vt superbissimus hostis vrbem captam igni, ferroq; vastaret; mœror igitur, ac luctus omnium animos occuparat. interim Iaddus diuino oraculo per quietem admonetur, vti festa fronde ciuitatem ornet, sacerdotumq; choro cum candida veste extra vrbem producto, ipse habitu pontificio cultus venienti Regi occurrat. paret oraculo, atque vna cum hierophantis, frequentiq; populo vrbe egreditur, Regem cædes, atque exitia meditatem ad locum, quem Saphin indigenæ dicebant, latinè scopulum significat, præstolatur; at ibi tantùm abest, vt naufragium salutis fecerit, vt potiùs tutissimum nactus sit portum. enimuerò Alexander candidatorum cœtum intuitus, & in his antistites cum byssinis stolis, hierarcham verò cum hya-

*Nehem. 12.*

*Ioseph. Alexander.*

cinthino, aureoq; amictu, supra caput cydarim cum lamina aurea ferentem, in qua inscriptum Dei nomen erat humana nomenclatura maius, subita religione percussus, solus illum adit, supplex Dei nomen, ac numen adorat, ipsum pontificem veneratur. hæserunt stupore defixi Syriæ Reges, ac purpurati omnes, & qui ex Phœnicia tanquam ad certam prædam fuerant Macedonem secuti, venerabundum Regem mirati. ac primùm quidem eum aut malefico carmine excantatum, aut mente alienatum suspicati sunt. ceterùm nemo erat, qui palàm interrogare auderet, ecquid esset, quòd ipsum ita perculisset; ecquæ subita superstitio, vti censebãt, animũ incessisset; ad extremum Parmenio, vt erat Regi familiaritate cõiunctior, percunctatur, quo consilio id egerit. tum ipse, eum à se honorem non homini, sed Deo, cuius ille maiestatem, ac Numen eo habitu præseferebat, fuisse exhibitum respondit; quippe, cùm in Macedonia adhuc esset, secumque deliberaret, qua via, ac ratione Asiam sibi subijceret, similẽ sibi per quietem speciem obuersatam, animatumque ad rem fortiter gerendam, fore, vt Persarum opes everterer, eo tempore se religione tactũ. itaque Iaddum secutus pontificem Alexander Hierosolymam pacatus adit, ac templum ingressus Iudaico ritu fecit. quinetiam Iaddum ipsum, ac ceteros hierodulos amplissimis muneribus affecit. propriis quoque, ac gentilibus institutis, & legibus vti concessit, tributum in annos septem remisit; mansitq; ei genti rerum status incolumis, quandiu Alexander vixit. Quem igitur exterorum cum Iaddo meliùs conferemus, quàm Alexandrum ipsum supplicem ad eius pedes? quo haud scio, an quicquam vel admirabilius, vel ad pontificij muneris gloriam præstantius vnquam spectaculũ sit datum. sed nimirùm Iaddus iam in pontificia veste contextum complexus circumferebat ritè Mundum, quem Alexander, qui alios etiam exoptabat, exigua tantùm tenebat ex parte. plus ad exterrendum hostẽ aurea, quæ ex ora sacri amictus dependebant, crepitacula potuere, quàm æneæ tubæ. plus ad defensionem valuit pectus gemmato logeo, quàm adamantino thorace munire, caput cydari tegere, quàm galea. denique cùm ille venerabundus hierarcham est, fas erat Magnum cedere Maximo.

SIMO-

# SIMONI PONTIFICI Synchroni.

SImonem pontificem cognomento Iustum laudatione prosequi ius, fasq; est, quanquam satis dignè laudari vix potest. ad eum ornandum quæcunque sunt in hac rerum universitate præcipua, atque præstantia, sacræ ipsæ literæ cōferunt. etenim si cœlum spectes, quasi Sol refulgens, sic ille dicitur in Dei templo luxisse, quò præconio nullum excogitari potest illustriùs, siquidem cùm Solem dico, simulacrum quoddam Dei pulcherrimum dico, lucis fontem, Mundi oculum, & Naturæ maximum decus. At verò cùm ad eiusdem Simonis laudem à Luna similitudo accipitur, non eam tibi propones silentem; nihil enim in ipsius præconio non vocale; non crescentem, aut senescentem, sed perfectam orbe completo; non humilem, sed excelsam; non in Austrū dejectam, sed in Aquilonem elatam; nō deliquio euanescentem, ac luce deficientem telluris oppositu, quia Simonis meas humi defixa non fuit; hòc ipse pulchrior, quòd caruit labe, quam putarunt in Luna raptas è terra cum humore sordes. porrò idem stella dicitur, sed matutina, Lucifer, inquam, nec tamen habuit aliquid commune cum Venere. Tū in aerem contemplare, quasi arcus splendens vocatur inter nebulas gloriæ; triumphalis scilicet ille fornix victori cōuenit, qui ab admiratione Thaumantias meritò appellatur, cum Simon rebus præclarè gestis, & vitijs debellatis se admirabilem fecerit, & omnū oculos tenuerit discolor varietate virtutū: pingitur arcus, & effingitur Solis radio, dum hic in suum astrū acie defringitur. aduerso fit Sole, nec tamen aduersāte, quia ipsi cognatus. quanquā cū ille sublimis, hic fit humilis; cū ille decliuis, hic erectior, quodā dignitatis officioso certamine. deniq; eo tacta tellus arcu ferit olfactū, sed suaui halitu, cuiusmodi è Simonis virtutibus afflabatur. Ageſis nunc ad agrorum pulchritudinem te conuerte; & hic illum expressum videbis: incidisti fortè in lilium, contemplatus es excelsam eius speciem, & maiestate præcinctum caput, sed quasi clementia pronum; admiratus es quoque argenteorū *Ecclesi. 50.*

foliorum striatos ordines, qui assurgunt in scyphi effigiem tenentq; oculos voluptate ebrios. iam illa resupina per ambitum labella, sed candida nonne ad osculum videntur inuitare, sed castum? & illa, quæ tenuissimè insunt lina, nonne spectatorem capiunt, atque denuncium? at quàm nobilis fulgor auri? quod tamen aurum ne rapinæ pateat, intus conditur, ac vallo ipsius floris obseptum munitur. regius est sanè flos, immo regibus præstantior, quia in hoc vno conueniunt & maiestas, & amor; inest superbia, sed sine fastu; certat decore, & hòc admirabilius vincit, quòd exarmatum est spinis. sed quid opus est nostro ore? flos ipse se laudet, cui folia sunt quasi labella; neque vllam contrahere potest suspicionem fucatæ laudationis, quando candor est in labellis. Accersitur ad Simonis commendationem etiam rosa, ne si officio desit, erubescat magis. vidisti illam cum granoso cortice iam tumefacto, & cũ in virides alabastros fastigiato erubescens dehiscere cœpit, ac sese pandere, in calycis medio apices complexa luteos, & quasi regina cum purpura, ad coronas eadem expetita. spinis aculeatis tanquam hastatis sepitur, nec tamen minas habet, sed gratiam. atqui nondum omnem Simonis complexus es laudem. Perge porrò collium, montiumq; acclivitates suspice; quasi cupressus in altitudinem se extollens, sic ille eminere visus est; at cùm cupressum audis, ne tu aliquid ominosum, ac funebre cogita, sed immortale potius, ac perenne, quippe cariem ea arbor, vetustatemq; non sentit; & cùm in metæ fastigium conuoluta se effert, metam omnis dignitatis, quale pontificium munus est, in Simone considera. at cum eadem cupressus trahitur in horti picturas opere historiali, ac venationes, classes, aliarumq; rerum imagines tenui folio, breuiq; ac virenti superuestiens delectat aspectu, tùm quoque nobiliores historias de rebus à Simone præclarè gestis tecum reputa. omitto reliqua, quæ ipsi diuinæ literæ impertiunt decora vel naturæ, vel moris. Sed nimirùm meritò tot ornamentis afficitur magnus hic sacrorum antistes, quippe qui ad augustum Hierosolymæ delubrum ornandum omnem operam, & studium contulisse dicatur. manauit etiam in suos virtus, ac patriæ commodis amanter, pièq; consuluit. scilicet perennem

renniter fluat oportet oratio de eius laudibus, per quem in vrbe putei maris instar abundasse dicuntur. Versatus porrò est inter cruentas templi victimas maiore cum laude, quàm in campo alij inter cruentos hostium aceruos. præstantior hic, quàm Fabius Gurges (quem aquarum vis nobilitauit verbo, non factis) habendus est. fuit is Simoni synchronus, ac de Samnitibus triumphum egit, vel ideo spectandum, quòd pater filij triumphantis currum equo insidens sequebatur, quem ipse paruulum aliquando in triumphis suis penè inter vlnas gestauerat: at verò Simoni pontifici hoc fuit in votis, non vt se, liberosue suos, sed religionem triũphãtem videret, & ornamentis auctam. Præterea hac item ætate Pythagoras quidam, non ille Samius, sed Magnesius coronatus est in Olympijs, cũ Simon sacra cydari, ac tiara, cum lamina aurea, cui augustum Dei nomen inscriptum erat, infulatus incederet. Decius etiam hoc viuente se ob patriæ charitatem deuouit cum hic prò suæ gentis salute vota faceret, non laudis ambitione, sed pietate, ac religione ductus. Sub id quoque tempus ex Epidauro Romam Aesculapius est deportatus anguis specie. operæ pretium hic esse puto agnoscere vestigia fraudis antiquæ. rem ità ferè gestam Valerius narrat: Cum triennio vexata pestilentia vrbs esset, superstitio sacerdotum inspectis fatidicis libris animaduertit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quàm si ab Epidauro Aesculapius esset accersitus. itaque eò legatis missis remedij opẽ auctoritate sua, quæ iam in terris erat amplissima, impetraturam se credidit. neque eam opinio decepit; pari namque studio petitum, ac promissum est præsidium; è vestigioq; Epidaurij Romanorum legatos in templum Aesculapij perductos, vt quicquid inde salubre patriæ laturos se existimassent, pro suo iure sumerent, benignissimè inuitant. tùm subitò is anguis, quem rarò, sed cupidè visum in modum Aesculapij venerabantur, per vrbis celeberrimas partes mitibus oculis, & leni tractu labitur, triduoq; inter omnium admirationem conspectus ad triremem Romanam pergit, pauentibusq; inusitato spectaculo nautis eò conscendit, vbi Quinti Ogulini legati tabernaculum erat, inq;

Fabius Gurges. *Salian.*

Pythag. Olymp.

Decius.

inq; multiplicem orbem est conuolutus. ergò legati perinde, atque exoptatæ rei compotes, peractis sacris, cultuque anguis à peritis accepto, læti inde soluunt, emensiq; nauigationem Antium appellunt. hìc anguis, qui vbique in nauigio remanserat, prolapsus in vestibulo ædis Aesculapij, myrto frequentibus ramis diffusæ, supereminentem excelsæ altitudinis palmam circumdat, tanquam victor eius gentis, quæ ceteras vicisset. nec multò post vrbi se aduehendum restituit, atque in ripam Tyberis egressis legatis in insulam, vbi templum dicatum fuit, transnauit, non tàm pestilentiæ remedium allaturus, quàm perniciosius malum impiæ superstitionis illaturus; qui iccircò principem vrbẽ, ac nationum omnium domicilium delegit, vt faciliùs inde toti terrarum orbi spargere venenum posset. prò nefas. instituuntur serpenti ministri sacrorum; erigitur ara pro latebra. cum interim sanctissimus pontifex Simon Hierosolymam imbueret religiosissimis institutis, informaretque animos veri Numinis cultu.

## ONIAE PONTIFICI. *Synchroni.*

ONias pontifex (cum intelligo, cuius sacris literis consignata laus est) sentiat à nobis quoque se, quanquã longè impari oratione, commendari, laudes accipiat, quas cùm viueret, recusabat, cum mallet pius esse, quàm dici. laudatur in primis eius pueritia à verecundia, & pudore. eo autẽ anno, quo inauguratus est põtifex cũ Caius Hostilius Annibalem ducentem in Salentinos exercitũ adortus esset, magnam de Pœnis edidit stragẽ. Claudius item Nero Asdrubalem vicit. sed lætior ille annus fuit Hierosolymæ, quàm Romæ; quia pontificem fortita est, qui religionis dux esset, & vitiorum domitor, in quorum castra iam à teneris annis non tàm tyro, quàm Imperator inuaserat. fabricatus deinde Annibal est Iunoni Laciniæ templum, dedicauitq; aram cum ingenti rerum à se gestarum titulo, cippoq, literis Punicis, & Græcis insculpto; quod certè monumen-

2. *Mach.* 3.

Asdrubal.

Annibal

Digitized by Google

numentum Oniæ, qui tùm viuebat, potiùs debebatur, nisi insitus animi pudor, ac moderatio abhorruisset à fastu Prætor hæc Idæa mater è Phrygia, vbi præcipuè colebatur, aduecta Romam est, ad quam recipiendam cùm vir optimus quæreretur, vnus delectus est P. Scipio Gn. filius. is vnà cum nobilissimis matronis Ostiam Deæ obuiam ire iussus, à sacerdotibus simulacrum accepit, ac pectore complexus in ædem Victoriæ cum pompa deduxit. quæ dum superstitiosè Romæ fierent, Onias Hierosolymæ religiosè, ac piè operabatur in veri Numinis ara, atque delubro. multa sùt à Scipione strenuè in bello gesta, sed illud longè præstat, quod Onias egit pro religione, cum Heliodoro sacrilego Duci, ac prædoni acriter restitit, qua in pugna auxiliares habere meruit Cœlites. ex ijs vnus equitis cataphracti specie illum spoliantem iam, & exultantem in ipso delubro aggressus est, affixitq; humi: tùm equus ferocia in barbarum versa adhinnire, efferari, insultare, calces impingere, & anterioribus adurgere vngulis. ad hæc alij Cœlites duo visi insigni gloria, & decore conspicui, qui vtrinque hominem repetitis flagrorum ictibus acerrimè cæderent, donec ille multa caligine circumfusus, atque intermortuus è delubro extractus est foras; iussuq; graues agere Onia, quo deprecante non esset extinctus; proindè abiret statim, ac præco apud exteros prodigij esset. Sanè vi us est hac in re Heliodorus magis impius, quàm Masinissa rex Numidarũ, qui ipsi penè fuit æqualis. nàm ille cùm à præfecto classis eximiæ pulchritudinis, ac magnitudinis dentes eburneos dono accepisset, vt comperit, è Iunonis fano sublatos, statim eos reportandos curauit, inscriptos gentis suæ literis significantibus regem ignarum fuisse furti; quod factum Masinissæ animo, quàm Punico sanguini conuenientiùs putatũ est: adeò in media barbaria inuentus est, qui sacrilegium resciderit vel alienum. inultus igitur Heliodorus abire non debuit. Quid? an ipsi Ethnici solùm Deos suos neglectæ religionis, vel potiùs superstitionis vltores iactarent? siuè cùm Apollinem, Carthagine à Romanis oppressa, veste aurea nudatum id egisse dicerent, vt sacrilegæ manus inter fragmenta eius abscissæ inuenirentur; siue cùm

P. Scipio

Masinissa.

Brennum

Brennum ducem Delphicum templum spoliare conãtem, obstupefactum insania sibi manus attulisse narrarent. sed quãtò hîc vltionis certior fides? vbi bellatores è cœlo delapsi in impium prædonem armati palàm se oculis obiecerunt. perspecta tamen inter hæc est Oniæ, exitium, vel ab hoste deprecantis pietas singularis, cuius ipse habuit certè locupletissimos testes. Interfectus quidem est innocentissimus hic hierarcha telis suorum, dum tueretur iura sacrorum, sed à morte visus est viuere vt cum maximè: obtulit enim se per speciem fortissimo Duci Iudæ Machabæo vnà cum Ieremia Vate, à quo ille aureum accepit gladium, vt impios vlciscereturneque verò Andronicus paricida impunè abijt, quippe ipsius Antiochi Regis iussu exutus purpura, & per vrbem ad ludibrium circumductus, eodem in loco, in quo per summam impietatẽ Oniam necauerat, vita priuatus est. nẽpè acres habet aculeos Numinis ira, sed instos. augustissimi delubri parietes mœsti simul, atque irati in reum dixere sententiam. sacerdotales insulæ cruentatæ, sacra indumenta pontificio cruore respersa, ac Mundus ipse ijs intextus de innocentis cæde rubescens, eodemq; vulnere laceratus, quasi reclamando pœnam tanti facinoris reposcebant.



ENCO-

Digitized by Google

# IEREMIAS
## Propheta

Synop. *Insigne priuilegiũ ostenditur, quo sanctificatus est in matris vtero. vaticinatus est acriter aduersus impios: nenias cecinit sacras. in Aegypto lapidatus est. puluis eius sepulchri aspidum morsus sanat.*

### ENCOMION 121.

Quàm tu longum emensus es stadium
& virtutis, & gloriæ!
qui statim prouehi cœpisti curriculo laudis cap. 1.
pancratiastes antequam puer,
dux antequam tyro.
vteri carcer tibi cessit in campum,
immò in Capitolium.
victus est à te vix in membra compacto
veterator gigas, & vetus:
primas superasti tenebras,
antequam primò edereris in lucem.
excussisti commune mortalium iugum,
ceruicibus vix formatis.
electus es, vt præuideres futura,
antequam posses videre præsentia.
labia deinde tibi cœlesti tacta sunt manu,
vt oracula funderes aurea,
tametsi aliorum corda nactus es plumbea.
at, ne in te quicquam moliretur improbitas,
munitus es, tectusq; diuinitùs:
quippe vt tela eluderes ænea,
in columnam diceris versus ferream:
telorum acies, & cuspis tantùm hoc egit,
quòd præclara facta columnæ incidit, & sculpsit
triumphalibus victoriæ notis.



Digitized by Google

In æneum quoque versus es murum,
vt deluderetur arietando perfidia:
sed mira res; ferreus, & æneus Vates
totus colliquescebas in lacrymas:
cum abijssent oculi in torrentes,
non contentus, perennes optasti fontes,
vt defleres præcipitantis Solymæ casum:
meruit videlicet cadere
quæ tibi noluit inniti columnæ;
meruit capi, quæ te noluit protegi muro.
sed ante tu, quia Vates, exarsisti dolore,
quàm illa incendio.
inobscurati auri iacturam
sermone tuo resarsisti aureo;
decolorem reformasti speciem
næniæ pulchræ coloribus;
acerbiorem conquestus es vrbis casum,
sed exitio iam maturæ.
prò scelus obduruit tot inter lacrymas furor,
sed liquidam tuam non impedijt vocem.
nequicquam te merserunt impij cœno,
qui iam ab vtero elueras labem.
in altam deiectus es foueam,
sed fundamenta iecisti gloriæ.
*Baron.* meritò tibi Constantini mater Augusta
delubrum excitauit augustius;
*Epiphan.* cum te aduersarij oppressere lapidibus,
mausolei suffecere materiam.
voluisti vel vita functus esse beneficus:
nam curasti tumuli puluere aspidum morsus,
qui viuus in aspides incideras surdas.
benè habet: serpēs fecit, vt abiremus in puluerem,
serpenti fatalis per te factus est puluis.

BA-

Digitized by Google

# BARVCVS
## Propheta

Synop. *Scriba fuit Ieremiæ, consecutus & ipse vaticinandi donum; captivos Babylone solatus. scripsit in primis de vera sapientia inuestiganda, quam ignorabant exteri, etiam qui sapientes se iactabant.*

## ENCOMION 122.

Ex Vatis scriba factus es Vates,
dignus fuisti, qui perciperes fructum
oraculorum, quæ exarauerat.
aureum fecisti calamum,
cum de Sapientia inuestiganda scripsisti.
tametsi eam etiam electo præposuisti auro.
quæsiuisti qui deduceret eam è nubibus,
sed Sole puro clariorem;
qui eam transmisso adueheret mari,
sed nullis mercibus parem.
cum nihil sit illius luce splendidius,
ignorari tamen dixisti semitam;
cum nihil sit illa sublimius,
latere tamen gigantes;
cum omnibus præstet thesauris,
non inueniri in terra defossam.
ignobilis tibi ea visa est Sapientia,
quæ non deduceret genus è cœlo;
stulta ea prudentia,
quam bruta sibi vendicat tellus.
nemò tàm doctè philosophatus est sub porticu,
quàm tu sub Babylonio iugo:
instituisti apud barbaros sapientiæ Lycèum,
docuisti tuos ea duce non aberrare à vero,
licet errare cogerentur è patria.



Digitized by Google

# SVSANNA

## Matrona.

Synop. *Commendatur insignis eius pudicitia, & fiducia in Deum. euasit cùm incesta libidinis, tùm iniqui iudicij laqueos, quos procaces tetenderant senes. actum est per puerum Danielem.*

Daniel. 13

## ENCOMION 123.

Dum te, vt munda sis, lauis,
habita es inquinatior.
dum fragrantibus oles vnguentis,
penè oboluit fama.
inter horti considens flores.
penè defloruisti.
apud virides arborum vmbras,
occupauit te flamma procorum,
exarserunt in Venerem senes:
monstrosa libido, quæ excitauit incendium
in frigidis membris.
inter albicantis capitis canos
passus est insidias candor.
inter artus æuo tremente
intremuit pudor.
ausi sunt labem inferre, dum lauis.
stetit castitas ante tribunal incestum
non ipsa rea, sed factura Iudices reos.
non lictorios exhorruit fasces,
quæ Cœlites spectabat vltores.
distrinxerunt illi contra Iudices gladium,
vt tu abires iudicio soluta.
cum insimulareris, vt lupa, inuenta es agna,
eo videlicet auctore,
qui & veris leonibus obiectus, inuenit agnos.

ANA-

Digitized by Google

# ANANIAS, AZARIAS, MISAEL.

## Pueri eunuchi Regis.

Synop. *In ardentem caminum impij Regis iussu coniecti sunt, quòd ipsius statuam non adorassent. soluti vinculis, alacres ambularunt in flamma, & pæana concinuerunt. visa Dei similitudo in igne esi.* Daniel. 3.

## ENCOMION 124.

Immortali estis digni præconio,
quibus indigna vox visa præconis
iubentis simulacrum coli mutum,
quod egeret alterius voce.
tametsi ne vox videretur absurdior,
musici accersiti sunt modi;
sed cùm tubam audistis, ac buccinam,
excitati estis ad bellum
pugnaturi cum Dijs.
ipse vos hostis acuit tuba.
insonuit etiam cithara,
sed accidit vestras ad aures absona.
nulla poterit vobis poni par statua,
qui spreuistis vel auream:
quanquam vos ipsi cessistis in statuas
firmitate propositi.
pulchrè estis in igne conflati;
quantò pyra fuit altior,
tantò virtus erectior.
tres iniecti estis in rogum,
sed visi tyranno sunt quatuor.
dum flamma decresceret robore,
vos & viribus creuistis, & numero;
dum diuinitùs ipsa constringitur,
vestra dissoluit vincula.

Vulcano

Vulcano illuſiſtis claudo,
cum inter flammas curſitaſtis alacres;
expeditiores fuiſtis in curſu,
quàm igneæ ipſæ ſcintillæ,
quæ peruolitabant latera.
Olympicum ſtadium nacti eſtis in pyra;
flamma, dum murmurat, plaudit;
linguæ, dum vibrant, laudant,
celebrant de impietate victores:
ſolùm inter hoſtes vlulatus auditur,
dum, qui faciunt incendium, flagrant,
armatur ignis, & alitur pice,
ſed hoc agit, vt glutinet
tres in vnum
eadem mente, eodemq; conſilio.
At quam ſpecioſa exſplenduit flamma,
in qua media viſa eſt ſpecies Dei!
excepti eſtis honore, non probro,
non fletu perfuſi, ſed rore.
fruſtra caminus atrum obtendit fumum,
vt ex oculis eliceret lacrymas,
nam roſcida vos perfudit Aurora,
vt lætior efflore ſceret virtus.
dum in conum erigitur flamma,
monumentum fit gloriæ,
quia celſam excitatur in pyramin.
hoc vobis confert Mulciber,
quod blandiendo mulcet;
dum circumdat, amplectitur;
dum cingit, coronat;
dum ambit, lambit.
denique vitam retuliſtis è rogo
phœnices, nec tamen ex cinere.

Cum

Digitized by Google

Cum impositi estis in rogo,
non est nænia audita, sed pæan,
quin etiam festas instituistis choreas
rerum omnium conditarum.
quid mirum quòd refrixerit flamma!
nempe glaciem simul accersistis,& niuem.
sed obstupuit hostis dicto,
cum in igneum coniecti caminum,
ignem ipsum læti inuitastis ad carmina.
illæ tot incendij linguæ
non obstrepuere cànentibus,
sed vestras potius imitatæ sunt linguas,
ad diuinas conuersæ laudes.
partiti sunt Cœlites mirè vim flammæ
in lucem, & æstum:
solo ignis vos splendore circumdedit:
solo hostem ardore confecit.
vestes, quas inde retulistis intactas,
in trophæa cessere victoriæ,
ne spolijs careret triumphus.
virgas, quas iniecerant in fomitem ignis,
laureatos vertistis in fasces.
ipse vos hostis fecit illustres,
quia mitratos misit in ignem,
scilicet quadam Persici Solis imagine,
qui dictus est Mitras.
sed nimirum vestra hoc meruit virtus,
vt vos metueret flamma,
cum respuistis vina vel regia,
amastis aquam:
metuit scilicet suum ignis in vobis hostem;
verita est vos flamma depasci,
qui profano abstinuistis à pastu.

DANIEL.

Digitized by Google

# DANIEL
## Propheta.

Sy nopsis. *Inter varios Reges versatus multa ijs prædixit mira, siniſtros præcineus casus ſine metu. leonũ vngues non ſemel euaſit. draconem interfecit Suſannam liberauit. venturi Liberatoris tempora præfiniuit.*

### ENCOMION. 125.

Quid tua dici poteſt illuſtrius mente!
qui ipſa caliginoſæ noctis inſomnia
clarius, quàm in Sole vidiſti.
quàm vigili, & viuido fuiſti ſenſu!
qui ſepultam ſomno memoriam excitaſti,
vmbratiles formas protuliſti in lucem;
tunc præcipuè viſus es mente ſublimi,
cum præcipitis ſtatuæ declaraſti caſum.
cœpiſti ad honorum euehi culmen,
cum illam oſtendiſti deiectam.
non es veritus ne malè ominando Regi,
tu quoque per vim caderes.
cum eius ſtatuam dixiſti lapillo percuſſam
violentius multò quàm fulmine,
non timuiſti ne te ille grandibus opprimeret ſaxis.
cum eundem exciſæ comparaſti arbori,
regias non reformidaſti ſecures,
ne & ceruices deſecarent tuas.
ſed quàm libero, & ſoluto fuiſti animo
cum deiectum è ſolio Regem
amandaſti probrosè in ſiluas!
nec relegaſti modò, ſed religaſti
vinculis conſtrictum æneis,
immanis belluæ more.
non extimuiſti ferinum animum,
cum declaraſti feram.

Nihil

Digitized by Google

Nihil ea ætas horribilius vidit in terris,
quàm Regem ex aula depulsum in syluas,
non studio, vt solebat, venandi
sed venaticis obiectum canibus.
iacuit pecudis instar Rex abiectus ad pastum
non tantum Circæa ipsa egissent pocula,
quantum egit mentis elatio:
abijt capillus in setas,
oris maiestas horruit in rictus,
frontis fascia cessit in compedes,
aurea chlamys in ferrum,
thronus in caueam.
penè Rex bellua in bestiarios incidit,
vel in suos, vt Antæus, canes.
præ illo minus informia visa sunt monstra,
quæ parit Africa.
quàm impauido fuisti animo,
tanti denunciator opprobrij!
cum exuebas homine, non metuebas inhumanum;
cum faciebas belluam, non perhorruisti morsus.
quinimmò fodisti eum verborum iaculis,
antequam fieret fera.
ante tu fuisti asper, quàm ille hispidus.
nunquam magis erubuit,
quàm cum audijt se exuendum purpura.
nunquam erga te fuit mitior,
quàm cum ferinam minatus es formam.
terruisti postea alterum item Regem,
interpretatus inscriptas parieti notas,
hoc est dictam diuinitùs reo sententiam.
mero madentem perfudisti metu.
vertisti cœnam in scenam, luxum in luctum.



Digitized by Google

Mira vis, & auctoritas Vatis,
quem spoliandum prædixeras regno,
ab eo indutus es purpura.
cui è manibus extorseras sceptrum,
is ornauit te torque.
sed quid illa vaticinatione sublimius!
cum ex alta veluti specula
despexisti Regum omnium, ac gentium fata:
quatuor tibi obiecta sunt monstra,
quæ totidem significarent imperia,
quæ tamen vna contereret clava.
quid tua nobilius mente, vel celsius!
quæ infra se habuit
omnium ortus, occasusq; regnorum.
Insuper maiora edere es aggressus oracula,
præcinuisti videlicet venturum Numen in terras;
per septenos orbes repetitos annorum
aureum deuoluisti seculum;
clausisti oraculo perfidis ora,
quid mirum! clauseras etiam feris;
quippe leones, quibus obiectus es impiè,
vel dentibus exarmasti, vel vnguibus.
lusisti scilicet inter ferarum Reges,
qui non timuisti & Reges inter feras ponere.
obsignauit Rex anulo caueam,
ne quid noceret inuidia;
plus belluæ, quàm homini fidit.
Sed meruisti, vt euaderes liber à feris,
qui pudicitiam seruaras à procis:
iam iunior minatus es senibus
supernè districtum gladium.
magna laus, quòd te adultum timuerunt leones,
maior, quòd penè puerum lenones.

Dete-

Digitized by Google

Detexisti etiam sacerdotum mendacium fraudem,
& simul ingluuiem,
qui vero Numini subtrahebant cultum,
falso cibum;
cum putarentur Dij ideò viuere,
quòd sibi oblata comederent,
tu per stratum in pauimento cinerem
aptè ostendisti non viuere:
impressa nota fraudis in cinere
effecit, vt Dij redigerentur in puluerem.
explorata fraus est per vestigia pedum,
vt eos discerent conculcare.
At in dracone necando non vsus es claua,
sed medicatam porrexisti offam:
imbutas eius veneno mentes
nouo sanasti alexipharmaco,
obtulisti Stygio draconi picem,
vt intus arderet,
qui veræ religionis flagrabat inuidia.
quanquam mirum, quòd vsus es pice,
ne mortales eius adhærerent cultui;
addidisti adipem, sed vt extabesceret.
non poterat hoc pinguescere,
quem facit aridum liuor.
frustra iterum leonibus es datus in escam.
qui inter leones diuinitùs inueniisti escam.
meruit tuæ sublimitas mentis,
vt acciperes dapes Vates à Vate
per aerem prodigiosè suspenso.
epulatus es inter famelicas belluas:
ieiunæ illæ fuerunt, quandiù & tu ieiunus;
post te explerunt & ipsæ famem,
at non te depastæ, sed hostem.



Digitized by Google

# HABACVCVS
## Propheta.

Synop. *Ab vno Cœlitum per aerem euectus, ac ductus est Babylonem in leonum caueam, vt pasceret Danielem. vaticinatus est in primis de Christi in cœlum ascensu, ac triumphalem eius pompam descripsit.*

## ENCOMION 126.

Nihil de te dici potest non grande, non mirum,
qui grandis es dictis, mirus es factis.
vt alterius Vatis consuleres vitæ,
non dubitasti periclitari de tua.
non es veritus, ne, dum illum pasceres,
fieres ipse leonum pastus.
munita claustra subijsti sinè claui,
ad immanes ingressus es belluas sine claua. *Dan. cap. 4.*
tranasti aerem corpore mirè librato;
non minus hoc visum est leue
quàm, quo es apprehensus, capillus,
cibus, quem afferebas ad Vatem,
nihil addidit oneris,
quia pietas te faciebat alitem,
vox impennis alacrem.
pauisti sedentem inter ieiunas feras,
veritæ sunt te pascentem
quæ abstinebant à pastu.
noluerunt Superi parare ipsi mensam,
ne tua te pietate fraudarent.
apposuisti Vati epulum conuiuale
inter belluas sine frænis edomitas;
sed idem proposuisti spectaculum triumphale
inter hostes euictos ab exarmato Numine:
fuisti præcentor, immò penè victoriæ testis. *Habac. c. 3.*

Hæc:

Digitized by Google

Hæc vaticinans altiùs proueheris mente,
quàm cum ad Vatem prouectus es corpore.
dum venturum Deum prædicis ab Austro,
elatius ventorum euolas pennis.
dum arduo è monte deuocas Numen in valles,
Olympo videris, & Atlante sublimior,
præcinuisti elegans Deo pæana victori,
apparasti omnem Capitolij pompam,
triumphalem propè secutus es currum
laureatus videlicet Vates;
nullus adstitit de more monitor Mortis,
quia hanc descripsisti captiuam:
hòc magis extabuit illa liuore,
quòd nihil in pompa appareret ornatius,
quàm liuida, quæ inflixerat, vulnera;
eius falce collecta messis est gloriæ,
erubuisset affecta tot probris,
nisi tunc maximè fuisset infecta pallore.
quin etiam catenatus ipse Stygis tyrannus
Dei victoris veneratus est pedes.
perstrinxisti hebetes hostium oculos
armorum fulgore micantium,
siuè sagittarum luce vibrata,
siue fulgurantis hastæ splendore.
excitasti penè sopitum Ducis arcum,
vt hostium euigilaret ad necem.
nihil tum probrosius fuit Dite, vel vilius;
timidus est factus ex tumido;
iacuit Imperatoris abiectus ad pedes,
qui se extollendo fecerat caput.
hæserunt Sol, & Luna spectaculo:
minus sibi radiare sunt visi,
cum inserti sunt radij triumphalibus rotis.

ZE.

Digitized by Google

# ZOROBABEL
## Dux.

Synop. *Post diutinam seruitutem libertate concessa à Rege Persarum, redierunt Hebræi Hierosolymam sub hoc Duce, qui signaculum Dei dictus est, recepto sacro instrumento, quod Nabucdonosor Rex abstulerat.*

*Esdræ 3.*
*Aggei. 1.*

## ENCOMION 127.

Quid nos te dignum, Dux magne, dicemus,
cum ipsa te oraculi cortina commendet!
quàm insignis fuisti virtute,
cum te suum appellet signaculum Deus!
expressisti factis communis salutis Ducem,
nisi quòd ille & auctor fuit.
obsignasti receptam patriæ libertatem,
aureus veluti anulus,
sed quo diffracti sunt ferrei.
te Duce remearunt postliminio ciues
catenis soluti barbaricis,
sed beneficijs quà diuinis deuincti, quà regijs.
nulla fuit vel augustior pompa, vel pulchrior,
quia erepta templo reducta sunt vasa;
reportauit Religio spolia non aliena, sed sua.
nullus triumphus ornatior,
quia nulla pretiosiora sunt spolia.
quæ exaruerat gentis gloria, tunc refloruit,
cum reliquit pensiles Babylonis hortos.
quas suspenderant in salicibus citharas
non ante manu tangere voluere, quàm libera,
salices mutarunt amaras
in terram melle manantem.
iterum regionis sunt lacte nutriti
quia religioni renati.

IESVS,

Digitized by Google

# IESVS, siuè IOSVES Pontifex.

Synop. *Post Babylonicam seruitutem facultate accepta instaurãdæ vrbis, ac templi, functus hic est hierarchæ munere. oblatus est per visum Zacchariæ vestium sordes cum ornatu pontificio mutãs, quantũuis fremente hoste.* Esdræ 3. Zachar. 3.

## ENCOMION. 128.

Nihil augustius tui muneris maiestate, vel nomine
vtraque re Liberatorem repræsentasti magnum.
te principe sacrorum
Religio ereptum recepit decus.
nihil lætius captiuis fuit solutis,
quàm tuum caput infulis videre deuinctum,
fronte vittata.
sacerdotali cinxisti te balteo,
cum illi cœperunt ire discincti catenis.
Regis fuit inter tiaras versati Persicas
restituere pontificiam.
ipse recreari visus est Mundus,
cum tibi ea licuit indui veste,
in qua figuris ipse depictus erat arcanis.
nunquam explẽduerunt clariùs pectoris gemmæ,
quàm cum barbaro expolitæ sunt ferro.
tunc dulciùs insonuerũt crepitacula aurea,
cum catenarum siluit strepitus.
visus es Vati per speciem sordidatus, ac reus,
sed eum adumbrasti,
qui reorum elueret sordes.
scilicet, funerata patria, atratus traxisti syrma;
at reuiuiscente, candidam induisti byssum.
frustra Stygius hostis insultauit à dextris,
quia per istud nomen omnia ei contigere sinistra.

HOL-

Digitized by Google

# HOLDAS, TOBIAS, IDAIAS, HEN

Benefici Religioni.

Synop. *Iussus est Zacharias ab his, qui inter ceteros de*
Zach. 6. *seruitute Babylonica venerant, accipere aurum, ex quo*
*corona fieret Iesu filio Iosedechi, vt inauguraretur ritè*
*Sacerdos summus.*

## ENCOMION 129.

Habet & laureata Religio quadrigas suas,
vtique triumphales:
quatuor viri ad eius conspiratis ornatum,
nihil vobis à libertate fuit antiquius,
quàm vt illam pristino restitutam imperio
aurea donaretis corona.
circumducta est catena teres in orbem,
sed pietas, vt esset stabilis, fuit in vobis quadrata.
digni estis laude, qui impendistis aurum
non in muliebrem, sed in pontificium Mundum,
qui scilicet sacer fuit vestis ornatus.
quin etiam hoc maius cessit in decus,
quòd ea vobis decoranda pars obtigit,
vbi nomen erat inscriptum opificis Mundi.
recepisse per vos est visa Religio
insignia, quæ amiserat, regni,
quia incessit coronata.
non alio voluit oraculum vti auro, quàm vestro,
qui fueratis aliquando captiui,
quia fuerat calamitate, velut igne purgatum.
auri huius coronarij fulgor dici non potest,
quia inde illud radiabat nomen,
quod præ maiestate dici non licuit.
viluit tiaras Regis Persarum,
cum tiaram imposuistis Regi sacrorum.

EZE-

Digitized by Google

# EZECHIEL
## Propheta.

Synop. *Nobilitas eius vaticinij ostenditur; obiecta enim est ei species quadrigarũ Dei cum quadriformi animãtium aspectu. aliys quoque mirabilibus visis affectus est. descripsit in laterculo vrbis excidium.*

## ENCOMION 130.

Nunquam fuit tua mens tàm soluta, tàm libera,
quàm cum tenebaris Babylone captiuus.
vaticinatus es ad fluminis ripam,
sed non tàm fuit vnda pellucida,
quàm clara cognitio.
spreuisti omnem Regis Babylonij fastum,
cum triumphalem vidisti imperatoris Dei currũ. *cap. 1.*
prodromus ventus, ac turbo
non turbauit mentis intuitum.
electrina species Numinis
traxit, ac rapuit tuum ad se animum.
aspexisti lætus pacis insigne,
circumfusam Deo iridem.
cum volubiles tibi obiectæ sunt rotæ,
non es veritus, ne essent Fortunæ,
quia erant oculatæ.
inter oculos versatus es oculatissimus Vates.
viluerunt omnium triumphi Ducum,
cum gemmatas vidisti quadrigarum rotas
aurea chrysoliti specie.
quadriformes animantes subierant iugo,
sed varij vultus, vna consensio.
non alium agnoscebant aurigam,
quàm spirabile Numen;
eius voluntas pro habena fuit.



Digitized by Google

Omnia in his mira, sed illlud in primis,
quòd videris bouem vnà ferri cum aquila
pari vel volatu, vel gradu;
percurrebant vti stadium Circi citra sudorem,
pro meta erat Numinis agonothetæ gloria.
non poterant rotæ aberrare à cursu,
quia circumdatæ oculis.
plenum hoc voluptatis spectaculum fuit,
sed illud doloris;
cum immania scelerum obiecta sunt monstra;
perfosso pariete confossus est animus.
scilicet videre tibi visus es augustum delubrum
superstitione fœdatum;
non erectas vidisti palmas in cœlum,
sed repentes humi angues;
lacrymas non castè profusas,
sed pro incesti Adonidis nece.
nihil tenebricosius est obiectum,
quàm Sol oriens impiè cultus.
Præcinuisti non vnius gentis exitia,
sæpe scelestis diuinam intentasti virgam,
sed ne vapularent;
sæpè minacis oraculi fulmen,
sed ne perirent.
at vbi tua vox minando defecit,
descripsisti excidium vrbis in latere.
cum frustra cor pungeres, aggressus es pingere;
tametsi pietatis fuit,
quòd tu circumdederis machinis vrbem,
ne obsideret hostis;
arietasti, ne caderet;
molitus es vineas, vt esset sobria,
testudines, ne segnis.

Exag-

Exaggerasti magnitudinem scelerum cap. 4.
comportando aggeres.
iussus es tàm horrificæ indormire picturæ,
vt esset inquieta vel quies;
recubuisti, sed inter excubias;
iacuisti, sed inter telorum iactus.
puluinar tori cessit in puluerem campi.
admouisti laterem lateri,
vt ex vicinia cordis cresceret mœror.
obiecisti ante pugnam mucronibus latus.
vexatus es vigilans fame,
dormiens spectris.
quin etiam iussus es ex dimenso bibere:
paruisti, appendisti in lance aquam,
ne patria pœnas dependeret sanguine,
potu abstinuisti, non lacrymis,
temperasti ori, non oculis.
tametsi inter tot acerbitates positus rerum cap. 3.
os habuisti melleum,
siquidem iussus esse volumen,
sensisti illud in ore dulcescere,
papyrus abijt in fauum:
quanta sapientia creuisti, qui altus es libris?
apis more, pietatis melle manabas,
sed erexisti etiam seueritatis aculeum.
assuetus Vates stylum tractare scribendo,
arripuisti aliquando gladium minando;
nisi quòd aggressus es te ipse, non hostem;
totondisti tibi lugubri more capillum,
quem vento dispersum insecutus es ferro; cap. 5.
putauit quispiam te fortasse delirum,
sed voluisti probro tui capitis plecti
quicquid mente delirarent improbi.



Digitized by Google

Non dubitasti intendere vel Regibus minas;
perstrinxisti in primis superbũ Aegypti Regem,
obstupefecisti vaticinando Isiacos mystas;
oblatrare in te non est ausus Anubis,
nec bos mugire Memphites;
spoliasti quoque ostro Sidonium Regem.
At cum Tyriam fabricatus es nauim,
cap. 27. elegantior habitus es Vates lingua,
quàm vllus artifex manu.
calamo illa melius est perfecta, quàm malleo.
byssino malo suspendisti carbasa,
sed candidior fuit stylus.
esset planè velificata feliciùs,
nisi tumidiùs.
fecit iacturam, quia egit iactanter.
meritò sceleста Tyrus tuis expalluit minis,
quia cum versaretur inter purpuras,
nunquam erubuit.
cap. 40. Descripsisti arcanam templi vmbratilis formam;
penè certarunt calamo
Superi metiendo, tu scribendo.
Sed illa species vel luctus plena, vel gaudij,
cap. 37. cum tibi visus es squalentem ingredi campum,
commune interfecti exercitus bustum.
at non vnum ibi vidisti phœnicem,
suo reuiuiscentem è cinere;
madefacta videlicet tuis lacrymis ossa
reflorescere visa sunt vita;
spirabilem euocasti auram.
suspirijs tuis.
surrexere cadauera te iacente;
in similitudine mortis vidisti imaginem vitæ,
anteuertisti communem anastasin mente.

ZAC-

Digitized by Google

# ZACCHARIAS
## Propheta.

Synop. *Affectus est miris, & arcanis visis, in primis inter myrteta Cœlitibus, & aureo candelabro inter oleas duas. & volumine volucri. meminit etiam magni Liberatoris vulnerum.*

## ENCOMION 131.

Nihil tuis aut clarius, aut sacratius visis. cap. 1.
inter myrteta obiecti sunt Cœlites,
vt spes tuæ virescerent gentis,
tunc pulchrior euiruit myrtus,
cũ apud eã non Venus, sed venusti visi sunt Superi.
aureum etiam vidisti lychnucum
inter geminas oleas; cap. 4.
arsisti tu quoque pietate, fulsisti virtute.
at cum volumen sese obtulit alatum,
ferebatur tua mens illo sublimiõr,
incitata videlicet Numine.
præcinuisti lætum, ac nobilem triumphum
equitantis Dei,
quanquam vili iumento.
sed nihil ceciniſti suauius,
quàm diuinis inflictas manibus plagas. cap. 3. 12, 13.
scripsisti pulchriùs tu purpureis vulnerũ,
quàm alij aureis notis.
cum Solymen vrbem præuidisti laxissimam,
mœroris anguſtijs laxasti animos.
vt tolleres hostilis incendij metum,
euasurum dixisti Deum
in murum igneum, cap. 2.
cum scilicet, qui condidit Mundi mœnia,
fore pro mœnibus.

AG.

Digitized by Google

# AGGÆVS

## Propheta.

*Synop. Hortatus est eos, qui seruitutis execuſſerant iugũ, vt euerſum templum reſtiterent, propoſitis minis de Dei ſeueritate, ac præmijs; atque adeò de ipſius Dei in terram aduentu agit.*

## ENCOMION 132.

Quod extruet tibi Religio monumentum gloriæ,
qui extruendum ipſi ſacrum auguſtale curaſti?
cum illa diu fuiſſet extorris, & exul,
receperat regnum, ſed regia carebat domo.
inſtauratum eſt poſt ruinas, te auctore, delubrum;
excitaſti animos, impuliſti etiam minis;
nefas eſſe dixiſti
proceres laqueatis fulgere ſub tectis,
religionem iacere ſub diuo.
qui ſeruitutis euaſerunt ferrum,
Deo debebant aurum.
qui ex anguſtijs emerſerant carceris,
amplam Liberatori domum.
turpe erat, manus vinculis iam ſolutas
in operando eſſe tàm ſegnes.
admouiſti etiam ſtimulos gloriæ,
poſterius delubrum præferens primo.
fuiſti optatiſſimi nuncij præco,
cum illuc præcinuiſti venturum
cunctis expetitum gentibus Numen.
obliteraſti vanam Amphionis laudem,
quia ad ædificium non muri, ſed templi
procurrerunt ſaxa:
vſus es oraculis, non vt ille teſtudinis ſono,
ne omen operi faceres tarditatis.

MALA-

# MALACHIAS

Propheta.

Synop. *Eum quidam ob insignem virtutem Angelum, vt nomen ipsius præfert, suspicati sunt. in Sacerdotes inuehitur malos. prædicit ablato vetere, nouum, & diuinum sacrificium, & Christi ortum Solis instar alati.*

## ENCOMION 133.

Suspicati te sunt in terras è cœlo delapsum
è magnis Proceribus vnum,
magnitudine videlicet obstupefacti virtutis;
sed maiori dandum est laudi,
quòd mortali concretus ex corpore
immortalium vixeris vitam.
voluisti tui similes esse ministros sacrorum,
increpuisti facientes sacra, sed execrabiles factis;
fulgentes byssi candore, non morum,
pia adolentes thura, non redolentes pietatem,
qui inter victimarum fumum
se attollerent elatius fastu,
aram madefacerent cruore, non lacrymis;
offerrent liba, sed libato pudore,
facerent, sed infecti.
At quanta illius magnitudo fuit oraculi,
cum religionem ex vnius vrbis angustijs
euocasti in amplum terrarum orbem!
vbique aras excitasti, vbique delubra.
substituisti mactando pecori Deum.
non tu dictis ambiguis, & obscuris, vt Pythia,
tenebras offudisti menti,
siquidem præcinuisti veri Solis exortum,
ac ne protraheret vota, feciste pennatum.

ESTHER

# ESTHER
## Regina.

Synop. *Ex captiua facta est Regina. gentem suam morti addictam liberauit. visa est per speciē Mardochęo instar exigui fōtis, qui excresceret in fluuium, ac mox explendesceret in Solem.*

### ENCOMION 134.

cap. 2. Placuisti virago Regi
vnguento delibuta myrtino,
nec tamen, vt myrtus, fuisti Veneri sacra,
ne habereris execranda.
viruisti tunc maximè,
cum exardescebat ira Dynasta impius.
orbem terræ complesti odore famæ,
myrtei rami creuerunt in sceptra,
iungenda cum aureis virgis.
cum apud barbaros captiua seruires,
mutasti ferreas compedes cum diadematum vittis;
vile olorum cum baccato monili,
iugum seruile cum fascibus.
inimica fastus, tamen ornasti te auro,
ne tua gens periret ferro.
regiam induisti pallam,
ne illa exueret vitam.
explicuisti laqueos periculo tuo;
non dubitasti adire Regem iniussa,
vt sæua in tuos rescinderet iussa.
miseram tuorum sortem ex vrna eductam
diuinitùs sortitus est hostis.
sine te vrna sortium cessisset in vrnam
quà lacrymarum, quà cinerum.
penè vna fuit populi ceruix,

Quam

Digitized by Google

Quam Persicus amputaret acinacis.
At tu audito nuncio communis exitij,
nouum cepisti consilium,
caput turpasti cinere,
vt tua gens euaderet mortem.
loca luxus feciſti luctus,
ne locus esset lugubri scenæ.
sed adijsti Regem nonnisi composita,
vt iratam illius componeres mentem.
nunquam stetisti spe firmior,
quàm cum simulasti metu te labi.
nisi virgam ille tetendisset in te,
vapulassent grauiter tui:
apicem virgæ libasti osculo,
vt eam faceres dulcem.
orba patria, patrona patrui,
captiua ijs, qui te ceperant, imperasti.
quàm de te mira vaticinatio fuit!
quàm pulchra tui species oblata per somnum!
vidit te patruus primùm quasi paruulum fontem,
sed qui statim amplo inundaret alueo.
vidit liquidas, ac pellucidas vndas
in lucem, Solemq; conuerti.
factus est ex aquæ fonte fons lucis,
vt perennius manaret gloria.
scilicet extinxisti calamitatis incendium vnda,
sustulisti gentis occasum oriens.
non perstrinxisti tantùm hosti oculos luce,
sed perpetua clausisti nocte.
at Sol, qui colebatur in Perside,
cœpit maiores, ac nouos pati defectus,
non, vt natura fert, Lunæ,
sed clarioris oppositu Solis.



Digitized by Google

# MARDOCHÆVS

Patruus Estheris.

Synop. *Cũ non inclinasset se superstitiosè impio Dynastæ, damnatus est cruce, in quam ille potius actus est. eodem præcone per vrbem circũductus cum purpura. in somnis Estherẽ vidit specie sõtis, ac Solis; se pugnacis draconis.*

## ENCOMION 135.

Quàm recta mente fuisti heros,
cuius caput nequiuit flectere Procerum fastus!
tibi paratam ad interitum trabem
extulisses in trophæum, nisi ipsam turpasset hostis.
dirum aures verberabat edictum:
aut inflectat caput Dynastæ,
aut ceruices securi.
sed prætulisti ad decus ea mox tela,
quæ perferre iussus eras ad dedecus.
mirum spectaculum. hostis tui factus est præco.
qui tibi dixerat sententiam reo,
dixit elogium penè iam Regi.
vidisti pridem effrænatum ira
equitanti tibi præire cum fræno.
vidisti trabeatum principem
de infami trabe suspensum.
induisti purpuram, ne tui rubescerent cæde.
scilicet dum somno quiesceres,
obiecta tibi est species futuræ quietis,
dum rigarentur sopore membra,
pellucidum conspicatus es fontem;
inter tenebras noctis tibi Sol fulsit.
sed exhorruisses, cum te vidisti draconem,
nisi sensisses te excubare vel aureo ramo, vel virgæ
sceptriferę videlicet Reginæ custodem.

ESDRAS

Digitized by Google

# ESDRAS

Scriba.

Synop. *Sacrarum literarum nouos characteres inuenit, sententias in ordinem redegit. earum lectione miros animorum motus excitabat. nuptias cum alienigenis contractas irritas fecit.*

## ENCOMION. 139.

Non tu literis silendus es Latijs,
per quem seruatæ sunt diuinæ.
ingrati animi vitio Sapientia notaretur,
si te presso ore dimitteret,
cui oraculorum commissæ sunt notæ.
sacras exarasti literas stylo,
tanquam vomere vsus aureo,
vt existeret seges fœcunda virtutum:
incidisti nouos characterum sulcos,
quos etiam irrigasti lacrymis.
fuisti non magis scriba, quàm præco;
cum piè legebas, pietatis colligebas fructus;
refloruit, quæ exaruerat, Religio,
te vel agri, vel Dei nacta cultorem.
mores, quos induerant apud barbaros tui,
non tàm minis delesti, quàm fletu.
vt nuptias aboleres incestas,
tuis extinxisti lacrymis tædas,
quæ flagrarent, sed fumo, non luce;
cum captiuos vidisti solutos,
non ante frontem explicasti lætitia,
quàm illos probrosi thalami vinculis.
non tibi tàm graue visum est seruitij iugum,
quàm initum sine Religione coniugium.
tuũ conscidisti pallium, vt illi rescinderent pactũ.

# NEHEMIAS

Artaxerxis pincerna.

Synop. *Cùm ob Hierosolymæ excidium mœsto vultu Regi propinaret vinum, Rex audita causa mororis, iussit euersa instaurari mœnia. extruebant ea Hebræi armati gladijs, cum hostes ædificationem impedire conarentur.*

## ENCOMION 137.

Non potuit Persicæ splendor aulæ
aciem oculorum ita perstringere,
quin aspiceres tuæ gentis ærumnas.
inter auream Euphratis arenam
versabatur ante oculos patriæ cinis;
inter barbaricum purpuratorum cultum
ciuium squalor.
propinare Regi non poteras merum,
quia permiscebas lacrymas.
dum vina porrigeres,
feciſti eum pietate sobrium.
vrbem refeit incensam,
cum concaluit mero.
nullum ab eo tàm sapiens initum consilium,
(mira res) quàm inter pocula.
expresso liquore per prælum
oppressis subueniſti ciuibus.
restinxisti de more patriæ rogum vino.
At dum instaurabas mœnia,
pugnasti pro mœnibus;
adhibuisti eosdem simul & fabros, & milites;
altera manu cæmenta gestabant, altera ferrum:
illud pietatis argumentum erat, hoc roboris.
nouum armatorum genus, & dignius laude,
qui & destruerent hostem, & extruerent patriam.

SIMON

# SIMON

## Pontifex.

Ecclef. 50. Ioſephus.

Sxnop. *Iuſtus eſt appellatus. laudatur mirificè in ſacris literis, ac variis rerum imaginibus illuſtratur. Soli, Lunæ, Iridi, floribus, proceris arboribus ſimilis dicitur. templum ornauit. aquas in vrbem intulit.*

### ENCOMION 138.

Profluenter manare debet oratio
habenda de te,
qui ſacram impleſti vrbem aquarum ſcatebris,
quanquam humana maior es laude,
qui diuinis commendatus es notis.
nihil vel perennius tua pietate, vel gratius,
quæ ſe abundè profudit in ciues.
meruiſti vel hoc aquilegij nomine,
vt omnes in te largè confluerent
laudum fontes.
aptè pluuius dictus es arcus
inter nebulas gloriæ:
tenuiſti oculos admiratione virtutum
noua Thaumantias,
hòc pulchrior, quòd vero colore, non ficto.
laudandus es iure, qui dictus es iuſtus:
gaude triumphali cognomento virtutis
nobiliore, quàm inſignium Ducum.
per te religio priſtinum obtinuit decus,
cum auguſtum exornaſti delubrum,
cum diuinitatis apparaſti tortinam.
ſubieciſti labanti moli Pontifex humeros,
ſed, vt eſſet pretium pietati, ritè gemmatos.
matutinus dictus es Lucifer,
nihil tamen commune tecum habuit Venus.

Aſſi-

Digitized by Google

Assimilatus es Lunæ orbe iam pleno,
sed maior visus es orbe terrarum,
quem pictum in veste gestasti.
quin etiam Solis instar in templo fulsisti;
nouus religioni Sol obtigit,
qui non occideret.
idem vernæ comparatus es rosæ,
at nulla florem procella decussit.
incendisti Sacerdos thura
hòc fragrantius, quòd pro acerra cor fuit.
vas item auri dictus es solidum,
claris distinctum gemmis,
sed inter aurea delubri vasa versatus
vel pulchritudine anteijsti, vel pretio.
superasti cupressos, & cedros
altitudine gloriæ.
prætetulisti quoque oleam
& viriditate virtutis, & omine pacis.
ambijt te corona nobilis fratrum
sacrorum videlicet Regem.
circumsteterunt illi ad aram veluti palmæ,
quia ex religione parta victoria.
vnus tot, ac tanta complexus es decora
cœli, terræq;:
nimirum tecum ferebas textilem Mundum;
non fuit hic arte compactus in vitro,
quia virtus fortunæ illudit vitreæ.
signifer ille bissenis conflatus ex gemmis,
dum faciebas, fulgebat in pectore;
inde pro defluuijs manarunt oracula:
at ne mentiri videreris sidera,
simulata luce virtutum,
inscripta in signifero Veritas fuit.

ONIAS

# ONIAS

Pontifex.

Synop. *Laudatur hic in sacris literis, quòd à pueritia integrè vixerit modestus moribus, & decorus eloquio. apud eũ Heliodorus sacrilegus Cœlitũ flagris vapulauit. ipse impiè à fratribus occisus, sed mortuus pro suis orauit.* 2. Mach. 4. & 15.

## ENCOMION. 139.

Vel ideò es decorandus elogio,
quòd dictus es decorus eloquio.
præconio laudatus maiore, quàm nostro,
scilicet orator oraculo.
descriptus es in primis verecundus aspectu,
modestus moribus;
adulta virtus etiam in puero fuit:
pontificiam purpuram benè præiuit pudor,
byssum candor.
efflorui sti pulchrè non minus in rosam,
quàm in lilium.
laudi datum est, quòd præcox fuerit virtus.
maturus fuisti semper, acerbus nunquam,
etiam in impios mitis:
nempè tibi debuit vitam,
qui Deo vindice cædebatur ad necem
sacrilegus Heliodorus:
ausus est delubri adyta subire cum ferro,
vt abditum erueret aurum,
sed incidit venator in plagas,
iaculator in iacula;
prædo factus est præda:
statim demissi sunt Cœlites,
qui arcerent furem,
imò qui exercerent pœnis.

Nonum

Digitized by Google

Nouum ſupplicium: vt Ducem domarent effrenē,
diuinitùs incitatus eſt equus;
in ipſum, qui temerè intulerat pedes,
cum impetu eliſit calces.
exſplenduit aureis ſeſſor in armis,
vt ſacrum cuſtodiret aurum.
quin etiam viſi de cœlo duumuiri
acribus armati flagris;
eminebat è vultu & decor, & ira;
is, qui cum ſuis venerat faſcibus,
alienis vapulauit virgis.
inter gemitus pro delubro tuos
hoſtis crepitabant plagæ,
inter lacrymas tuas
inimici ſtillabat cruor.
liuida retulit terga,
qui templum tetra ſubijt fronte.
fleuit nudatus ad verbera,
qui ſacra inhiabat in ſpolia.
formidoloſo quatiebatur anhelitu,
qui anhelabat ad prædam:
penè iam ille conciderat victima,
niſi tu ſuffeciſſes piè vicariam
pro hoſte hoſtiam.
ſed quid tandem egiſti pro ciuibus,
qui pietate complexus es barbaros!
viſus es per ſpeciem Iudæ fortiſſimo duci
paſſis manibus orare pro tuis.
Cecidiſti ambitioſi fratris inſidijs,
at ſic ſtabas erectus ad vota.
hoc de tua pietate fama vocaliùs dixit,
quòd conclamato licet corpore cruento,
tamen aduerſus impium fratrem
tuus non reclamitauit cruor.

COL-

Digitized by Google

# COLLATIO EXTERORVM

## QVI MACHABÆIS FVERE Synchroni.



AD Machabęorum tandem deuenimus tempora. scilicet hic me vetus expectabat Roma, hũc obsidebat locum; florebat hac præsertim ætate apud ipsam virtus bellica, virebant tunc maximè laureæ, Capitolium spolijs diuersarum gẽtium implebatur; vbique trophæa suspendebantur, statuæ victoribus erigebantur, ludi denique dabantur: nempè ludus erat quicquid tũc à Romanis agebatur præ rebus, quas interim Machabæi duces summa cũ contentione, ac fortitudinis laude gerebant: nimirùm hi pro vera religione, ac patrijs sacris pugnabant, quamobrem nonnunquam miro modo pro auxiliaribus copijs habuere Cœlites. adde quòd hi Duces pariter, ac Pontifices fuere, quò certè nobiliores erant laureæ, quia sacerdotalibus insertæ, & consecratæ infulis. nunquam arma bellica resplenduerunt magis, quàm cum ab his tractata, qui pontificio fulgebant honore. pietatem secum tulerunt etiam cum ruebant in vulnera; neque aliunde putarunt, quàm è cœlo in finum deuolaturam esse victoriam. Saluete heroes inclyti, & meam operam, laboremq; boni cõsulite, dum vltimum hoc exhibeo, sed admirandum vestræ virtutis argumentum, ac planè spectaculum triumphale.



Digitized by Google

## *Quadam de Machabæi nomine.*

*Vide Serarium.*

*Exod. 15.*

*Alex. ab Al.*

AFluit ipsum nomen laude, quocunque de fonte deduci, ac manare dicatur. Iudæ hoc nomen strenuo Duci obtigit primò, deinde ad fratres quoque, alioſq; qui inter horum commemorantur acta, defluxit. sunt qui putẽt hanc vocem ex quatuor arcanis literis constare, quæ apud Hebræos initia sunt eius sententiæ in Mosis ep nicio, qua nemo in fortibus assimilari dicitur Deo. eam sententiam quatuor ijs notis, siue elementis quasi compendio inscriptã suo vexillo Iudas habuisse dicitur, tanquam militarem tesseram ad victoriæ sperandæ omen; cuiusmodi fuit postea illud Constantini Cæsaris: in hoc signo vinces. quod certe tessere genus longè nobilius, & auspicatius fuit, quã im quo exteri Imperatores, ac Duces vsi sunt. nam Antiochus cognomẽto Soter aduersus Galatas ducturus exercitum signum proposuit: Benè valere: at Claudius (æsar definiuit tesserã in illa verba: Veri vlciſci deceat, qui antea fuit iniurius. Seuerus autem Septimius, Laboremus, inquit. Pertinax: Militemus. alia quoque symbola vsurpari solita credere fas est diuinis; vel quod habuit in castris Cæsar, Venerem scilicet genitricem; vel quod Pompeius, Herculẽ inuictum; vel quod Antonius, Lare; vel quod Syllanus exercitus, Apollinem; vel quod fuisse aiũt in Caligulæ castris, Priapũ, & Venerem; Imperatoris videlicet turpitudini congruentes. nam illam, quam Nero militibus tesseram dedit, quis non miretur? Optimam matrem; scilicet is, qui pessimè interemit suam. neque verò quicquam milites inuẽre ceteri, siue quæ data est a Cyro: Iuppiter belli socius, & dux; siue quæ a Demetrio: Iuppiter, & Victoria. hæc inquam, & si quæ sunt alia ab exteris Ducibus excogitata incitamenta virtutis bellicæ, inepta, ac vana fuisse dicemus, si Iudæ Machabæi consilium consideremus, qui potentis Dei fortitudinem, cui nullum præsidium innocẽti simile possit, suis copijs tesseram dedit, Iam alij hoc Machabæi nomen aliunde deducunt, hoc est ab hebraico verbo, quod extinguere significat, vt Iudas ob crebras victo-

rias,

Digitized by Google

rias, & hostium strages tanquam inimici exercitus extinctor sit dictus: quemadmodum apud exteros à belland o Xerxes, à strenuè debellãdo Artaxerxes potrò alij contractis hebraicis vocibus hoc nomen efformant, vt idem Machabeus sit, quòd belli vis, siue robur in Iuda; quod quidẽ consentaneum videtur elogio Mathatiæ patris, qui Iudam appellauit Virum belli, & cui Deus dedisset vim, & robur, & cor instar leonis. hæc igitur de nomine ipso tanquam laudum fundamenta sint iacta.

# ELEAZARO, & Septem fratribus vnà cum matre, & alijs quibusdam Synchroni.

ELeazari senis memoria iuuenescit in dies, quia ne iuuentutem prauo traheret exemplo, non modò non eiurando, sed nè simulando quidem religionem prodidit. contaminato abstinuit cibo, vt aleret puram in posteris pietatem. oblitam cœno pecudem auersari disciplinam putauit castimoniæ; nec solùm iniustum esse, sed impium sacra instituta fallere maiorum; indignissimum autem sacerdotales dedecorare insulas, ac perfidiæ puluere deturpare canitiem. itaque factum est contra votum hostis, vt esset ceteris constantiæ magister is, qui torquebatur ad infirmitatis exemplum. porrò genus supplicij, quo affectus obijt, vt græca vox indicat, tympanum fuit; distẽtus quippe est pellis more; tum dirum in modum repetitis ictibus pulsatus. atqui hostis sibi potius omen siniſtrum fecit: quid enim aliud tympanum illud fuit, quàm classicum, quo hic tùm maximè indicebat bellum, cùm victus cadere putabatur. Quanquam ea tempestate alia quoque admiranda spectacula dedit prisca religio. nã cum Antiochi impij regis edicto mors proposita esset ijs, qui Iudaicos sequerẽtur ritus, inuentæ sunt mulieres duæ, ac productæ, quòd patrio

Serra-



Digitized by Google

more circumcidissent infantes. comprehêsæ igitur statim, & vnà cũ ipsis ad vbera suspensis quasi per ludibrium circumductæ, tùm de mœnibus vrbis per summam impietatem præcipites actæ. Quo item tempore cum multi in proximas concessissent specus, ibique clàm celebrarent sacra, solemnemq; diem agerent, re patefacta, & præfecto indicata, flammis traditi sunt. quanàm hos corona dignos dicemus? parui certè pretij æstimabitur corona illa, quã tùm, cùm hæc gerebantur, Rhodij Romam ad senatum miserunt, vt ciuium beneuolentiam emerent, ea fuit è solido auro efficta, & gemmis illuminata clarissimis, in quam viginti millia aureorum inpensa fuisse dicuntur.

Rhodij.

His accedunt septem cum religiosissima matre liberi, accepturi & ipsi coronam; immò ijs coronata religio est. qui profectò septem nobilissimi fratres multò maius huic decus attulerunt, quam septicolli reginæ vrbium Romæ corona illa ingentis pretij, quæ à Rhodijs data dono est. adfuit autem ipsorum certamini non modò spectator, sed munerator Deus. Oppugnabat tunc Macedoniam Paulus Aemilius, depopulabatur agros, vastabat vrbes, sed munitus armis, atq; exercitu: at hi sola pietate armati militabãt; ac mater quidẽ ne pulcherrimo tantæ cõstãtiæ spectaculo careret in liberis, vltima obiit. quãti verò hæc animi fuit? quæ parũ fortitudinis inesse rata solùm perferẽdo cruciatu suo, pertulit etiam necẽ filiorum. toties vidit sua dilacerari viscera, quoties illorum. obstupuit ea ætas noua cernens matrum in filios vota; id enim vnum hæc metuit, ne quis superstes reseruaretur. tandiù voluit viuere, quandiù vidit illis eripi vitam, sed nimirùm nolebat quemquam subtrahi titulo triumphali. refertus erat locus cruentis cadaueribus filiorum; mater non modò non fleuit, sed neque oculos morientium de more compressit; nec lauit vulnera, quòd putaret, pulchriores è castris redire, si concreti puluere essent, & cruore obliti pro religione fuso. fœcundior virtutibus heroina, quàm fœtibus, inter victores filios non vno victrix in certamine: non modò natos eduxit in aciẽ, sed acuit dictis. hi verò fortiores pœnis suis fuerunt, lictoribus

Paulus Aemilius.

ribus alacriores, immò etiam acriores; ardentiores ipsi, quàm flammæ, quibus comburebantur, visi sunt. victum est omne crudelitatis ingenium, & quicquid immanis excogitauit furor, euanuit; inter supplicia fuerunt patriæ legis memores, non doloris sui: cùm diffluebat vbertim cruor, hoc tantùm verebantur, ne extingueret flammam. soluebatur volubili rota compago neruorum, sed sententia manebat immota. plenæ erant feruentis olei sartagines, sed inungebat athletas. excæta prius est lingua, vt triumpho ea præcurreret, quæ præconium fidei ediderat prima. sed cum hæc præcisa desiit loqui, tot exortæ sunt vocaliores linguæ, quot vulnera.

## MATHATIAE patri Machabæorum. Synchroni.

MAthatias heros, & parens heroum primus ad religionis, & vrbis libertatem exarsit, quam Antiochus oppugnabat. dolebat videlicet, & intimis sensibus angebatur, cùm videret passim Iudæos aboleri ritus, prohiberi sacra, simulacrum Olympij Iouis in templo statui, diuina iura rescindi, sacros libros igni tradi, ac præterea, ipso die natali Regis cogi ciues hedera coronatos choreas agere, ac more Bassaridum in Bacchi honorem Orgia celebrare lymphatos, ac raptare thyrsos. nihil indignius visum est Mathatiæ, quàm gentem vero Numini addictam, ac proinde regiam seruire Libero, ac ceteris Dijs turpiter operari Græcanico ritu. erat tum ipse in Modino oppido, cum animaduertit vnum è suis popularibus extrario cuidam Deo aras erigentem, ac thus adolentem. ergo indignatus facto, ex improuiso aduritur homine, atque in medio opere obtruncat. mox Antiochi præfectum, qui ad impium Deorum cultum populum adigebat, ferro opprimit. alta deinde voce Iudæos pietatis patrijq; ritus admonens, cum liberis, ac non parua oppidanorum manu in deserta mon-

montium tolcedit, ad eum tanquam ad asylum, ac vitæ ducem cum multi confluxissent, eodem, quo ille, studio seruandæ religionis incensi, passim erectas spurijs, ac larua tis Dijs aras euertunt, atque eorum sacris intentos inter execrabiles victimas mactant. tum Mathatias eam promulgat legem, vt quoniam nonnulli, solemni die ex gentili instituto vacandi, ab hostibus lacessiti mori, quàm se tueri maluerãt; liceret deinceps pro vita, & patrijs legibus, etiam tùm dimicare ferro; puerosq; quicunque recens enati essent, nondum recutitos ritè circumcidere. multa eo anno Mathatias retulit impiorum spolia, multa extulit trophæa, hoc præclariora, quòd in monte constituta. Inter hæc Paulus Aemilius de Macedonia triumphum egit ornatissimum, at tot manubijs abundantè, vt triduo acta sit pompa: primus dies signis tabulis, & colossis trãsmittendis cõsumptus est. ducẽta quinquaginta vehicula huiusmodi rebus onusta longo ordine traducta. postero die spectata Macedonum arma auro, & argento cœlata, galeæ, scuta, thoraces, ocreæ, Cretenses peltæ, Threicia tela, pharetræ, equorum frænа, enses, sariſſæ, vt fuerant in prælio, armis affixa. ad hæc bellici currus, ac tecta, & amplius ingentia vasa ex argento, quorum singula quaterni viri subnixi grandi pecunia refersa gestabant; alia deinceps multitudo crateres argenteos, phialas, calices ornatissimos, & similia sympotij, mensæq; instramenta ad tria millia numero præferebat, qui scilicet scyphi dulci fortunæ ebrium Aemilium indicabant. tertia porrò hæc tibicines bellicũ canentes præcessere. ũm centum & amplius boues inauratis cornibus secuti vittis, ac sertis ritè ad sacrificium instructi, vnà cum Camillis, ac Popis, posthæc vasa aureis talentis, ac pretiosissimis lapillis plena pompam auxerunt. Antigonea quoq; Seleucia, Therieles, & quæ Persei fuerunt ex auro omnia; deinde currus cum armis ipsius Persei, & diademate super imposito actus est; in altero curru Regis filij transuecti; hos sequebatur Rex ipse pulla veste amictus malorũ magnitudine prorsus attonitus cum comitatu captiuorum procerum. nouissimè aureæ coronæ ductæ quadringentæ; quas honoris gratia Græciæ ciuitates Aemilio donо dederant. ipse verò Aemilius indutus purpura auro con-

*Sabel.* Paulus Aemilius.

contexta) laurique ramum dextera gestans insigni curru vehebatur, cũ laureato milite, & pæana concinente victori. nihil eius triumphi magnificentiæ addi posse videtur, qui ramẽ cum eo, quem eodem tempore de impietate retulit Mathatias, collatus cedat oportet. duxit huc in triumphali pompa non simulacra oppidorum, sed Deorum, quibus infestissimus fuit; non ex urbibus, sed ex aris, ac fanis ipsorum direpta donaria ducta est non Macedonia, sed superstitio captiua: denique Aemilij triumphus (quæ rerum humanarum vicissitudo est) intra paucos dies in squalorem abijt, ac luctus fuere filiorum; at verò Mathatias quinque superstites liberos post se reliquit, qui & ipsius reliquias impietatis acerrimè armis inuecti pariter triumpharunt. *Plutar.*

# IVDAE MACHABAEO Synchronus.

IVdas, qui primus Machabæus est dictus, Mathatiæ filius omnium exterorum Ducum, atque Imperatorum gloriam facilè superauit. huic Apollonium hostem Samariæ præpositum bello petenti. deinde Saronẽ inferioris Syriæ, mox Ptolemæum Dorymenis filium, Gorgiam item, & Nicanorem exercitum duces quadraginta millibus peditum, & septem equitum ad virtutem secum nauandam accensis, atque ope diuinitus quæsita per inediam, ac preces profligauit. quarta expeditione Lysiam tribunum militum cum sexaginta peditum millibus, & equitum quinque strenuè debellauit. post hæc expiare, ac restituere sanctissimum delubrũ aggressus muro circumdedit, constitutis qui perpetuum præsidium agitarent. deinceps Idumæos, ac Timotheum Ducem Ammonitarũ sustulit. cum signis arcẽ obsidet, deinde Eupatrẽ milite, & elephantis instructum fugat. postea verò Antiochi Regibus, vita functis, sub Demetrio Bacchidem eius Ducem, & Alcimum pseudosacerdotem vincit; altero autem prælio Nicanorem cæsum, & vita exuit. Quinetiam hos crudeli de mortuis voluit è sua gente, pro quorum solutionis vinculis soluit angustum. multa illi contigere præclara;

rasi. Iudam autem præclarissimum, quòd habuit in bello præsidiarios Cœlites; semel enim, atque iterum ab ijs tectus, ac septus, aureo quoque gladio ad debellandam impietatem per visum à Ieremia Vate donatus. neque tamen ob res tot, tàmq; insigniter gestas gestijt nimium inani lætitia, sed omnia retulit accepta. Nnmine contra quàm M. Iuuentius apud Romanos hoc tempore egit; qui cum Corficam armis subiecisset, receptis à Senatu literis nunciatibus decretam sibi gratulationem, ac supplicationem ad puluinaria Deorum, adeò immoderatè, atque effusè gauisus est, vt oppressis ob nimiam voluptatem sensibus, obortaq; subita caligine lumi conciderit exanimis: elatus igitur est funere, quòd intemperanter elatus, esset gaudio. Cecidit eandem Iudas in extremo cum Bacchide, Alcimoq; conflictu, sed defatigatus potius vincendo, quàm victus: Incidit in eundem annum & L. Pauli Aemilij mors, eius scilicet, qui deuicto Perse Macedoniam populi Romani imperio adiecit, qui tot opimis spolijs vrbem ornauit. prosecuti sunt eius funus magno cum luctu, & beneuolentiæ significatione. subiecerunt humeros, eius pheretro triumphali proceres, qui Romæ tunc erant, Macedonum, Ligurum, Hispanorum. ageris conser Iudæ fortissimi ducis occasum. non hic domi, sed in acie; non in lectulo iacens, sed in campo depugnans obijt. suppositurunt autem humeros suos non exteræ nationes, sed fratres gloria. præclarissimi, qui ferè omnes duces, ac pontifices postea fuerũt; ab his excitatum est illi, vti mox dicemus, pulcherrimum, ac nobilissimum mausoleum, quod esset immortale monumentum præstantis, eximiæque virtutis.

M. Iuuẽtius.

## ELEAZARI Synchroni.

*Ioseph.* ELeazar, qui Iudæ germanus meritò putatur, alter ab illo, qui fœdi animalis abstinuit cibo, admirabile virtutis spectaculũ in arena dedit. eduxerat in aciem Antiochus, cùm Iudam oppugnaret, ad terrorem incutiendum simul, & stragem edendam, non militum modò, sed elephantorum mul-

Digitized by Google

multitudinẽ ingentem,& aſpectu, & immani corporis vaſtitate præferente ſæuitiam. inſuper ad feritatem naturæ ars acceſſerat,quæ belluas armis inſtruxerat; quippe ijs impoſita erant præcelſa propugnacula,atque turres,quæ ſagittarios continerent. perſonabant omnia, quà militũ clamore, quà lituorum,tubarumq; clangore,quà horrendo belluarũ barritu. hìc Eleazar inſignem conſpicatus elephantũ inter ceteros ornatũ phaleris regiè,ratus eo Regem inuehi,è veſtigio impetũ facit,ac multis hoſtiũ interfectis, in quos incidit obuius,cũctis verò metu cedentibus,& inuſitato fortitudinis ſpectaculo obſtupefactis, ſuccedens ipſe ſub vterũ,confodit belluã,quæ accepto luculento vulnere concidit, & ſimul ipſo pondere,ac mole corporis ferientem opprimit. ita præſentis, atque præſtantis animi heros inter hoſtilium cadauerũ aceruos trophæũ nobiliſſimũ excitauit. Erubeſcit hic vetus Roma, & ſuorum in non admodũ diſſimili facto afferre pudet exemplũ: nam hoc ipſo anno legatus Gn. Octauius in Syriã miſſus erat. cùm autẽ Senatus audiſſet, multos elephantos eſſe in Syria, iuſſit omnes ab Octauio interfici; ne in vſum belli deſeruirent hoſti. id cũ eſſet actum,quia ſpectaculũ illud indigenis miſerabile,atq; indignũ eſt viſũ,manſuefactas videlicet arte belluas, & naturæ dote præſtantes occidi,legatum ipſum,dum vngitur in gymnaſio,adorti ferro confodiunt: itaque ob elephãtorum necẽ Eleazar generosè cecidit, Octauius infeliciter cæſus. *Salian.* Gn. Octauius.

## RAZIAE
## Synchroni.

RAzias ardẽtiore quodam religionis ſtudio ductus admirandum potiùs,quàm imitandum conſtantiæ ſpecimen dedit. audax eius factũ videri potuit,ſed iudicatum à multis citra crimen,immò intra laudem: ſiquidem vt oſtẽderet, quàm paratus eſſet ad ſubeũdam pro patrijs inſtitutis,ac legibus necem,antequam in impiorũ incideret manus, prior ſuas ſibi attulit; tùm ita vulneratus altiore animo murum aſcendit,indè ſe in ceruices præcipitem dat,ſed *2. Mach. 4.*



Digitized by Google

erectior vt cũ maximè quinetiã fractus, & cruentus inde ad petrã potuit currere, in petra ſtare, viſcera ipſe ſibi educere, atq; extrahere, carpere, atque in turbam ſpargere, attonito ad ſpectaculũ hoſte. non ignoro factum ab Auguſtino minus probari, ſed nimirũ cũ de hoc facto ille ſcribebat, totus erat in Donati perduellis aſſeclis vituperandis, qui Circumcelliones vocabantur; genus autem erat hoc hominũ perfidum, ac præfracto ingenio, agreſte itẽ, ac famoſiſſimæ audaciæ, qui non ſolũ in alios feritatem exercerent, ſed ne ſibi quidem amẽtiſſimè parcerent; quippe fanatici, & lymphatici per mortes varias, maximè præcipitiorũ, & aquarũ, & igniũ ſe necabant, Ereboq; mactabant; in eundẽ itẽ furorem alios non inuitarent modò, ſed intentatis minis, ac propoſita, ni id agerent, morte compellerent; idq; magnæ conſtantiæ argumentũ putabant. prætẽdebant autem hoc Raziæ factum in deteriorem sẽſum interpretati: quamobrẽ prudenter Auguſtinus arcem, quò confugerant, labefactat. ceterùm non deſunt viri ſapientes, ac pij, qui id vitio minimè vertendum exiſtiment, eodemq; a flatu Numinis Raziam id egiſſe, quo Samſonẽ, & alios nonnullos, qui laude non carent. ac certè Razias hic in diuinis libris ſingularibus verbis commendari videtur; nam & Iudæorum pater appellatur, & φιλοπολίτης hoc eſt ciuium amator dicitur, & quod præcipuum eſt, nuncupato vitæ dominatore Deo, à quo ſibi eã reſtituendã ſperabat, generoſã, ac piam efflauit animã. omnia verò, quæ egit, ad religionẽ, ac veri Numinis cultum ſpectaſſe videntur, pro quo exantlatis antea laboribus multis, ac toleratis incommodis, ſe tandem ipſe deuouit. hãc porrò tàm admirabilẽ in ſene cõſtãtiã exteri ipſi, qui eã fruſtra cõuellere conati ſunt, fateãtur cũ nullius Lucis ſortitudine poſſe conferri, quando Nicanor ipſe, cui nomen erat à Victoria, cũ hoc decertans ſe victum ſenſit.

*Io: Victoria. Serarius.*

Nicanor

## *IONATAE DVCI, & PONTIF. Synchroni.*

IOnathas Iudæ Machabæi, ac Ioannis fratrum necem acerrimè vltus eſt, quippe palantes hoſtes, cum ob recen-

recentes nuptias, quas puella Principis filia tũc ineba-
reas agerẽt, nec opinãtes inuasit, & strage facta omnia ver-
tit in luctum, ac flebili vlulatu compleuit. Bacchidem De-
metrij Ducem vicit, nec ante bello insequi destitit, quàm
captiuos, & quæ eripuerat, spolia redderet. excitato autem
bello inter Demetrium, & Alexandrum Reges, ambo quoq;
certarunt, vt Ionatham sibi officijs, ac muneribus demere-
rentur; atque ab Alexandro qui rem pontificia veste, ac tia-
ra donatus est; cum autem Apollonĩ ipsi infensum armis
superasset, ab eodem Alexandro fibulam accepit auream,
quasi cognatus Regis. Minus est quicquid Roma hoc tem-
pore profert de collatis in suos honoribus. nã eo anno Scipio
ætate licet illegitima consul creatus est, eiq; tributa ex-
tra sortem Africa, Megaram occupauit; ac sequente anno
ornatissimum illum egit triumphũ refertum statuis, ac do-
narijs, quæ Chartaginienses per tot ætates ex pluribus vi-
ctorijs toto terrarum orbe partis cumularant. quo itẽ tem-
pore à L. Mummio euersa Corinthus est, ac mox triũpha-
tum, repletaq; tota Italia Corinthiacis signis: at verò Io-
nathas Hierosolymam potiùs, hoc est religionis regiam,
pulcherrimis ædificijs ornauit. bellorum autem gloria ita
floruit, vt se inter glorioſum Pontificem, & egregium bel-
latorem partitus sit. atque in victoria quidem felicissimus
fuit; nam Punici belli, quod eo viuente gestum est, initium
certè infelix, & ignominiæ plenum fuit; quippe iratus As-
drubal, quotquot ex captiuis Romanis habebat, oculis,
& lingua priuauit, oculis, inquam, ne triumphi postea
pompam intueri possent; lingua, ne epinicion victori hosti
canere. Cecidit tandem in bello Ionathas, sed Tryphonis,
quem in amicitiam receperat, fraude. itaque illius quidem
ob violatum fœdus fœda victoria, huius ob eximiam virtu-
tem pulchra mors fuit.

1. *Mach* 9. 11. 12.

Scipio Afr.

L. Mummius.

Asdrubal

## *SIMONI DVCI, AC PONTIFICI Synchroni.*

SImon item Machabęo Iuda fratre dignus egregiã na-
uauit operam, & bello clarus, & sacris; strenuus in cã-
po, religiosus in templo. eo vsus est Iudas in profligandis

1. *Machab.* 13. 14. 16.



Digitized by Google

Tyrijs,ac Sidonibus,ceteriſq; hoſtibus.Gazæos hîc perduelles obſedit,atq; adhibitis ad vrbem machinis ad deditionẽ cõpulit.tùm vrbẽ ipſam Deorũ ſimulacris,atq; aris exutã religione ſacrauit, impios de medio ſuſtulit; arcẽ quoq; Sionis recuperauit.quo tempore Seruilianus Roma profectus,multa oppida imperio ſubiecit, quæ Viriathi firmata præſidio fuerant ; ſed Seruilianus victoriam cæde fœdauit; ſeruijt irac. ndiæ, cũ imperabat:ſiquidẽ ex decem millibus captiuorum,quos retulit, quingentos ſecuri percuſſit, alijs manus abſcidit,ac ſuſpenſas è ceruicibus præferri iuſſit. at verò Simon ita belli felicitate eſt vſus,vt victor videri,quã lictor mallet;ſuos ciues, qui varijs in locis captiui tenebãtur,vel gratia,vel ptio redemit;qua pietate multò magis vſus eſt in fratres,quos nõ modò, dũ viuerẽt,iuuit in bello, ſed vita functis monumẽtũ, ac mauſoleũ nobiliſſimũ excitauit,pyramidibus,& columnis inſtructum, vnde arma ſuſpenſa penderent,tùm roſtratis nauibus ornauit,quod eſſet egregiè nauatæ in bellis operæ apud poſteros argumentũ.

Seruilianus.

*Appianus*

## *IOANNI HYRCANO DVCI, & Pontifici Synchroni.*

1. *Macha.* 16. *Ioſephus.*

IOãnes Hyrcanus Simonis filius veteris religionis claudat hiſtoriam. ſic appellatus dicitur, quòd dynaſtam quendã Hyrcanum nomine in primis viciſſet.is à parente militiæ præpoſitus eſt, cùm Gazam vrbẽ oppugnaret, quã etiam captã ſimulacris , ac profanis ritibus expurgauit.tribus maximis honoribus inſignis fuiſſe dicitur,pontificatu, principatu,ac vaticinio ; ferturenim filijs euentura præcinuiſſe.nihil autem habuit antiquiùs in Ducis munere, quã vt Ptolemęum,qui Simonem patrem affinem interfecerat, armis inſequeretur. Nobilius certè hoc genus belli, quàm quod tunc Romani ſunt aggreſſi, ſeruile inquã, in quo Eunus quidam natione Syrus fanatico furore ſimulato , dũ afflatum Syriæ Deæ Numine,agitatumq; ſe dicit, ad libertatem,& arma ſeruos quaſi Deorum imperio concitauit,idq; vt re diuinitùs fieri probaret,in ore abdita nuce,quam ſulphure,

*Florus.* Eunus.

Digitized by Google

phure,& igne ſtipauerat, leniter inſpirans flammam inter verba fundebat. eo quaſi prodigio primùm duo millia ex obuiis, mox iure belli refractis ergaſtulis quadraginta, & amplius millium coegit exercitũ; regiis quoq; decoratus inſignibus incedebat,ac fronte vittata, quã ſcilicet nuper ſeruili more herus inſcripſerat.hoc habitu caſtella, oppida, vicos diripiẽdo vaſtauit,captis per ſummum dedecus etiã Romanorum prætorũ caſtris; ſed domitus cum ſuis tãdem eſt à Rupilio,cui ouatio tantùm decreta, triumphus non item,q; humilioi victoria ſit viſa, de ſeruis videlicet relata. Rupilius

At Ioannes Hyrcanus interea nobiliſſimos nactus hoſtes nõ modò ſtrenuè,ſed honorificè pugnauit. eius opera vſus eſt Antiochus Sedetes in expeditione Parthica; quo mortuo ad vrbes Syriæ deduxit exercitum,cepitq; Medabam vrbem,vnde olim egreſſi fuerant hoſtes,qui Ioann. Simonis fratrem necarant. iam patris quoque cædem acriter eſt vltus.tùm Samegam cum vicinis oppidis,& Sichimam, & Garizim occupauit cum Eutheorum gente, quæ cõtra las templum,præter illud,quod erat Hieroſolymæ extructum, habebat,vbi ſignum Iouis Hoſpitalis collocatum ab exteris fuerat; id verò à Ioanne exauguratum eſt,& antiquatũ. Ceterùm maiorem hic in re bellica cõſecutus eſt laudem, quã proximo anno Licinius Craſſus cos. in Aſiatica expeditione aduerſus Ariſtonicum pugnans,atq; Attali regnũ, quod is hæreditarium Romanis teſtamento reliquerat, repetens;ſed dum in Attalicam prædam magis, quàm in militarem diſciplinam incumbit, inordinata acie explicata, ac prælio temerè conſerto pœnas auiditatis, & incõſultæ dimicationis cæde miſerabili dedit. Potitus deinde Ioãnes eſt penè omni Iudæa, ſubiectis etiam Idumæis, quos ad Iudaicos ritus,& vnius Numinis cultũ adegit.præclarus certè Imperator, ac Pontifex, & qui Scipionis gloriæ non inuideret: nam ille licet per id tempus Numantiam euerterit, id tamen non actum, niſi per multas Romanorũ clades,Q. videlicet Pompeio, & M. Popilio infeliciter pugnantibus. Inter tot igitur laudum decora, hoc tãtùm Ioanni Hyrcano nonnihil officit, quòd calumnia incitatus ab iis, qui ſe inſtituti Iudaici ſeueros cultores profitebantur, ad Saducæorum placita minùs probata ſe cõuertit; cuiuſmodi tragicos Licinius Craſſus. *Iuſtin.* Scipio.

Digitized by Google

gi os casus Christiana quoq; respublica aliquando in grauissimis quibusdam viris dolui. sed vt extremum hunc locum, & quasi coronidem laus potiùs occupet, quàm nota, iliu re vnum de Ioanne pietatis exemplum comme morabo. Ptolemæum patris interfectorem obsederat, & acriter oppugnabat, cum ille parum ipsus armis eius animum validioribus machinis inuadit. Ioannis ipsius matrem, quam apud se captiuã habebat, producit in editiorem muri locũ, ibiq; palàm spectante filio à lictoribus acerrimè cædi iubet tandiu, donec arma deponat. audiebat hic plagarũ crepitus, matrem videbat cruore manantem; statim igitur iubet remissiùs suum agere militem. interea cessabant verbera; ed mox, ne inulta videretur patris cædes, rursus renouat pugnam; redit item Ptolemæus ad carnificinã matris, immò etiam minatur acturum se eam de muris præcipitẽ, nisi omninò ab obsidione desistat, quo periculo commotus Hyrcanus intermittit pugnam: ita diù alternatum est; cum inter hæc mater inuicti animi cruentas manus ad filiũ protenderet, oraretq; ne sui pietate molliretur, sed conficeret planè bellum, pergeret vlcisci hostem, meminisset occisi parentis, de matre nihil laboraret, gratũ sibi fore inter supplicia emori, modò libertatẽ patria reciperet. verùm hoc à filio impetrare non potuit, statim enim atq; hic matrem verberari, ac lacerari videbat, desistebat à pugna, proijciebat arma: in quo nescias vtrũ magis admirere, filijne pietatẽ, an matris constantiã. tracta igitur tandiu est obsidio, donec annus superuenit solemnis, quo solebãt Iudæi feriati vacare, quamobrẽ positis armis, ac pugna religione dirempta, ab obsidẽdo hoste omnino cessatum est. præclara profectò laus Ducis, qui quamuis bellica gloria floreret, pius videri, quàm fortis maluit. Hæret post Ioannem hunc Hyrcanum calamus veteris historiæ sacræ, nec vltra progreditur: quippe inter eius filiorũ intestina odia & tãquam Hyrcanarum tigriũ rabiem propter regni ambitum, inter tinctas fraterno sanguine purpuras, & scillãtes secures, cruentosq; fasces quodammodo versari horret. mihi quoque in Ioannis ipsius singulari erga matrem pietate conquiescere libet.

*Iosephus.*

*Ioseph.*

ELEA-

Digitized by Google

# ELEAZARVS

## Sacerdos.

Synop. *Cùm cogeretur vetitam legis edicto carnem suillam esse, prorsus abstinuit; cumq; ei persuaderetur, vt certè id se agere fingeret, mori maluit, quàm perniciosum exhibere iuuentuti exemplum.* 2. Mach. 6

## ENCOMION 140.

Nihil tibi sacris initiato fuit antiquius,
quàm vt veteres seruares sacrorum ritus,
vel hac ratione quòd senior.
non es passus infici canos,
cum cœnosum animal proposuere pro cœna.
qui te coegerunt aperto ore inhiare,
non hoc assecuti sunt, vt abiectum ederes cibum,
sed vt generosam ederes vocem.
non es aspernatus in esca Naturam,
sed imaginem fœdi facti.
quantum abhorruisti à turpitudine rei,
qui veritus es, ne te vmbra turparet?
frustra contenderunt, vel morte proposita,
ni faceres, certè vt fingeres scelus:
nimirùm qui oderas simulacra,
odisti etiam simulata.
cum hæsitarent senio gressus,
præcurristi tamen exemplo,
ne virtus esse pedissequa videretur ætatis.
minus est quod egit Alcides,
cùm in Erymantho aggressus est aprum;
maior in te res acta,
vrbe teste, non silua.
nempe sacerdotales infulas
maluisti inficere tuo cruore, quàm pecudis cœno.

SEP-

Digitized by Google

## SEPTEM FILII, vnà cum matre.

Pro religione necati.

Synop. *Laudatur insignis cùm in filijs, tùm in matre constantia, quæ illos hortata est ad tolerandam necem pro patrijs institutis, ac religione: quod admirabilius fuit, nondum exhibito Christi exemplo.*

4. Mach. 7.

### ENCOMION 141.

Nouum virtutis admirandæ prodigium
fama prodidit posteris.
attoniti vestro hæsere spectaculo
non ciues modò, sed tyrannus, ac lictor.
nondum triumphalis erat crucis arbor erecta,
cum incessistis capite laureato:
antequam conscriberetur exercitus
diuino sanguine,
nomen Imperatori dedistis.
antesignani, nondum explicatis signis.
nondum sacræ præibant aquilæ,
cum euolastis ad campum,
prodromi Martyrum.
nondum audito classico
prosilijstis ad pugnam,
vsi materna voce pro tuba.
nondum data tessera belli
gestijstis ad palmam.
produxit vos in amphitheatrum virtus,
antequam sparsa esset arena.
instituistis agonem,
nondum præsentibus agonothetæ præmijs.
adhuc oppasso velo religionis arcanæ
primas egistis partes,
longè resonante ad posteros plausu.

Mili-

Digitized by Google

Militastis penè sine stipendijs,
adhuc clauso vectibus Cœlo.
generosa obiectastis pectora,
nondum fabricatis ad munimentum armis,
adamantini sine lorica.
nondum Imperator vos acuerat verbis,
cum spreuistis aciem ferri.
vapulauit linguæ vestræ flagello
tyrannus virgeis armatus fascibus.
detraxit ille capiti cutem,
at non item galeam.
sub pellibus vestris
vel nobiliùs tentoria sunt fixa, vel tutiùs.
cum abstulit spiramenta capitis,
apertiùs perspecta vestra mens est
propositi tenax.
pulchrius tempora gestarunt lauream,
cum facta sunt cruore purpurea;
virescere illa perenniùs potuit,
quia non caruit humore.
libenter passi estis abstrahi capillum,
ne quid vobis inhæreret leue.
Sed noua ratio roborandæ virtutis;
mater exertas ostentauit mammas,
non vt discereris pueri esse, sed viri.
magna vis vberum,
quæ ipsa recordatione lactis
aluere virtutem,
non ante mater clausit lumina,
quàm videret eorum coronas,
quos ediderat in lucem.
non abijt nisi victoria parta
ab ijs, quos ipsa pepererat.



Digitized by Google

## MATRONÆ DECEM CVM FILIIS pro religione necati.

Synop. *Cum delatæ essent, quòd filios suos contra Antiochi*
2. *Mach.* 6. *edictum circumcidissent, infantibus ad vbera suspensis per vrbem circumductæ, tùm per muros præcipites actæ cum magna constantia.*

### ENCOMION 142.

Plusquam virile ostendistis robur,
cum impium tyranni spreuistis edictum.
ritè circumcidistis infantes cultro,
deuotæ ipsæ vel gladio.
at eum estis circumductæ per vrbem,
hostis ipse vobis instruxit
triumphalem pompam.
cum suspendit è ceruicibus natos,
vos pulcherrimo decorauit monili:
non tàm torquendo damnauit,
quàm torque donauit,
tot erat candidis ornatus vnionibus torques,
quot lactis aspersus guttis:
tunc (reor) natis plurimum infudistis lactis,
vt plus haberent, quod effunderent sanguinis.
cum ijs estis actæ præcipites,
de vrbis mœnibus;
sed digniores vos fuistis murali corona,
quòd deiectæ de muris constanter,
quàm qui muros superant ascensu victores,
erectior fuit animus casu,
immò ipsis sublimior mœnibus.
miratus est quisque heroinas tàm fortes,
ac vos putasset Amazones,
nisi vidisset natos ad vbera.

VIRI

Digitized by Google

# VIRI CONSTANTES
## pro religione combusti.

Synop. *Antiocho insequente Iudæos, qui ad Ethnicorum ritus non transirent, quidam dum in occulta specu Sabbathi diem celebrant flammis succensi sunt, non ausi se defendere, vt exactè diei ritum seruarent.* 2. Mach. 6.

## ENCOMION 143.

Nihil vobis accidit ad memoriam illustrius,
quàm latuisse sub specu:
non vos abdidit ignauia, sed virtus;
vt addictum diuinæ requieti diem
celebraretis & ipsi quietè.
non vos exarmauit hostis,
sed religio.
maluistis perire feriati,
quàm ferire irati.
noluistis interturbare pacatum diem
tubarum, & lituorum sono.
non alia iecistis tela, quàm vota;
satius putastis cadere, quàm cædere.
non potuit de victoria gloriari hostis,
quia non robore vos strauit suo,
facile fuit occupare in pugna
non repugnantes.
quanquam egit ille non impiè modò, sed stultè,
quia, vt vos extingueret pietate incensos,
circumiecta obsedit flamma.
addidit etiam decus;
nam qui obscura latebatis in specu,
facti estis ignis lucè præclari.
nulla mors quietior vestra,
quia propter obseruantiam quietis accepta.



Digitized by Google

# MATHATIAS

Dux,& Pont. Iudęorum.

Synop. *Pater fuit Iudæ Machabæi, & eius fratrũ. restitit Antiocho, qui* Epiphanes *dictus. scissa veste, & cilicio indutus fleuit spoliatum templum. quendam è sua gente idolo palàm immolantem necauit.*

1. Mach. 2.

## ENCOMION 144.

Fœcundus fuisti pater heroum,
sed fœcundior laude, quàm prole.
quid tuo nomine, ac fama præclarius,
qui hostem superasti cognomento Illustrem
Antiochum Regem, sed impium!
non ille animi perstrinxit aciem tui
sui vel nominis fulgore, vel muneris;
quinimmò obtuitus es oculis irretortis
ipsam securium aciem.
stultè ille, vt sibi accenderet nomen Illustre,
sustulit aureum delubri lychnucum:
at tu cum spoliatas vidisti aras,
scidisti vestem, sed integrum seruasti robur,
vt conscinderes hostem gladio.
asperas induisti setas,
vt exasperatum lenires Deum.
ante dexteram tuis imbuisti lacrymis,
quàm hostili cruore.
vt consereres fortiùs manus in campo,
eas sustulisti precando molliùs in Cœlum.
nihil tàm pium putasti, quàm delere impios.
nunquam tàm grata fecisti victima,
quàm cum confecisti ad aram ferro
victimarium falsi Numinis:
desit hostia, ipse Dei hostis cedet in hostiam.

IVDAS

# IVDAS MACHABAEVS
Dux,& Pont. Iudęorum.

Synop. *Pugnanti adſtiterunt Cœlites. aureum à Ieremia gladium per viſum accepit. ante pugnam dimiſit ex lege ſponſos,& ſtructores domorũ,vinearũq; & timidos. incendit fana. in mortuos beneficus fuit,cecidit ſtrenuè.* 1. et 2. Machab.

## ENCOMION 145.

Salue heroum fortiſſime, caſtrorum gloria,
robur militiæ, Ducum norma, lex campi.
quæ tàm ſublimis te æquabit oratio!
quippe qui giganti dictus es ſimilis.
munijt lorica pectus, ſed firmius virtus,
leoni quoque dictus es ſimilis,
tametſi tandem deuouiſti te victimam
ouis more.
vbi hoſtem miſiſti ſub iugum,
ſiuiſti te iugulari.
non te furor euocauit in campum,
ſed pietas,& religionis ardor;
obiecit tuum ferro caput, ſed laureatum,
vt aureum ipſa diadema geſtaret.
ſpoliaſti hoſtem, ſed vt veſtires aram.
cum verſabaris in caſtris,
in delubro mens erat;
non ante ſanguinem fudiſti, quàm preces;
ore pugnaſti antequam manu.
mirum conſilium,& pium:
vt coronares laurea caput,
aſperſiſti illud antea cinere;
ſed hoc laurus euiruit magis.
præclarior es viſus camini cinere,
quàm campi puluere.

In-

Digitized by Google

Incensurus videlicet hostium vrbes, & fana
tecum tulisti cinerem, quo seruares ignem.
iussisti clangere tubas ad aram,
antequam ad pugnam.
accendisti ad bellum Cœlites votis,
antequam milites classico.
nihil in te virtus est passa vulgare,
ideò initurus pugnam dimisisti vulgus.
abire iussisti eos, qui ædificare cœpissent,
ratus es non facere ad publicæ fastigium gloriæ,
fundamenta priuatarum ædium;
non posse militem excurrere animosè in campum,
qui clauderet inter parietes animum;
putasti in Solem sine laude prodire,
qui latet mente sub tecto;
nihil habere commune bellatoris arma
cum cæmentarij trulla;
nihil auratum laquerare cum pellibus;
non sub tecto, sed sub dio cubandum,
non sedendum pugnatori, sed standum,
eos admisisti, qui non domos extruerent suas,
sed destruerent hostiles.
dimisisti quoque ex acie sponsos,
scilicet fabulas exosus incestas,
noluisti Martem conuenire cum Venere.
non ea vis est vxorijs tædis,
vt accendant ad pugnam.
hostes non subijciet iugo,
qui intentus est coniugio.
non feret in triumpho captiuos,
qui recentis thalami colligatus est nexu;
non erit idem & victor, & victus;
virilis non erit, quandiù se cogitat virum.

Mi-

Digitized by Google

Militis est tubas præferre non tædas,
epinicion, non epithalamion canere.
cœlibatus strenuum facit, non cœlibaris hasta.
miles sponsus facilè despondet animum;
dum propagando generi studet,
in propagando imperio degener languet.
at strenui bellatoris est
libertatem habere pro liberis;
mauult tueri patriam,
quàm appellari pater.
nihil quoque putasti prælo commune cum prælio,
præter finitimum nomen:
nempe militi non vina sunt exprimenda, sed sanguis,
non botrus calcandus pede, sed hostis.
non palmites tractandi, sed palmæ,
numerantur inter instrumenta bellica vineæ,
sed quæ arcent tela prædonum,
non quæ inuitant ad prædam.
ad belli consilia opus est sobrio.
non rastris est res agenda, sed hastis;
non falce, sed gladio;
non is cruorem eliciet hostilem,
cui sanguis cogitur metu.
non rubescet cæde, qui pallet.
Apollonium in primis aggressus es pugna,
accepisti omen ex hoste
Apollineæ laurus.
frustra etiam victoris iactauit nomen
victus à te Nicanor.
ostentasti præcisum eius caput
non tàm militibus in castris,
quàm sacrorum ministris ad aram,
vt iugulata perlitares hostia.

Præ-

Digitized by Google

Præcidi iussisti manum,
quam in augustum extenderat Numen.
meritò suspendisti ex aduerso templi
aduersariam religioni dexteram.
apud sacram, quam spoliauerat, ædem
nuda ipsa pependit in spolium.
sed in linguam sæuijsti acrius,
quam acuerat in Deum impiè:
nouum irrogasti supplicium, sed idoneum.
comminutam dedisti auibus in escam;
hoc habuit ex victoris nomine Nicanor,
quod in alites incidit præda,
qui prædabatur spe alatæ victoriæ.
Non aliter & cum Antiocho congressus es hoste;
spoliauit hic templum, sed spoliatus est vita.
dum in te, ac tuos inueheretur celeri curru,
cecidit inde diuinitùs
debilitatus, ac fractus:
currus, quo se gestandum putabat
triumphali cum pompa,
cessit in feretrum.
non habuit monitorem mortis, vt victor,
sed in ipsam incidit mortem, vt victus.
Debuit etiam plurimùm Religio tibi,
cum pseudohierarcham exauguraſti Alcimum,
qui sine lege liberior
vsurpabat sibi iura sacrorum;
indignum pontificia putasti tiara
caput sine mente;
ratus es sacerdotalem infici byssum
turpium labe morum;
non erat sacris ornandum insignibus pectus,
quod vano tumebat fastu.

Nefas

Digitized by Google

Nefas ab eo tangi infulato aram,
qui delubri effoderat muros.
aſpirare non debuit ad honoris culmen,
qui monumenta euerterat Vatum.
trepidauit Mundus, ne ſi geſtaretur à turpi
pectori intextus inceſto,
inditum ſibi ab ornatu amitteret nomen.
hunc tu Alcimum bellicis debilitaſti armis;
ſed fregit quoquè Deus inſanabili morbo;
ſcilicet elinguis eſt factus ore,
qui è logèo edere affectabat oracula;
iacuit ſine motu,
qui munus ambitu quærebat indebitum.
At nulla te res magis fecit illuſtrem,
quàm iniecta in fana Deorum flamma.
cum eò perfugiſſet hoſtis,
ibi incenſus eſt, vbi incendebat thura,
in ſua mactati ſunt ara;
vnà cultores arſere cum Dijs;
vbi hos conſueuere rogare,
ibi à te ijs extructus eſt rogus.
per te delubro ſplendor eſt redditus,
cum ſacrum accendiſti lychnuchum,
quem hoſtis religionis extinxerat;
ſed vt clarior explendeſceret flamma,
adhibita eſt antea ſuperſtitioni delendæ.
auream quoque intuliſti cum panibus menſam,
poſt collectam vberem gloriæ meſſem.
ornaſti delubri frontem præclaris inſignibus,
aureis videlicet coronis, & ſcutulis:
coronis religio vel eſt inaugurata regina,
vel declarata victrix;
ſcutulis tela retudit belli.



Digitized by Google

Dignus laude, qui reseruasti religioni, non tibi
trophæa, & ornamenta victoriæ;
dicasti delubro lauream,
vt ibi viresceret, vbi fundebas lacrymas.
non ampla suspendisti arma, sed scutula;
quippe hostilis retunditur furor
pietatis vmbone vel paruo.
quàm nobile agmen duxisti, quàm tutum!
in quo pugnare visi sunt Cœlites,
iacientes in hostem vel tela, vel fulmina;
quàm tu illustris imperator, ac felix,
ad cuius signa relicto Signifero
Superi deuolauere victores!
post triumphum olim de Erebo partum
penè illi tuis militauere stipendijs.
fecisti, vt terrenæ labis immunes
colligerent campi puluerem.
euocasti eos è cœlestis odèi concentu
ad raucum lituorum strepitum, ac tubarum.
aureis venere decori frænis,
vt armatum ferro inhiberent hostem.
militarem induere visi sunt chlamydem,
vt tu barbaricas indueres exuuias.
immò armis ipse pugnasti cœlestibus,
cum impar esset in terris omne genus armorum;
siquidem obtulit se tibi per visum Vates:
is, qui ab vtero prodijt victor
primigeniæ labis, ac monstri,
aureum tibi porrexit gladium;
hòc fuisti vel clarior Orione, vel charior,
quòd votis serenasti iratum sceleri cœlum,
nec viuentes modò ciues amasti, sed mortuos;
soluisti pecuniam, vt solucrentur à pœnis.

Pul-

Digitized by Google

Pulchrior inceſsisti de tuórum funere atratus,
quàm de hoſtium ſanguine purpuratus.
nunquam explenduit argentum purius,
quàm cum expenſum in emortualibus ſacris.
pallor in auro nunquam pulchrior viſus,
quàm inter pallidos Manes.
profudiſti non modò ex oculis lacrymas,
ſed ex arca nummos,
hoc eſt margaritas, & aurum.
multa digna immortalitate geſsisti,
ſed maximè te immortalem fecit
pietas erga mortuos.
viuis in ore omnium
quòd ijs ſuccurriſti, qui vixerant.
fuit clara belli virtus in Sole,
at clarior inter ſepulchrales vmbras.
ne parcus eſſet miſerendo Deus,
fuiſti prodigus in miſeros.
vbi à te victimarum effuſus eſt ſanguis,
effudit ipſe pietatem;
vbi aræ excitatus eſt ignis,
dolentium ſopitæ ſunt flammæ.
inter cæſarum balatus ouium
ceſſarunt miſerorum Manium gemitus;
inter acutas pontificum ſeceſpitas
vindex retuſus eſt mucro.
cecidiſti tu quoque tandem in pugna,
ſed more fulminis,
quà coruſcando, quà feriendo.
meritò in Mauſolèo, quod frater extruxit
inſculptas habuiſti naues:
quia ad quietis portum pios aduexeras Manes,
proreta factus ex Duce.



Digitized by Google

# ELEAZAR

vir fortis.

Synop. *Hunc Iudæ Machabæi fratrem nonnulli dicũt. in pugna conspicatus insignem elephantum, ac ratus eo Antiochum regem inuehi, successit vtero, ferroq; belluam confodit, cuius casu oppressus strenuè cecidit.*

1. *Mach.6.*

## ENCOMION 146.

Parum contentus pugna campestri,
fecisti belli campum etiam theatri caueam
non modò polemachus, sed thiriomachus,
pugnasti cum bestijs, vt expugnares impios,
qui vincebant immanitate belluas:
nempe ab homine didicerunt feræ
per artem esse inhumanæ;
elephas ab opacis lustris est euocatus in Solem,
cœpit relictis tacitis siluis, & silentibus lucis
inter tubas, lituosq; versari,
ac penè mereri stipendia.
militauit sub aquila agrestis bellua;
quasi parum armata vel vastitate, vel ira,
induit etiam loricam æneam.
rubuit cruore mortalium,
cui Natura dentis est largita candorem;
violatum est ebur non ostro, sed cæde.
onerata sunt turribus terga,
vt terga verteret hostis in fugam.
stupuit Natura monstro,
cum mobiles peregrinatæ sunt turres
sine fundamentis, ac basibus.
armis suis bellua tulit armatos;
quinetiam sæuitiæ addita est vafrities,
nam vuæ succo mentiti sunt sanguinem.

Bacchi

Digitized by Google

Bacchi oblata sunt munera,
vt bestia baccharetur in cæde.
furentem fecere etiam lymphatam;
immanem, etiam ebriam;
accenderunt sanguinis sitim feruido mero.
proposuere in campo vindemiam
expressuri velut in prælo sanguinem pede.
at tu quanto fuisti robore,
cum vnus in confertos irrupisti hostes?
hòc generosior, quòd abieciſti clypeum;
scilicet vt vtraque manu ferires belluam,
vtraque referres lauream.
subijsti vtero, sed pariturus tibi victoriam,
loco tu inferior, sed virtute superior,
vel ipsa, quæ dorso eminebat, celsior turri.
frustra in te supernè iaculati sunt tela,
quem sua mole ipsa tegebat bellua;
ita eripuit illa te hosti, dum sæuijt.
immersisti pleno ictu ferrum in viscera,
hòc tua victoria fuit elatior,
quòd superasti belluam,
cum infra illam esses.
hòc apertior fuit virtus,
quòd occultior ferinam subiuit aluum.
non es tàm oppressus ruina, quàm tectus;
fortissimo quondam heroi similis visus:
sed ille ingens subruit ædificium,
tu ingentis belluæ molem.
exarmatos ille hostes tumulauit in mensa,
tu armatos in turribus.
ambo estis proprio sepulti triumpho,
sed ille inter domestica,
tu inter bellica spolia.

IOAN-

Digitized by Google

# IOANNES

Iudæ M. frater

Synop. *Strenuè cecidit in pugna, quæ commissa est cõtrà*
1. Mach. 9. *Machabæos; sed cædem vlti sunt fratres, Ionathas, & Simon, qui multos ex hostibus sponsam deducentes, nec opinantes oppressérunt.*

## ENCOMION 147.

Non tu debes carere præconio,
qui cecidisti strenuè inter tubas.
fratrum iungendus es laudibus,
qui adiunctus es factis.
non sine te duxit triumphum
laureata Religio.
tuum deuouisti caput,
ne sacra conculcarentur pede.
periculosum adijsti belli ludum,
ne esset illa ludibrio.
acerbum tulisti casum,
vt delubrum staret augustum.
vnà cum fratribus conspirasti,
vt patria respiraret oppressa.
vlti sunt illi religionis iniuriam,
eum à paricidis expetierunt pœnam.
nulla fuit occasio magis idonea cædis,
quàm hostium nuptiæ.
dum celebrarent illi thalamum,
inciderunt in tumulum:
genialis lectus sempiternum attulit somnum.
ipsa fuit ominosa nuptijs Venus,
quia eadem Libitina.
hunc habuerunt vsum tædæ,
quòd ipsi, qui ferebant, sibi accenderunt rogum.

RA-

Digitized by Google

# RAZIAS

vir constans.

Synop. *Iussus patriam abiurare religionem, mori maluit; præuenit hostem ex alto se deijciens, tum insilijt in petram, unde extracta sibi viscera in hostes proiecit, numinis, vt putatur, instinctu.* 2. Mac. 14.

## ENCOMION 148.

Fas est tuum generosum admirari pectus,
nefas imitari factum.
ne patria desereres sacra, tu te mactasti hostiam;
præripuisti hanc victimario laudem.
religio facit tua, vt rem egisse dicaris
actus non furore, sed Numine.
præcoce defunctus es fato,
vt citiùs matureſceret gloria.
impium anteuertisti hostem;
cum admoueri ab illo cerneres faces,
veritus es, ne te victimam suis adoleret Dijs.
celerior tua virtus est visa, quàm flamma.
hostile quoque præueniſti ferrum;
ne putareris cecidisse non sponte,
egisti te ex alto præcipitem,
nec tamen visus es consilio præceps.
non modò fracta non iacuit virtus,
sed statim in altum insilijsti aggerem,
exaggerato prorsus animo victor,
ipso, cui insistebas, solidior saxo.
mirum inde fortitudinis dedisti spectaculum;
quippe tua tibi manu extrahens viscera
in subiectos proiecisti hostes.
sic ostendisti penitùs insitum in visceribus
auitæ religionis studium.

IONA-

# IONATHAS

Dux, & Pont. Iudeorum.

Synop. *Successit Iudæ M. fratris sui muneri. multa strenuè confecit prælia. apud exteros etiam Reges gratiosus fuit. fana, aras q; Deorum deiecit. fœdus iniit cum Romanis, & Lacedæmonijs.*

1. Mach. 10.

## ENCOMION 149.

Næ tu, Dux inclyte, fratre dignus es Iuda,
qui vnà cum illo
tantum vel proseminasti virtutis,
vel messuisti gloriæ.
deuinxisti tibi officijs
solutos legibus Reges.
ab Alexandro Antiochi filio.
pontificijs es donatus insignibus,
quà purpura, quà tiara.
visus hic est Magno maior,
cum religioni seruiuit,
te hierarcham ornans maximum:
Regem se esse non putauit,
nisi coronatum quoque videret
Regem sacrorum.
hostis, qui per te sæpè expalluit metu,
erubuit pudore,
cum te vidit triumphali otnatum purpura,
se bellicis nudatum spolijs.
præclarum & aliud accepisti donum,
cum auream Rex idem tibi detulit fibulam,
quasi regia cognatione coniuncto.
ratus est regnum facilè posse dissolui,
quod religione non nectitur.
vt laxius esset imperium, adstrinxit sacris.

Nec

Digitized by Google

Nec Reges tantùm tecum fuere amore deuincti,
sed ciuitas Regum Roma;
eam tu adstrictam tenuisti fœdere,
quæ nullis arcetur finibus.
maius illi cessit in decus,
quòd feriret tecum fœdus,
quàm quòd feriret hostem;
quòd coniugata esset officio,
quàm quòd duceret in pompa captiuos.
submisere tibi sponte alas
victrices aquilæ Ducum,
abiecerunt etiam fulmen
haud quaquam detonante belli fragore,
penè suo martiali lupa te alnit lacte,
dediscens feritatem.
iunxisti quoque tibi Spartam,
gaudentem se tuæ genti esse cognatam.
omnis ferè natio fœderata fuit tibi,
præter illam fœdam Deorum;
vtrinque semper arserunt odia,
iniecisti in fana flammam,
arsit in primis Dagon
simulacrum, quod desinebat in piscem,
sed pro aquis vndantem nactus est ignem.
corruerat olim Dagon
coram diuinæ legis armario,
at te Duce abijt prorsus in cinerem.
te sibi cognatum dixere Lacones,
& origine gentis, & gloria belli:
par fuerit tractandis armis Laconum manus,
at par non erit tuæ laudandæ virtuti
Laconum lingua.



Digitized by Google

# SIMON

## Dux, & Pontifex Iudęorum.

Synop. *Bellica laude floruit. sustulit ex arce Hierosolyma eos, qui contaminabant sacra, & inferebant plagam afflictati magnam. insigne mausoleum extruxit Iudę, ac ceteris fratribus.*

1. Mach. 13 24.

## ENCOMION 151.

Tua semper rubuit dextera
vel hostiarum cruore, vel hostium.
nihil tamen tibi fuit amictus,
quàm castimoniæ candor.
scilicet pontificia, quam induerat, byssus,
vt candorem tuereris, admonuit.
cum cepisses in vrbe arcem
in prostibulum versam,
quasi Augiæ repurgasti stabulum.
scilicet occupauerat excelsam Cupido arcem,
vt indè liberius feriret arcu;
at tu hoste depulso
pudoris extulisti vexillum.
incestos execratus es mores.
in vrbe casto Numini sacra.
non es passus inter religionis pascua,
vbi alebantur ad sacrificium agnæ,
demorari lupas.
eos, qui tuorum sitiebant sanguinem,
obsessos domuisti fame.
hostem in primis nactus es Bacchidem,
sed vbi cum Cererem sustulisti, tum Bacchum
refixit Venus.
Vidit Bacchides per te exprimi sanguinis multũ;
campus abijt in lacum.

Didicit

Didicit ille periculo suo
fieri sobrius,
cùm milites potiùs tui
in eius agmen bacchati sunt cæde,
non detrectasti fratrum subire munus,
qui in pugna ceciderant;
aleam iecisti belli, vel visa iactura.
vt foederatam haberes Romam,
auro eum misisti clypeum.
nempè fecisti praelatum religionis auspicium;
iam tùm enim habuit Roma clypeum,
quo futura tuerentur sacra:
tandem vana proiecit ancilia,
quibus se falsò putabat incolumem.
illa Vrbs compendium Mundi
nullum iunxit aptius foedus, quàm tecum,
qui in veste gestabas intextum
compendiarium Mundum.
Fuisti vt acer in hostes, ita pius in fratres,
quibuscum vixeras hostes,
fabricatus es vita functis mausolèum
nobile vel arte, vel pretio.
inter præcipua ornamenta insculpsisti naues,
quòd velificati essent cùm pietati, tum gloriæ.
constituisti quoque columnas,
vbi colligarent tutò rudentes.
inter columnas stetere columina gentis.
altas etiam iis erexisti pyramides.
qui deiectis Dijs incenderant pyras.
suspendisti & arma victoribus,
vt vel demortui terrerent hostem.
inter spolia decubuerunt, vel spoliati vita,
vt esset triumphalis etiam cinis.

# IOANNES HIRCANVS

Dux, & pontifex Iudeorum.

Synop. *Fuit Simonis filius, cuius interfecti mortem vltus est ferro. patris munere successit. muros extruxit, quibus vrbem munijt. hostium turres incendit, armis inuictus, & militari laude præstans.*

1. *Mach.* 16. Ioseph.

## ENCOMION

Suffectus es patri vel virtute, vel munere.
præclarus fuisti Dux castrorum,
præclarior Rex sacrorum.
ex ara euocatus in campum
plurimas peperisti victorias,
sed non tuæ victimæ.
non ante tractasti gladium, quàm aceram.
nunquam es tàm firmiter, tàm tuto munitus,
quàm cum gestasti pro lorica legem.
pulcher es visus bellicis indutus insignibus,
pulchrior pontificio ornatus Mundo.
quàm nobile dedisti spectaculum,
cum subijsti pro Capitolio templum!
scilicet in triumphale spolium tibi
cesserat Mundus.
effusum Parentis sanguinem vltus es cæde.
ad iugulati pontificis bustum
hostiam satis idoneam mactasti, hostem
qui te non est veritus infulatum, semel armatum,
timendus vel cum indutus es galea, vel cum tiara,
munijsti patriam mœnibus firmis,
sed tu fuisti illi murus aheneus.
molitus es vrbanas arces, demolitus hostiles.
sublimes excitasti moles, & editas turres,
at nihil visum est eminere te celsius.

FINIS.

Digitized by Google

# NOMINA

## ILLVSTRIVM VIRORVM,

*ac fœminarum ex vetere historia sacra, de quibus, præter collationes, scribuntur Encomia.*

### *Patriarcharum, &c.*

Adamus
Eua
Abel
Sethus
Enos
Iabel
Iubal
Tubal
Henochus
Noes
Semus, & Japhetus
Abrahamus
Sara
Lothus
Melchisedechus
Isaacus
Rebecca
Iacobus
Rachel
Ioseph
Iobus

### *Ducum &c.*

Aaron
Moses
Maria horum soror
Phua, & Sephora obstetr.
Beseleel, & Oliabus
Iosues
Calebus
Rahaba
Tribus Rubeni
Tribus Simeonis
Tribus Iudæ
Tribus Dani
Tribus Nephtalis
Tribus Gaddi
Tribus Aseris
Tribus Zabulonis
Tribus Isacharis
Tribus Beniamini
Tribus Ephraimi
Tribus Manassæ

Tribus

Digitized by Google

Thobi Leui extr. ord. Naz grzi

Abisaus v.f.
Iorimai v.f.
Ionathas nepos D.V.R.
Adeodatus v.f.
Vrias vir Bersabees
Ionathas filius Saulis
Ioanathas patruus Dau.
Cusaus amicus Dau.
Abimelechus pont.
Sadocus pont.
Asaphus phonascus.
Obededomus custos Arcæ
Abigail vxor Dau.
Abisaga vxor Dau.
Salomon Rex
Regina Sabba Nicaula.

*Iudicum &c.*

Othoniel
Axa eius coniux
Phinees
Aoddus
Sangar
Debora
Baracus
Iabel
Gedeon
Rutha
Iephtes
Iephtæ filia
Samson
Anna mater Samuelis
Samuel

*Item Regum &c.*

Ahias proph.
Semeias proph.
Addo proph.
Asa rex
Azarias proph.
Hananus proph.
Iosaphatus rex
Helias proph.
Heliseus proph.
Naaman Syrus
Ionadabus pater Rechabitarum

*Regum &c.*

Dauid Rex, & Proph.
Nathan proph.
Gadus proph.
Triumuiri Dauidis
Banaias vir fortis
Sabochaus v.f.
Iesbaamus. v.f.
Eleazar. v.f.

Digitized by Google

habitarum

Micheas proph.
Iesus proph.
Eliezer proph.
Iahaziel proph.
Nabothus
Ioiadas pont.
Zacharias Sacer.
Ionas proph.
Ozias rex, siue Azarias
Amos proph.
Abdias proph.
Ioathanus rex
Micheas alter proph.
Odedus proph.
Ezechias rex
Nahum proph.
Manasses rex
Esaias proph.
Osees proph.
Ioel proph.
Tobias pater
Tobias filius
Iuditha
Achior Ammonites
Iosias rex
Sophonias proph.
Olda prophetis
Vrias propheta

## *Prophetarum &c. sub captiu.*

Ieremias proph.
Baruchus proph.
Susanna
Ananias, Azarias, Misael
Daniel proph.
Habacucus proph.
Ezechiel proph.

## *Prophetarum &c. post captiu.*

Zorobabel dux
Iesus, siue Iosues pont.
Holdais, Tobias, Idaias
Zacharias proph.
Aggæus proph.
Malachias proph.
Esther regina
Mardochæus
Esdras
Nehemias
Simon pont.
Onias pont.

## *Machabeorum.*

Eleazarus

Septem

Digitized by Google

Septẽ filij cum matre
Matronæ duæ cũ filijs
Viri constantes
Mathatiás dux
Iudas Machabęus dux
Eleazar vir fortis

Ioannes Iudæ frater
Razias vir constans
Ionathas dux, & pont.
Simon dux, & pont.
Ioann. Hircanus dux, & Pont.



SYM-

Digitized by Google

# SYNCHRONOLOGIAE SYNOPSIS

## Ex Eusebio, & alijs p̃cipuis Chronologis,

qua tanquam sub vnum aspectum ponuntur
ab omni antiquitate collecti
Exteri sub diuersis imperijs aliqua re insignes
æquales, vel suppares
illustribus viris, ac fœminis
veteris historiæ sacræ
ab Abrahamo vsque ad Christum natum.

## PATRIARCHIS æquales, vel suppares.

### ABRAHAMO, ET SARÆ, & Melchisedechō, & ex parte Isaaco.

*An. mundi circ.* 2039. *Eusebio* 3185.

*Inus Rex Assyriorum Beroso tertius, Augustino, & alijs secundus, Nembrothi, siue Beli filius vniuersam Asiam subijcit sibi. Belus dictus est priscus Saturnus. Ninus Iuppiter.* *Aug. lib. de ciu.*

*Zoroastres Rex Bactrianorū Astrologus, & Magus insigni superatur à Nino. cœlesti flamma percussus obit.* *Genebr.*

*Initium datur variis alijs regnis, Aegyptiorum, Scytharum, Massagetarum, Sicyoniorum, Aethiopum. &c.*

*Tuyscon gigas Sarmatas legibus informat, Sammotes verò Celtas.* *Beroſus. Io. Lucid.*



Digitized by Google

*Ianus Priſcus docet Ianigenas Phyſicam, Aſtronomiam, Diuinationes, Ritus, & Indigitamenta.*

Genebr. *Semiramis vxor Nini, militia, triumphis, ac diuitijs præſtans. Babylonem mœnibus cingit. ducenta idolorum millia ex ebore, & ligno fingit. cum exercitu terdecies centenorum millium peditum, quingentorumq; millium equitum in Indiam penetrat, ſed fruſtra. Columbæ ſub effigie culta.*

Beroſus. *Veſta vxor Iani apud Ianigenas ſempiternum ignem cuſtodiendum virginibus puellis, quæ Veſtales ſunt. dictæ, committit, & ſacra tradit, quæ poſtea Numa Pompilius reuocauit.*

*Sabatius Saga in Italiam venit, agriculturam, & Religionis ceremonias Aborigines docet.*

*Saggi Sacerdotes totam Caſpiam regionem occupant. Saggi autem dicti ſunt, hoc eſt ſancti, ſiue ſacerdotes, qui poſt Noæ diluuium ſub Armeniæ montibus, & in Scythia conſederunt; toti ſacrificijs addicti recenti adhuc calamitatis memoria; quanquam mox omnia ſuperſtitio inquinauit.*

Iuſtinus. *Ninyas filius Semiramidis IIII. Rex Aſſyriorum, quem Iuſtinus item Ninum vocat, ignauus, & effœminatus, ornat tamē delubra Deorum.*

Beroſ. *Ianum poſt longam ætatem mortuum Ianigenæ Vertumnum appellant, templum illi exædificant, & diuinos honores tribuunt.*

*Inachus Rex Argiuorum primus, & Priſcus appellatus.*

*Oſiris, & Iſis Inachi, vel, vt alii volunt, Saturni filia frumenta, & fruges inueniunt, & patri vſum. Iſis dicta non modò frugifera, ſed legifera. Oſiris idem qui Sol habitus; Iſis eadem quæ Luna.*

Euſeb. *Ceres Rex Cretenſium vnus Curetum, à quibus Iuppiter abſconditus dicitur, & nutritus, qui Gnoſſon ciuitatem in Creta condiderant, & Cybeli, matri Deorum dicta, templum extruxerunt.*

*Arius V. Rex Aſſyriorum præliis ferox, quamobrem Martij nomen adeptus. ſeſe huiuſmodi Numine, vel potius vana nomina manarent ad Græcos.*

Beroſ. *Aralius VI. Rex Aſſyriorum claruit ingenio, et ſtudio militari. primus adauxit pompas, & gemmas, & mundum muliebrē.*

Hiar-

Digitized by Google

*Hiarbas apud Libyam congressus bello cum Palladiis faminis superatur, quare cum donis occurrens se, ac regnum permisit illarum potestati.*

*Apud Tuyscones regnat Herminon vir fortis, & ferox armis. apud Celtas Bardus carminibus, & musices arte apud illos inclytus.*

*Aralij anno proxima à postremo Italiæ tribus in locis ardet diebus multis circa Istros, Cumæos, & Vesuuium, vnde Regio Palensana dicta est, hoc est deflagrata.*

*Balæus* VII. *Assyriorum Rex cognomento Xerxes, idest victor, ac triumphator ob victorias plurimas, & fines Imperij latè productos.*

*Orus Apollo disciplinas in Aegypto mõstrat, vsus Abrahæ cõsilijs.* Genebr.

*Mercurius ob magnitudinem sapientiæ τρισμέγιστος dictus, alter ab illo, qui postea doctrinam literis consignauit, & cuius scripta extant, ad hoc tempus à nonnullis refertur.* Sebast. Ver.

*Sambetha Sibyllarum prima, quæ Noæ nurus putatur, & septingentos annos vixisse. vaticinata est de Christo, de regnorum mutationibus &c.*

## ISAACO, & REBECCÆ & ex parte Iacobo.

*An. Mũdi 2214.*

*A Matritis* VIII. *Rex Assyriorum voluptati, & delicijs deditus.* Berosus.

*Deabus pater Geryonis apud Celtiberos tyrannidem exercet cognomento Chryseus, ità dictus ob inuentas aurifodinas, & ob luxum.*

*Belochus* IX. *Assyriorũ Rex, qui iccircò à Belo cognomen sumpsit, quòd Ponificem etiã ageret Beli Iouis, & circa auspicia, & diuinationes occupatus magis esset, quàm circa regnum.*

*Itali oppressi à Tyrannis gigantibus Osirin aduocant, qui ijs deiectis Regem constituit Lachrygonẽ nepotem suum, & item gigantem.*

*Balæus iunior* X. *Rex Babylonis imperio clarus intra Indiam vsque inuadit.*



Digitized by Google

Osiris. Osiris in Aegyptum reuersus triumphalem sibi columnam exci-
tat in monumentū expeditionis suæ per totū terrarū orbem,
rerumq; gestarū, cum hac epigraphe: (Ego sum Osiris rex,
qui vniuersum peragraui orbem vsque ad desertos Indorum
fines. ad eos quoque sum profectus, qui Arcto subiacent, & ad
ad Istri fontes, & vsque ad Oceanum; nec fuit in orbe locus,
quem non adierim docens ea, quorum inuentor fui. sum
Saturni filius antiquior, germen ex pulchro, & generoso or-
tum, cui genus non semen fuit.)

Isis quoque columnam sibi erexit, atque ità inscripsit: (Ego sum
Isis Aegypti regina à Mercurio erudita, quæ ego legibus sta-
tui, nullus soluet. Ego sum Osiridis, ego sum prima frugum
inuentrix. ego sum Ori regis mater.)

Typhon Aegyptius fratrem Osiridem perimit.

Hercules Libycus Osiridis filius Typhonem de medio tollit; hic
ille monstrorum domitor: facta huius Herculis tribuuntur
etiam alijs, præsertim Amphitruonis filio, qui octingentis fe-
rè post annis fuit, paullò ante bellum Troianum. hic Libycus
prisco idiomate dictus est Hercol, idest totus pellitus, quòd
pro lorica, et chlamyde pelle indueretur. Her enim pellem si-
gnificat, col totum hebraicè. at alter ille græcè Ἡρακλῆς dictus,
vt ait Cato de originibus, quasi Iunonis, hoc est aëris gloria,
quia vim Solarē pro Hercule significauit antiquitas, vt ait
Macrobius. Ἥρα Iuno, & aer est. κλέος gloria.

Beroſus. Cato de origin.

Phoroneus Inachi filius leges, & iudicia primus apud Arginos
constituit.

Nioba, cui prima omnium mulierum mixtus dicitur Iuppiter.

Aug. decimit. 18. Apis rex Argiuorum, qui & Serapis dictus ab Aegyptijs, &
in bouc cultus certis notis insignito.

Cecrops. Minerua apud paludem Tritonidem primò apparet Virginis
specie.

Satron Celtarum Rex doctissimus publica litterarum studia
instituit.

Viri Scytharum Parthos, & Bactrianos; fœminæ verò Amazo-
num regna condunt, quæ durarunt vsque ad Alexandri ma-
gni tempora.

IA-

Digitized by Google

# IACOBO, & RACHELI, & ex parte Iosepho.

*An. Mũdi circ. 2318.*

*Diluuium sub Ogyge, non illud maximum, quod sub Noe, sed tamen maius quàm quod postea sub Deucalione Mosis tempore. sub hoc Ogyge Stella Veneris mutauit figuram, magnitudinem colorem, & cursum, vt refert Varro.* *Aug. 18. de ciu. 5. 23. & 21. c. 8.*

*Messana, quæ & Mamertina conditur.* *Euseb.*

*Thelchines Rhodum condunt quæ prius Ophiusa vocabatur.*

*Sparta filius Phoronei Spartam condit.*

*Druyus Celtarum Rex disciplinis, & vanis præsagitionibus insignis, à quo Druydę Gallorum sacerdotes. hi naturæ rationem, quam Graeci physiologiam appellant, sibi notã esse profitebantur, & hominum mentes superstitione implebant.* *Genebr. Cæsar.*

*Menas Rex Aegyptiorum Dijs sacra, & lectisternia instituit.*

*Aethiopia bellis Aegyptiorum atteritur.*

# IOSEPHO, & ex parte magna Iobo.

*An. Mũdi circ. 2345.*

*Altades XI. Rex Assyriorum gloriæ cupidus, & delitijs vacans aliorum sudore partis; laboriosam militiam exosus.*

*Herculem Libycum vita functum Celtiberi templo, ac diuinis honoribus consecrant, & oppida eius nomine dedicant.*

*Mamythus XII. Assyriorum Rex intermissis delicijs, & vnguentis, milites in pugnam educit. Syros, & Aegyptios armis territat.* *Beros.*

*Hesperus apud Celtiberos regnat. pulsus autem ex Hispania ab Atlante fratre venit in Italiam, quæ ab ipso Hesperia dicitur.*

*Prometheus à quo homines filii, factique dicuntur, quòd eorum feritatem, & imperitiam singulari sua sapientia, & prudentia ad humanitatẽ conuertisset. ab hoc putatur vsus annuli inuentus* *Euseb.*

Digitized by Google

*Hist. schol.* ucntus in digito, unde ad cor vena protenditur.
*Atlas Hesperi, & Promethei frater praecipuus Astrologus, ob cuius disciplinae peritiam Caelum sustinere dictus est.*

*Bard.* *Venus innotescit, & coli incipit.*

*Hist. schol.* *Ceres frumenti hoc tempore inuenisse usum dicitur, & Ptolemus id populis distribuisse longa naui vectus, quamobrē ab alato serpente, vbi putatus, vel quia Draco esset nauis insigne.*

*Beros.* *Apud Tuyscones regnat Hercules Alemannus, hoc nomen adeptus ob eximiam fortitudinem, quem soliti Germani canere praelium inituri.*

# DVCIBVS HEBRAEORVM aequales, vel suppares

# MOSI DVCI,

## itemq; Aaroni Pont.

## & ex parte Iosuae.

*An. Mūdi circ. 2464.*

*Pharus XIII. Assyriorum Rex, post Machaleum celeberrimus fama prudentia, rerumq; gestarum, cui successit Manylus XV.*

*Beros.* *Sparetus XVI. Rex Assyriorum Phoenices, & Syros subijcit. sub hoc miranda in orbe terrarum accidisse dicuntur.*
*Terraemotus ingens Babylonios exterret.*
*Deucalion regnat circa Parnassum, quo tempore in Thessalia diluuium contigit, tùm subsequuto terraemotu, & apertis ostijs montium, aquae in alueos regressae.*
*In alia parte Thessaliae post terraemotum subsequutum est incēdium sub Phaetonte Rege.*
*Atlas, Prometheus, Hesperus fratres ad haec Mosis tempora à nonnullis referuntur, ab alijs ad Iosephi, & Iobi. vt dictū est.*

*Euseb.* *Ascatades XVII. Assyriorum Rex omnem Syriam suo Imperio subiicit.*
*Amenophis Rex Aegypti, quem quidam Memnonem putant, cuius*

Digitized by Google

*cuius statua vocalis Sole oriente sonum edebat vsque ad Christi aduentū. hic persecutionem instituit aduersus Hebraeos eo anno, quo Maria soror Mosis concepta est septennio maior.*

*Cecrops regnat in Attica, qui & Diphyes dictus, ideſt duarum naturarum, siue ab longitudinem corporis, siue quòd Aegyptiacam, hoc est patriam linguam, & praeterea Graecam calleret. siue b matrimonium ritè institutum primus bouem immolans Iouem appellauit.*

*Mercurius nepos Atlantis sapientissimus habetur.* Aug. de ciuit. 18.

*Argus Centoculus cuncta cernere putatus.*

*Proclytus quadrigam iungit.*

*Chencres Rex Aegypti, Pharao ille Hebraeorum persecutor, & Magorum praestigiis vsus, qui in mari rubro mersus cum suis periit.* Beros.

*Athena à Minerua nomen accipiunt, cum in arce oliua enata esset.* Euseb. Geneb.

*Iudicium Neptuni, & Mineruae de contentione regionis apud Cecropem constituitur.* Aug. 18. de ciuit.

*In Aethiopiae vrbibus pestilentia multa, de quibus Plato meminit.*

*Corinthus condituri qua prius Ephyra vocabatur.*

*Hercules cognomento Desinas in Phoenice clarus habetur.* Euseb.

*Apollinis Delii templum ab Erisisthone Cecropis filio aedificatur.*

*Areopagus apud Athenas iudicii locus constituitur.*

*Lacedaemon conditur à Lacedaemone Semeles filio.*

*Erisithonius Vulcani filius, qui ab Homero Erictheus dicitur.*

*Apollo de Latona nascitur, non ille, cuius cōsueuerunt oracula consuli, sed qui cum Hercule fertur natus Homero.*

*Aegyptus, quae prius Aeria vocabatur, ab Aegypto ibi regnante nomen accepit.*

*Arcas filius Iouis, & Callistonis Pelasgis in ditionem redactis regionem ipsarum Arcadiam nominat.*

*Dardanus condit Dardaniam.*



Digitized by Google

An. Mundi circ. 2584.

## IOSVAE DVCI.

Euseb. Erichthonius primus quadrigam iungit in Graecia, cum iam extaret apud alias nationes.

Orithya Erichthonii filia à Borea Thrace rapitur.

Orcus Molossorum Rex Proserpinam rapit.

Danaus per quinquaginta filias totidem filios Aegypti fratris interficit, euadente solo Lynceo, qui post eum regnauit.

Phœnix, & Cadmus de Thebis Aegyptiorum in Syriam proficiscuntur, & apud Tyrum, & Sidonem regnant.

Phœnix Phœnicibus quasdam literas tradit ad scribendum. vermiculum item instituit, vnde & phœniceus color dictus, siue puniceus. Cadmus autem eius frater sexdecim characteres gracos inuenit.

Liber in India militat, in cuius exercitu fœmina fuerunt dictæ Baccha, magis propter furorem, quàm propter virtutem insignes.

Templum Delphis magnum à Phlegra incensum est.

Busiris apud vrbem Nilo loca tyrannidem exercet, transeuntes hospites crudeli scelere interficiens.

Heliopolis, siue Thebæ in Aegypto conduntur. Cyrena in Libya.

## IVDICIBVS HEBRAEORVM æquales, vel suppares.

## OTHONIELI IVDICI, itemq; Phineæ Pont.

An. Mundi circ. 2601.

Minos & Rhadamanthus Europæ, & Asterii filii, qui constituti indices apud Inferos dicuntur. Minos regnat in Creta.

Euseb. Pandion Rex Athenienſium, cuius filiæ Progne, & Philomela celebres poetarum carminibus.

Apud

*Apud Argos sacerdotio fungitur Hypermnestra Danai filia, quam etiam Isidem Aegyptiorum Deam appellarunt.*
*Danae, qua ex aureo Iouis imbri concepisse dicta est Perseum, aheneo includitur turri.*
*Ephyra, quae postea Corinthus, à Sisypho condita, vel potius restaurata.*
*Idai Dactyli ferrum inuenerunt.*
*Curetes, & Corybantes Gnossum condunt, qui modulatam inter se, & concinentem saltationem instituunt.* Euseb.
*Catina conditur in Sicilia: quamquam alij ad aliud tempus referunt.*
*Pelops apud Argos regnat, à quo Peloponnesus dicta.*

## AODDO IVDICI, Itemq; Sangari.

An. Mūdi circ. 2641.

*Triptolemus, & Ceres nunc demum apud Graecos agnoscuntur.*
*Orcus apud Molossos regnat, cuius canis ingentis magnitudinis Cerberus Pirithoum deuorauit, qui ad vxorem rapiendam venerat cum Theseo: sed hunc Hercules liberauit, vnde locus fabulae de erepto ab Inferis.* Euseb.
*Achaia ab Achaeo conditur.*
*Aetas Deorum apud Graecos haec ponitur à Iosepho, quos Graecia, vel commenta est, vel ab alijs accepit. ex ijs XII. Dij maiorum gentium dicti, Iuppiter, Iuno, &c. additus & Pan recentissimus Deorum fistula canens.* Genebr.
*Amphiaraus Vates primus ignispicia superstitiosè exercet.*
*Zamolxis in Scythia Gothorum legislator.*
*Elisa Sibylla Libyca vaticinatur, vt refert Pausanias.*
*Ianus primus in Italia Rex alter à prisco.*
*Phryxus cum Helle sorore, fugiens insidias nouercales, dictus per mare vehi ariete aureo, hoc est naui, cuius insigne erat aries.*
*In Dardania regnat Tros, à quo Troiani nuncupati.*
*Apud Pythium Apollinem Vates prima Phaemonoe hexame-* Euseb.



Digitized by Google

tris. versibus cecinisse narratur.

In Phrygia Tãtalus regnat, cui Tros pater Ganymedis bellum mouet ob Ganymedem filium ab ipso raptum.

Melicerta ad hæc tempora refertur, sub quo celebrata sunt Euseb. Isthmia.

Perseus aduersus Persas dimicat, Gorgonis meretricis capite desecto, quæ eximia specie obstupefactos, & tanquam lapideos intuentes reddebat. Perseus, eiusq; vxor Andromeda in cœlum rapti dicuntur, & inter sidera collocati.

Pegasus cuiusdam mulieris equus ob miram velocitatem celebratus: alij Bellerophontis velocissimam nauim fuisse putãt, habentem pro insigni equum.

Ion vir fortitudine præstans, à quo Athenienses Ones appellati.

Dionysius, siue Liber aduersus Indos dimicans Nisam vrbem iuxta Indum fluuium condit.

Amphion Thebis regnat, quem ferunt citharæ cantu saxa traxisse, quòd homines duriores cultu erudiisset.

## An. Mũdi circ. 2721. DEBORÆ IVDICI, & BARACHO.

EVropa à Cretensibus rapta naui, cuius insigne taurus, vnde locus fabulæ.

Pelops Peloponnesi rex aduersus Ilium pugnans superatur à Dardano.

Templum in Eleusina ædificatur.

Euseb. Liberi Patris res gestas, & ea quæ de Lycurgo, & Pentheo memorantur, ad hæc tempora quidam referunt. extabat Liberi patris Delphis sepulchrum iuxta Apollinem aureum.

Dædalus animata simulacra, seque mouentia fecisse dictus, quòd primus pedes statuarum antea rudes distinxisset. Minoem cum Icaro fugit, & propter inuestigabilem fugam pennis auolasse dicitur.

Geneb. Mars Deus belli habetur à Græcis.

Mercurius eloquentissimus, & monauli inuentor.

Atreus, & Thyestes post Pelopem Peloponnense Imperium inter se diuidunt, & varias tragœdias excitant.

Eu-

Digitized by Google

*Eumolpus primus carmina componit in Gracia.*
*Melampus medicus primus apud Græcos vinum aqua dilui* Geneb.
*præcipit, cum antea merum biberent, vnde verbum græcari.*
*idem diuinaculus fuit. festum Cereris ex Aegypto in Græciam transtulit.*
*Mizota, seu Cautus vsum salis conficiendi ostendit, eius autem filius sagittarum.*
*Sibylla Persica, siue Chaldæa à nonnullis hic ponitur.*
*Bellerophon primus equo vehi docet Græcos; Pegaso vectus Chimæram superat.*
*Tiresias Vates longæuus celebratur.*
*Actæon à suis canibus discerpitur.*

## GEDEONI IVDICI.

*An. Mundi circ. 2761.*

*ARgonautarum nauigatio ad vellus aureum ad hæc tempora à nonnullis refertur, in qua Hercules, Tyndaridæ, Orpheus, &c.*
*Phidamon Delphis nobilis habetur, qui primus Pythium chorum instituit.*
*Miletus conditur, & Tyrus.* Euseb.
*Sphingis, & Oedipodis narratio ad hæc tempora pertinet.*
*Cadmi, & Harmoniæ nuptiæ celebrantur.*
*Orpheus Thrax in Aegypto sacerdotes conuenit, vbi discit mysteria, lyra canit. simulacrorum cultum propagat.*
*Linus magister Herculis floret.*
*Minos Cretensibus leges dat.*
*Hercules consummat certamina superatis monstris pluribus, & duodecim laboribus exantlatis, inter quos Antæum interficit palæstritam insignem, & certaminum, quæ in terra fiunt, peritissimum, vnde lotus fabulæ, in terra vinci non potuisse; Hydram quoque superat callidissimum Sophistam, vt ait Plato.* Euseb.
*Atreus Peloponnesi Rex Eclypsium Solis theorematα indagat.*
*Rhadamantus Lyciorum Rex, & legislator iustissimus.*
*Choræbus primus Athenis figlinam reperit.*
*Bacchi, seu Liberi triumphum Indicum hunc quidam referunt.*



Digitized by Google

*An. Mũdi circ. 2801.*

## ABIMELECHO IVDICI.

*TAgus Hispaniæ regnum obtinet, qui aurifero amni dat nomen.*

*Hist. schol.* *Chorum genus musici instrumenti hoc tempore inuentum quidam putant.*

*An. Mũdi circ. 2804.*

## THOLÆ IVDICI. item Ruthæ, & Boozo.

*BEllum Lapitharum, & Centaurorum, qui nobiles fuerunt equites Thessaliæ.*

*Septem Heroes, qui aduersus Thebas pugnarunt.*

*Theseus ab Athenienſibus cum ignominia ejicitur.*

*Labyrinthi, ac Minotauri narratio ad hæc tempora pertinet. fuit autẽ magistratus Minois Taurus nomine inhumanus, & crudelis, qui omnes vincebat in agone, quem Minos instituerat in morte Androgeo, propoſito præmio Atticorum puerorum, qui tanden à Theseo victore ea pœna liberati.* *Euseb.*

*Salmoneus apud Elidem fulmina, & tonitrua artificiosè edere conatur.*

*Medea veneficijs infamis, Regis Colchorum filia filios necat.*

*Apollo citharæ, ac medicinæ inuentor, & herbarum vires noscẽs celebratur à Græcis.*

*Aesculapius eius filius artis medicæ peritissimus habetur.*

*Dardanus mysteria Deorum matris ostendit.*

*Cinyras rex Cypriorum musicæ studioſus Venerem meretricem in Deos refert; Adonidem generat eius amasium.*

*Geryon tricorpor apud Hispanos regnat.*

*Aeolus Siciliæ regnum obtinet, ventorum rationem inuenit.*

*Vulcanus in Lemno fabrilem artem exercet cum Cyclopibus.*

*Ixion perfidus rex Lapitharum in Thessalia, qui apud Inferos rotæ assixus fingitur.*

*Sibylla Delphica, quæ se ἀστέμιδα nominauit, & sororem, seù filiam Apollinis dixit.*

*Sibylla*

Digitized by Google

*Sibylla Libyca adhuc erat in uiuis.*
*Chiron peritissimus medicus floret. Achillis pædagogus. Aesculapium docet medicinam, & Herculem astrologiam.*

## IAIRO IVDICI

*An. Mũdi circ. 2827.*

*Theseus Helenam rapit.*
*Carthago, & Tyrus condita, vt censet Philosteus, hoc tempore.*
*Hercules agonem Olympicum instituit, à quo vsque ad primam Olympiadem anni interiecti 430.*
*Phædra Hippolytum deperit.*
*Apri Caledonij, & Meleagri fabula.*
*Amazones bellum ineunt contra Thebanos.*
*Thesçus aduersus Thebanos dimicat; numum statuit, bouemq; in eo imprimit, fœdera inuenit.*
*Hercules cum comitatu nobilium Græcorum Antiopam, & Orithiam Amazonũ reginas inuadit, & incautas opprimit.*
*Argon primus Heraclidarum, hoc est posterorum Herculis rex Lydorum.*
*Cacus rex Hispaniæ, primus ibi ferrum, & arma tractat.*
*Dædalus fabricam materiariam inuenit, & in ea serram asciã, perpendiculum, terebram, glutinum, ischiocollam, normam; item malum, & antennam, vela autem Icarus filius.*

## IEPHTÆ IVDICI.

*An. Mũdi circ. 2849.*

*Hercules in morbum incidens pestilentem, doloris impatiẽs coniecit se in flammas, ibiq; consumitur.*
*Paris, siue Alexander Helenam rapit, vndè Troianum bellum decennale exortum.* *Euseb.*
*Erythræa Sibylla annosissima, vt quidam volunt, supererat hoc tempore; Græis enim Ilium profecturis vaticinata dicitur, perituram Troiam, & Homerum mendacia scripturum.* *Geneb.*
*huic succedit Sibylla Thessalica Tiresiæ Vatis neptis.*
*Iphigenia Agamemnonis filia ad aram mactanda sistitur.*

ARE-

Digitized by Google

An. Mũdi circ. 2855.

## ABESANO IVDICI, item Ruthæ, & Boozo ex Hebræorum sententia.

Geneb.

*BEllum Amazonum contra Thebas hoc tempore adornatum nonnulli putant.*
*Alcinous Rex Phæacum hortos excolere docet.*
*Naibonem, & Lutetiam hoc tempore conditas quidam volunt.*
*Pluto Inferorum Deus cum fratre Neptuno maris Deo agnoscitur: Neptunus maritimæ classis præfectus, at Pluto inferorum Manium Sacerdos constituitur.*
*Dionysius Argiuus Historicus floret.*

An. Mũdi circ. 2862.

## AHIALONI IVDICI.

*BEllum inter Lapithas, & Centauros, hoc est Equites Thessalos huc quidam referunt, itemq; Argonautarum expeditionem in Colchidem.*
*Carmenta, siue Nicostrata, Arcadica Sibylla, mater Euandri, cuius carmina apud Aenam ciuitatem Iulianus Apostata, ignibus tradidit, vt ait Ammianus.*

An. Mũdi cric. 2871.

## ABDONI IVDICI

*MEmnon, & Amazones Priamo ferunt opem.*
*Troia capitur, & incenditur.*
*Cassandra, siue Taraxandra Sibylla Priami, & Hecubæ filia neptis Calchantis Vatis, λάμπουσα dicta, hoc est resplendens.*
*Musæus poeta Orphei siue filius, siue æmulus.*
Geneb. *Sesostris Aegypti regnum propagat, victorijs inclytus.*
*Diluuium Pharonicum, in quo insula Pharos Aegypti aquis tecta est, ex Diodoro.*

SAM.

Digitized by Google

# SAMSONI IVDICI.

An. Mũdi circ. 2880.

VLysses Scyllam fugit spoliare hospites solitam, & Sirenes, quæ meretrices fuisse dicuntur, exitium nauigantibus molientes. Euseb.

Pyrrhus Delphicus in templo Apollinis ab Oreste interficitur.

Circe uenefica per incantationes, et philtra socios Vlyssis varias mutat in feras. Geneb.

Bellum Thebanum, ubi victoria Cadmea in prouerbium abijt.

Inuentio bellicarum machinarum in bello Troiano orta huc à nonnullis refertur. Equus, siue Aries inuentus à Peleo, ordo exercitus à Palamede, specularis significatio à Sinone, Inducia à Lycaone, securis à Penthesilea, tuba ab Aenea.

Demophoon regnat Athenis, dum capitur Ilium.

Aeneas soceri Latini regno succedit.

Mezentius Tyrrhenorum rex crudelissimus.

# HELI IVDICI, & ex parte Samuelis.

An. Mũdi circ. 2900.

AScanius relicto nouercæ suæ regno Lauinij, Albam lõgam condit.

Amazones Ephesiorum templum incendunt.

Agon Lyciorum primus actus.

Reges Sycioniorum deficiunt, post quos conflituti sunt Sacerdotes Carni dicti.

Melanthus regnat Athenis, Xantho Boeotiæ victo in singulari certamine. ἀπατούρια instituuntur, ideſt fallaciarum solemnitas, quòd victoria fraude parta esset.

Pylades Orestem insanum comitatur ad Dianæ Tauricæ templum.

Ciuitates in Italia, multæ à Troianis sub Antenore, & Aenea conduntur.

RE-

Digitized by Google

Ann. Mundi circ. 2962.

## REGIBVS IVDÆÆ æquales, vel ſuppares.

## SAVLI REGI, itemq; ex parte Samuelis.

Euſeb. Geneb.

*Lacedæmonij noua regna condunt per Euryſtheũ. Corinthij per Alethen luctatorem, qui Corinthum refecit, atque ornauit.*

*Heraclidæ in Peloponneſum deſcendunt.*

*Peloponneſij, & Athenienſes dimicant inter ſe.*

*Codrus decimus, & vltimus rex Athenarum, qui poſtea mutato habitu deuouit ſe hoſtibus.*

*Ariſtodemus ex Heraclidis primus regnat apud Lacedæmonios.*

*Homerum quidam ad hoc tempus referunt.*

*Incurſus in Aſiam Amazonum pariter, & Cymmeriorum.*

Ann. Mundi circ. 2980.

## DAVIDI REGI, & ex parte Salomoni. Item Nathano, & Gaddo Prophetis.

Euſeb.

*Poſt Codri regis Athenienſium mortem in bello Peloponneſiaco Heraclidarum, hoc eſt poſterorum Herculis regnum deſtruitur.*

*Epheſus condita ab Andronico.*

*Carthago conditur ſiue à Carchedone Tyrio, ſiue à Didone. ſed de huius vrbis natali variæ ſunt, dicrepanteſq; ſententiæ.*

*Medon Codri filius primus Archon Athenis conſtituitur, quippe in honorem Codri ſponte deuoti, poſteri regis nomen tenuerunt.*

*Tyria Claſſis pollet in mari. In extremo orbis noſtri termino Gades conduntur.*

SA-

Digitized by Google

## SALOMONI REGI item Sadocho pont. & Nathano proph.

*An. Mũdi circ. 3020.*

*Nicaula, hoc est regina Saba dicta, & vt quidam volunt, Aethiopum, atque Aegypti domina Salomonẽ conuenit.* — *Iosephus Genebr.*

*Homerum quidam ad Dauidis, & Salomonis tempus referunt, adijsse sacerdotes Aegyptios dicitur.*

*Hesiodus item Homero iunior floret. cùm Homeri tum Hesiodi animas apud Inferos ex arbore suspensas vapulare Pythagoras dicebat serpentibus obnoxias, & Furijs, quòd de Dijs multa indigna fabulati essent.* — *Genebr.*

*Cumæ conduntur iuxta quorundam sententiam, itemq; Neapolis; quanquam alij hanc vrbem altius repetunt.* — *Sabellicus. Pineda.*

## ROBOAMO REGI itemq; Ahiæ, Semeiæ, Addoni prophetis.

*An. Mũdi circ. 3060.*

*Thraces Bithyniam nauali prælio capiunt.*
*Samos extruitur Parthenia nomine.*
*Smyrna ab Amazonibus ornatur, & amplior redditur.*

## ABIÆ REGI.

*An. Mũdi circ. 3077.*

*Sasoeus secundus legislator Aegyptius, ex Diodoro.*

## ASÆ REGI, item Iehu, & Azariæ, & Hanano Prophetis.

*An. Mũdi circ. 3080.*

*Thraces Mare obtinent, prædas agunt.* — *Euseb.*

## IOSAPHATO REGI,

*An. Mũdi circ. 3121.* item Abdiæ, Iehu, & Michææ, Heliæ quoque, & Heliseo Prophetis

HAbis post Gorgoram annum crudelissimum regnat, ex Iustino: mirè ereptus infans à nece.
Homerum ad hæc vsque tempora vixisse quidam putant.

*An. Mũdi circ. 3146.*

## IORAMO REGI, item Heliseo.

RHodij mare obtinent.

*An. Mũdi circ. 3151.*

## OCHOZIÆ REGI, & ATHALIÆ matri reginæ.

*Geneb.* TYberinus Sylvio latino rege fugiens Albulæ fluvius Tyberis dici incipit.

*An. Mũdi circ. 3197.*

## IOÆ REGI itẽ Ioiadæ Pontif. & Ionadabo Rechabiæ, & Zachariæ Proph. filio Ioiadæ.

HEsiodus Astræus poeta, & Musarum sacerdos dictus, in Helicone adhuc floret, Theogoniam scribit.
Lycurgus Lacedæmoniorum legislator celeberrimus.
*Euseb.* Senchoris Aegypti rex, cuius pater Siparis inter Deos habitus, & Serapidis honore auctus.

Ari-

*Aremulus Rex Latinorum ob impietatem fulmine ictus interijt.*

## AMASIÆ REGI. *An. Mundi circ. 3197.*

*AVentinus rex Latinorum dat monti nomen. alij ab auibus dictum putant, quæ de Tyberi illuc ascendebant.*

*Strato rex Tyri, præter quem serui dominos omnes interficiunt.* *Euseb.*

*Carranus caprarum gregem sequès Ediſſam capit, & ab euentu Aegeam vocat, regnique Macedonij fundamenta iacit, quod duranit vsque ad Machabæos.*

*Phidon Argiuus mensuras, & pondera inuenit.*

## AZARIÆ, siue OZIÆ REGI, itemque Esaiæ, Oseæ, Amoso, & Ionæ Prophetis. *An. Mundi circ. 3226.*

*AEgyptij regem suum Osorthon Herculem nuncupant ob res fortiter gestas.* *Euseb.*

*Sardanapalus muliebriter viuens Assyrioriorum rex vltimus, duas vrbes vno die ædificauit. tandem à præfecto Arbace per coniurationem oppressus se cum suis, totaq; opulenta regia, concremauit, cuius incendium dies quindecim durauit. Arbaces imperium ad Medos transfert. porrò pecudis istius Sardanapali epitaphiũ vide apud Diodorum. ea enim tumulo inscripsit, qua, vt ait Aristoteles, boni potius, quàm regi congruere videntur.* *Iustinus.* *Euseb.*

*Antimachus lyricus poeta floret.*

*Rhetus in Samo plasticen comminiscitur.*

*Lydorum regnum initium sumit, cum antea Mæonij dicerentur.*

*Lacedæmoniorum reges deficiunt.*

*Tyrrhenus frater Lydorum regis in Italiam venit, & Tyrrhenam terram à se nominat.*



Digitized by Google

An. Mũdi circ. 3278.

## IOATHANO REGI, item Esaiæ, Oseæ, Michææ Proph.

Salian. Olymp. 1. PRimus annus huius Regis, & Olympiadum initium fuit; quo primùm ludi Olympici ab Iphito Elæorum Rege restituti sunt, qui olim ab Hercule Idæo ante annos 430 cœpti fuerant & intermissi. Chorœbus primum Elęus præmium cursus obtinuit.

Peloponnenses, & Athenienses maximum inter se bellum ineunt.

Ars sculpendi marmoris hoc tempore habuit initium ex Plinio.

Dionys. In conceptu Romuli ingens facta Solis eclypsis, & tenebræ inuctæ Cœlo, expositus cum Remo fratre à Faustulo pastore Accæ Laurentiæ alendus traditur, quæ ob rapacitatem meretricij quæstus dicta est Lupa. Romuli mater Ilia virgo vestalis viua defoditur.

Ephori apud Lacedæmonios creantur ex Theopompi consilio.

Cynethon Lacedæmonius theogoniam scribit.

Arctinas Milesius poeta floret.

Euseb. Cumelus item poeta, qui Bugoniam, & Europiam scripsit, & Archinus, qui Aethiopicam, & Iliacam vastationem.

Monius poeta thelegoniam scribit.

Olymp. 3. & 4. Androclus Messenius ineunte tertia Olympiade vincit in stadio; sequente Polycrates item Messenius.

An. Mũdi circ. 4294.

## ACHASO REGI item Esaiæ, Oseæ, Michęæ, Odedo Prophetis.

Plutar. NOno huius Regis anno natalis fuit vrbis Romæ Palilibus 21. Aprilis, quo die & Numæ natus est. Remus rastro pastorali occiditur, Romulus vincit Fidenates, Veientes, &c.

Tarpeia Virgo clypeis Sabinorum obruitur, vnde dictus mons Tarpeius, in quo Capitolium.

Ro-

Digitized by Google

*Romulus Cœlium Senatores constituit, templa, & muros extruit.*
*Sibylla Erythrea, Esaia de Christo fundente oracula, & ipsa* *Euseb.*
*multa vaticinatur. Alij verò ad Troiana tempora referunt.* *Aug. 18. de*
*Bellum inter Lacedæmonios, & Argiuos ardet.* *ciuit.*
*Olympiade quinta Aeschines Elęus stadij palmam adipiscitur.* *Dionys.*
*septima Dacles, siue Daieles Messenius.*

## EZECHIAE REGI itemq; Esaiæ, Oseę, Michęæ Prophetis, & Tobiæ.

*An. Mūdi circ. 3309.*

*Hydromantia à Persis in Italiam affertur.*
*Archilochus poeta Iambographus, qui ob mordacitatem à Lacedæmonijs vrbe eiectus, in hoc tempus incidisse à nonnullis putatur.*
*Aegyptij labyrinthi molem mirandam extruunt.* *Diodor.*
*Bellum Lacedæmoniorum vicennale contra Messenios propter stupratas virgines.*
*Dotades Messenius Olympiade decima iuuente, cursorum velocissimus habitus, & coronatus.*

## MANASSAE REGI, & ex parte Esaiæ Prophetæ, Itemq; Tobiæ, & iuxta quosdam Iudithæ.

*An. Mūdi circ. 3338.*

*Ad initium huius Regis mortem Romuli referunt à patribus in curia interfecti.* *Pererius. Serarius.*
*Qui Parthenij dicebantur, Tarentum condunt;* *Euseb.*
*Midas Rex Phrygiæ obliquam tibiam inuenit. Barbarorum primus donaria ad templum Delphicum mittit, ex Herodoto. Nepoto sanguine taurino extinguitur.*
*Glaucus Chius primus ferramentorum inter se glutinum excogitat.*

*Numa*

Digitized by Google

*Numa Pompilius 2. Rex Romanorum pacis studiosus indigitamenta tradit, Vestales, et Salios instituit ob ancile de cœlo delapsum, vt putabant. eius libri post quingentos annos eruti, vt magici ex senatusconsulto combusti sunt.*

*Sybaris conditur luxu, & vnguentis nobilis.*

*Hipponax Philosophus clarissimus habetur.*

*Tullus Hostilius regnat. Vrbi Cœlium montem addit.*

*Nicepsus magicæ artis peritus, & medicus insignis.*

Euseb. *Sibylla Samia vaticinijs nobilis habetur, alij paullò antiquiorem faciunt.*

*Simonides, & Aristoxenus musicus clari habentur.*

*Nudipedalia primùm acta in vrbe Lacedæmonia.*

*Zaleucus Locrēsium legislator iura dat. alij eum ad Iosiæ tempora referunt. Adulteris quasi libidine obcæcatis oculos erui iussit: eius criminis reo filio vnum iussè, alterum sibi piè voluit exculpi, vt & incorrupti iudicis obiret munus, & amantissimi parentis susciperet partes.*

*Athenienſium regnum deficit.*

*Aegyptij post Sethonem Vulcani Sacerdotem biennio rege carent. Duces creant duodecim.*

*Candale postremò ex Heraclidis, hoc est Herculis posteris interfecto, quintus Gyges regius pastor, muliebri opera regnat in Lydia, de cuius aneo equo, & anulo aureo Plato, & Cicero 3. de officijs meminerunt.*

Olymp. 17. 25. 27. *Manasse regnante Olympionicæ nobiles fuerunt, Diagoras Lacedæmonius, Polus Epidaurius, Tellus Sicyonius. Tū Cleoptolemus, Talpius Lacedæmonius, Callisthenes Spartanus, Euribates Atheniensis, ac præterea Xenophon Corinthius.*

Diony.

An. Mundi circ. 3393.

## AMMONI REGI.

*ALcmaon clarus habetur, & Lesches Lesbius, qui scripsit parvam Iliadem.*

*Phalaris apud Agrigentinos tyrannidem exercet crudeliter.*



Digitized by Google

# IOSIAE REGI itemque Ieremiæ, & Sophoniæ Prophetis & Oldę prophetidi, & Tobiæ iuniori, & iuxta quosdam Iudithæ.

An. Mundi circ. 3395.

Joā. Benedict. Ziglerus.

NEchao rex Aegypti ducere conatur fossam è Nilo in sinum Arabicum, siue rubrum mare, vt narrat Herodotus. idem ambitum, et magnitudinem Africæ per Phœnicios nautas inuestigat.
Oraculo Dodonęo Graeci nunc primùm vtuntur.
Terpander insignis musices arte.
Arion Methymnęus clarus habetur, delphini dorso vectus per mare in Tænarum portum.
Messana à Lacedęmoniorum societate discedit. Euseb.
Scythæ vsque ad Palæstinam penetrant.
Mystheus Atheniensis poeta floret.
Thales Milesius oritur.
Periander apud Corynthios tyrannidem exercet.
Tullus Hostilius fulmine ictus vrbi cum regia conflagrat.
Ancus Martius Numæ nepos ex filio Auentinum montem, & Ianiculum Vrbi addit, & Ostiam condit.
Perusina Vrbs conditur.
Phalaridis tyrannis destruitur. Olymp. 32. 33. 37.
Draco seuerissimus legislator leges sanguine scribere dictus. Dionys. Salian.
In Olympijs palmam tulerunt Cratinus Megarensis cursu, & Comęus tertius fratrum pugillatu. & sequenti Olympiade, Gyges Lacedęmonius. postea Spherus, & Euryclidas, ambo Lacedęmonij. Inter hæc ex quorundam sententia Iudithæ nobilissima heroina diem obit.

ELIA.

An. Mūdi circ. 3426.

## ELIACHIMO, seu IOACHIMO itemq; Vriæ Prophetæ. alteri à Dauidico.

*Stesichorus poeta lyricus floret; in cuius infantis ore lusciniam cecinisse ferunt mirabili auspicio. primus cum citharæ cantu chorum instituit.*

An. Mūdi circ. 3436.

## sub SERVITVTE BABYLONICA IECHONIA, & SEDECHIA REGIB. Ieremiæ, Baruco, & Ezechieli Prophetis, & Susannæ matronæ. æquales, vel suppares.

*Tarquinius Priscus quintus Romanorum Rex triumphat de Hetruscis. ludos Circenses instituit, Capitolium extruit.*

*Sappho, & Alcæus poeta clari habentur.*

*Tarquinius Priscus ab Anci filio occiditur.*

*Massilia conditur ciuitas Gallica.*

*Solon Draconis leges antiquat, suas constituit.*

*Pittacus Mitylenæus Melanthum tyrannum sustulit.*

*Alyattes rex Lydorum eijcit Cymmerios ex Asia.*

*Panætius in Sicilia tyrannidem exercet.*

Olymp. 41. 42. 43. *Cleonides Thebanus in stadio Olympico vincit, deinde Lycoras Lacedæmonius. post hos Cleon Epidaurius.*

SER-

Digitized by Google

# SVB SERVITVTE BABYLONICA, & desolato templo æquales, vel suppares Ezechieli, Danieli, Habacuco Prophetis, itemq; tribus pueris Ananiæ, Azariæ, Misaeli.

*IN poetico ludo, & Agone certantibus τράγοις, id est hircus premium constituitur, vnde aiunt tragœdos nuncupatos.* *A. Mundi circ. 3447.*

*Hac ætate septem Græciæ Sapientes florent. ij ferè numerantur, ex Ionica quidem Thales Milesius, & Bias Prienensis. ex Aeolica verò natione, ex Lesbo insula Pittacus Mitylenæus. ex ijs, qui in Asia erant, Doriensibus Cleobulus Lindius. Athenienſis præterea Solon, & Spartanus Chilon. denique Periander Corinthius. horum egregia dicta pro Delphici templi foribus scripta legebantur, vt ait Pausanias.*

*Solisingens facta defectio, quam futuram Thales prædixerat.*

*Alyattes, & Astyages inter se dimicant.*

*Isthmia, & Pythia post Melicertam primùm acta.*

*Seruius Tullus Romæ regnat nobilis captiuæ filius; tres montes vrbi addit.*

*Agon Nemeæus primùm ab Argiuis actus post eum, qui sub Archemoro fuerat.*

*Abaris de Scythia in Græciam venit ferens, vt aiunt, Apollinis sagittam, cuius iactu viuebat, nulla re alia indigens.*

*Nabucodonosoro succedit Euilmerodacus, & huic Balsasar, quem Daniel characterum in pariete visorum significatione perterruit.*

*Solon Athenis princeps, et legislator repugnat Pisistrato tyranno.*

*Epimenides Cretensis Solonis amicus, de quo meminit Plato.*

*Sibylla Hellespontiaca vaticinijs inclyta.*

*Eugamnon Cyrenæus theogoniam scribit.*

*Agon Gymnicus, quem Panatheon vocant, Athenis actus.*

*Pisistratus Athenienſis tyrannus in Italiam migrat.*



Digitized by Google

Olymp. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60.

*Anticrates Epidaurius in Olympico stadio palmam fert, deinde Chrysomaxus Lacon. post hunc Eurycles Spartanus. consecutus est Glaucias siue Glycon; cuius Olympiadis anno quarto ingens facta est mense Maio Solis eclipsis à Thalete prædicta, Nabucodonosoro adhuc agente ferinam vitam. deinde Lycinus Crotoniates, cuius Olympiadis anno secũdo ille restitutus est sanitati. quo item anno altera Solis eclipsis contigit in Autumno, Sole tertium libræ gradum percurrente. consecuti sunt Olympionicæ Epitelides Lacon, Eratosthenes Crotoniates, Agis Eleus, Agno Peparethius, Hippostratus Crotoniates. deinde iterum Hippostratus, iterum Epitelides Lacon. post hunc Ladromus Lacedæmonius, Archilochus Corcyreus, & Apellaus Eleensis.*

# SERVITVTE BABYLONICA laxata æquales, vel suppares ZOROBABELI DVCI, & Iosuæ, seu Iesu Pont. item Danieli Prophetę:

An. Mũdi circ. 3517.

*Principium regni Persarum à Cyro instituitur pulso Medorum rege Astyage.*

*Cyrus laxat seruitutem Hebræorum, quinquaginta ferè hominum millibus regredi iussis, & potestate facta instaurandi templi, sed à finitimis ædificatio impedita.*

Euseb.

*Anaximenes Philosophus floret.*

*Simonides clarus habetur.*

*Xenophanes Colophonius celebratur.*

*Cræsus aduersus Cyrum bellum monet.*

*Templum Apollinis Delphici secundò incensum.*

*Thales Philosophus moritur, & Stesichorus poeta.*

*Cræsus à Cyro capitur, & Lydorum regnum destruitur.*

*Tarquinius Superbus appellatus, rex Rom. excogitat vincula aurea,*

Digitized by Google

*taurea, fustes, latomias, carceres, compedes aheneas, exilia. ob stupratam à filio Lucretiam è regno tandem expulsus est.*

*Cumana Sibylla nouem libros fatidicos Tarquinio offert, eadem Amalthea dicta.* Sabell.

*Theognis poeta celebratur.*

*Pisistratus secunda vice Athenis regnat.*

*Pherecydes Historicus Pythagoræ magister floret.*

*Hippicus carminum scriptor.*

*Phocilides doctrina insignis habetur.*

*Xenophanes physicus.*

*Anacreon Lyricus poeta.* Olymp. 61.

*Tomyris Regina Cyrum interficit, et caput in vtre pleno cruoris immergit. Olympionicæ interim illustres fuerunt Agatharcus Corcyræus, & Erexidas Chalcidensis.* 62.

## ZOROBABELI DVCIS, & Iesu Pont. & Danieli Prophetæ: item Iudithæ ex quorundam sententia sub Cambyse æquales, vel suppares.

Euseb.

*CAmbyses Cyro succedit, sub quo nonnulli Iuditha historiã ponunt, & Nabuchodonosorum vocatum aiunt ob similitudinem morum crudelium, vel quia id hæreditarium nomẽ. templi ædificationem impedit.* An. Mũdi circ. 3524.

*Protagoras physicus celebratur.*

*Hippacus, & Hippias Athenis tyrannidem exercent.*

*Thespis drama dat Athenis, & tragœdias exhibet repugnante Solone.* Olymp. 63.

*Vincit in Olympijs Parmenides Camarinaus.*



Digitized by Google

# HIEROSOLYMA, ET TEMPLO restauratis sub Dario Hystaspis æquales, vel suppares ZOROBABELI DVCI, ET IOSVAE siue Iesu Pont. item Zachariæ, Aggæo, & Malachiæ Prophetis, & ex parte Danieli.

*An. Mũdi circ. 3532.* DArius Hystaspis regnat, qui Hebræis, & Hierosolymam, & templum restaurari permittit, & sub eodem perficitur ædificatio.

*Euseb.* Zopyrus celebratur ob insigne stratagema, cum se cruentauit, vt Babylonem caperet.

Dictaturæ Magistratus Romæ initium sumit.

*Plutarch.* M. Valer. & P. Posthumius Coss. de Sabinis triumphant, & ludos sæculares dant.

Hellanicus Historiographus floret.

*Solinus.* Sibyllam Hellespontiacam, quæ multa præcinuit, & de Christo vaticinata dicitur, ad hæc tempora quidam referunt.

*Phil. Berg.*

Democritus Philosophus.

Heraclitus cognomento Tenebrosus.

Anaxagoras Physicus.

Pythagoras moritur princeps Italicæ philosophiæ.

Aeschylus tragœdiarum scriptor celebratur.

Seditio, & discessio Romani populi à patribus fit.

Marius Coriolanus infensus patriæ matris, & coniugis precibus flectitur, & manus dat.

Milciadis triumphi Themistoclem insomnem faciunt.

Aristides cognomento iustus Ostracismo pellitur.

Pindarus Lyricus poeta præclarissimus canit.

Olympionicæ inuicti fuerũt Achæas Tarẽtinus, anno ante Danielis

*nielis obitum. tum Phanas Pellinæus triplici certamine, stadij, diauli, siue iterati cursus, & armatæ exercitationis, quæ Olympiade sexagesima quinta introducta fuerat. deinde Ischomachus Crotoniates, qui & sequente Olympiade vicit in stadio, tum Nicæas Locrensis, Tisicrates Crotoniates, qui & iterum victor. præterea Astylus Crotoniates; quo ferè tempore, & Zorobabelis ducis, & Iosues pontificis, & Aggai, Zachariæ, Malachiæ vatum mors contigit.* *Herodotus Olymp. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73.*

# IVDITHAE, ex aliorum sententia sub Xerxe æquales, vel suppares, & ex parte Zachariæ, Aggæo, & Malachiæ Prophetis.

*CVm Iudithe, tùm Estheris, & Mardochæi acta quidam ad Xerxis tempora referunt.* *An. Mũdi circ. 3568.*

*Xerxes pontem in Hellespontiaco mari extruit, quo per tempestatem destructo, ei plagas infligit.*

*Romæ Virgo Vestalis Popilia deprehensa in stupro viua defoditur.*

*Diagoras celebratur, & eius secta.*

*Sophocles tragœdias scribit.*

*Hieron post Gelonem Syracusis tyrannidem exercet.*

*Herodotus scribit historias.*

*Xeuxis insignis pictor habetur.* *Dionys.*

*Epicharmus poeta docet Athenis.* *Olymp. 76.*

*Olympionices Astyllus Syracusanus palmam fert. post hunc Scamãder Mitylenæus. sequenti Olympiade Dates Argiuus. post hunc Parmenides Posidonius.* *Scaliger. 76. 77. 78.*

ESTHERI,

Digitized by Google

# ESTHERI, ET MARDOCHEO, & Esdræ sub Artaxerxe Longimano æquales, vel suppares.

An. Mũdi circ. 3590. *Magna Solis facta defectio.*
*Empedocles, & Parmenides Physici Philosophi celebrantur.*
*Pherecydes Syrus historias scribit.*
*Cratinus, & Plato comœdiarum scriptores, Aristarchus tragœdiarum.*
*Telesilla poetria, Praxilla quoque, & Deobulena celebrantur.*
*Templum Iunonis Argis incenditur.*
*Abaris Hyperboreus lustrat adhuc orbem terrarum cum Apollinis sagitta.*
Olymp. 79. 80. 81. *Xenophon Corinthius in Olympijs vicit. deinde Torymbus Thessalus.*

# NEHEMIAE, itemque Esdræ æquales, vel suppares sub eodem Artaxerxe Longimano.

An. Mũdi circ. 3609. *Incerna hic regis Artaxerxis Hierosolyma muros, quos sub Dario rudi modo refectos finitimi hostes dissiparant, readificandos curat.*
*Herodoto libros suos Athenis in concilio legenti plauditur.*
*Melissus Physicus philosophatur.*
Euseb. *Protagoras Sophista, cuius libros decreto publico Athenienses exurunt.*
*Euripides tragœdias scribit.*
*Phidias eburneam Minerua affabrè facit.*
*Theatetus mathematicus insignis habetur.*

Meto

*Meto insignis astrologus, annis decem nouennalis, seu Aurei numeri inuentor.*
*Gens Campanorum in Italia constituitur.*
*Democritus Abderites, & Hippocrates medicus, & Gorgias, & Hippius, & Prodicus florent.*
*Zeno Stoicus philosophatur.*
*Bacchilides lyricus, Thucidides historicus, Eupolis comicus florent.*
*Pericles fulgurare, tonare, permiscere Graciam dictus, obit, & Plato nascitur eodem anno.*
*Ex Aetna monte incendium erumpit.*
*Ingenti terræmotu Atlas scinditur.*
*Cornelius Cossus triumphans spolia opima propè Romuli spolia dedicat.*
*Olympionices fuit Chryson Himeræus, quem deinde consecutus est alter eodem nomine item Himeræus, qui bis in Olympijs vicit. post hunc Theopompus Thessalus, Sophron Apracēsis, & Symmachus Messinensis, qui bis vicit, & Hyperbius Syracusanus.* Olymp. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90.

# ESTHERI, & MARDOCHÆO ex aliorum sententia sub Artaxerxe Mnemone.

*Alcibiades diem obit, & paulò post Socrates.* An. Mūdi
*Camillus Romæ triumphat, Romulus alter appellatur ob rem ab eo præclarè gestam.* circ. 3650.
*Demosthenes Orator celeberrimus nascitur.* Hist. schol.
*Herina poetria canit.* Euseb.
*Romani craterem aureum Apollini Delphico ex voto mittunt. ades Iunoni Reginæ dedicatur.* Olymp. 91
*Pugna Leuctrica, in qua Lacedæmoniorum vires attruntur à Thebanis Epaminonda duce.* 92. 93. 94. 95. 96. 97.
*Olympionicæ hoc ferè tempore clari habentur; Estenetus Agrigentinus semel, atque iterū, Polydamus Thessalus pancratiastes,* 98. 99. 100. 101. 102. 103.

Digitized by Google

*stes, & Eubatus Cyrenæus. tum Phidos, siue Minos Athe nienſis, & Eupolis Eleus. tum Soſippus Athenienſis, Dicon Syracuſanus, & Dionyſidorus Tarentinus. deinde Damon Tutius, & Pitoſtratus Athenienſis.*

## ESTHERI, & MARDOCHÆO ſub Artaxerxe Ocho iuxta aliorum opinionem, itemq; Ieddoæ Pontifici, ſiue Iaddo. æquales, vel ſuppares.

*An. Mūdi circ. 3690.*

CVm Eſtheris, tùm Iuditha acta ad huius Imperatoris tẽpora, nonnulli referunt.

*Epaminondas accepto lethali in pectore vulnere occumbit, gloriaturque ſeduas filias peperiſſe, hoc eſt victorias apud Leuctra, & Mantineam. non ante telum extrahi paſſus eſt, quàm clypeum ſaluum eſſe audiuiſſet.*

*T. Manlius hoſte ſpoliato, eiusque torque collo ſuo circundato Torquati cognomentum adipiſcitur, in familiamque transfundit.*

*Philippus Macedo ad Chrenidas profectus vrbem Philippos nominat, & auri fodinas circa eam regionem inuenit ditiſſimas. Olympiadi thalamo iũgitur, ex qua Alexandrũ ſuſcipit.*

*Demoſthenes adit rempubl. oratorijs lacertis validiſſimus pugnat.*

*Ochus Sidonios quingentos habitu ſupplicum ornatos crudeliter iaculis configi iubet.*

*Plato moritur, & in Academia ſepelitur. ei Speuſippus ſuccedit.*

*Dionyſ. Olympion. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111.*

*Inter hæc aſſecuti ſunt in Olympijs palmam Phocion Athenienſis, Porus Cyrenenſis, Porus Malienſis, Smicrinas Tarentinus, Polycres Cyrenenſis, Ariſtolochus Athenienſis, Antiches item Athenienſis, & Clitorius Clomantius.*

IEDDOAE

Digitized by Google

# IEDDOAE, SIVE IADDO PONT. sub Alexandro Magno.

ARistoteles Peripateticorum princeps floret, & Isocrates rhetor. An. Mũdi circ. 3711.

Alexandri Macedonum Regis res præclarissimè gestæ ad hæc tempora referuntur. capta Tyro Iudæam inuadit, sed ad Ieddoa Pontificis pedes pronus accidit. Nehem. 12.

Speusippo in Academia succedit Xenocrates.

Manlius Torquatus Consul filium suum, quòd pugnam iniisset iniussus, virgis cæsum securi percutit.

Vicerunt hoc tempore in Olympico stadio Chilo in primis Chalcidensis, & Mycinas Rhodius. Olymp. 112. 113. 114.

# SIMONI COGNOMEMTO IVSTO Pontifici æquales vel suppares.

EXtat præclarum huius Simonis elogium Ecclesiast. c. 50. inauguratus est Pontifex initio Olympiadis vigesimæ supra centesimam, cui Pythagoras quidam Magnesius in stadio victor nomen dedit. An. Mũdi circ. 3754. Euseb.

Extinguitur Alexandri Magni familia, Olympiade matre iugulata, & filijs veneno extinctis.

Decius in bello se deuouet.

Aedes Romæ Ioui Statori vota ab Attilio.

Romæ pestilentia grassatur: multa ciuium millia bello extincta.

Fabius Gurges de Samnitibus triumphum agit, eius currum equo insidens sequitur pater: is legatus in bello esse dedignatus non fuerat filio, quem paruulum gestauerat in triumphis suis.

Æsculapij signum Romam ex Epidauro refertur anguis specie Olymp. 115

Simoni huic Oniæ filio ferè synchroni fuere nobiles illi Olympionicæ, Dinomenus Lacon; tùm Parmenio Mytilenæus, & Apol- 116. 117. 118. 119. 120.



Digitized by Google

*Apollonides Tegaeus, & Andromenes Corinthius: inemso verò pontificatum, Pythagoras quidam Magnesius.*

## 70. INTERPRETIBVS æquales, vel suppares.

*An. Mũdi circ. 3775. Euseb.*

*INclusi singuli suis cellulis Ptolemaei Philadelphi iussu sacras literas ex Hebraeo in graecam linguam transferunt uno concentu, consensuque.*

*Brenni exercitus clades templum Delphicum spoliare conãtis.*

*Roma pestilentia putatur orta ex stupro Vestalis virginis Sextilia, qua viua defoditur.*

*Alterius Decij deuotio in pugna Pyrrhica.*

*Sostrates Lydius Pharum Alexandriae extruit:*

*Vestalis altera Virgo in stupro detecta laqueo sibi vitam eripit.*

*Aratus poeta celebratur, & Palaemon Philosophus, & Zeno, cui succedit Cleanthes.*

## ONIAE III. PONTIFICI æquales, vel suppares.

*An. Mũdi cir. 3847 Salian. 2. Mach. 15.*

*HIc ille Onias est, qui laudatus in libris Machabaeorum, & apparet cum Ieremia, dum hic gladium aureum per visum tradit Iudae Machabaeo.*

*Annibal Iunoni Lacinia aram condit, dedicatque cum ingentirerum à se gestarum titulo graecè, & punicè inscripto.*

*Idaea mater Pessinunte Romam aduehitur.*

*Scipionis Africani triumphus ornatissimus ducitur.*

*L. Aemilij, & L. Scipionis Asiatici triumphus item illustris.*

*Scipionis Africani mors.*

*Andronicus, Onia impiè interfecto, eodem in loco, vbi tades fecit, ab Antiocho Epiphane iubetur interfici.*

MACHA-

Digitized by Google

# MACHABÆIS
## æquales, vel ſuppares.

## MATHATIÆ DVCI, ET PONT:

*An. Mũdi circ. 3888.*

*ANtiochus ſacratas Iudæorum leges reſcindere conatur, ſupplicijs, & morte propoſita in templo ſimulacrum collocat Iouis Olympij dictum, ſicut & illud, quod erat in Garizim, Iouis Hoſpitalis dicebatur. diuinæ legis libros conſciſſos igni tradit. cogit Iudæos tanquam Bacchi cultores ipſius natali die hedera coronatos vrbem circumcurſare, choreas agere, Orgia celebrare cum thyrſis.*

*Paulus Aemilius regia naui ingentis magnitudinis victor inuehitur, ornata Macedonicis ſpolijs. triumphus ei decernitur, quem triduo magnificentiſſimè duxit: Perſes in primis captiuus ſpectaculo fuit.*

*Ennius poeta articulari morbo perit; conditur in Scipionum ſepulchro.*

*Rhodij corona aurea viginti millium aureorum pondo data, pacem à Romanis expoſcunt.*

## IVDÆ DVCI, ET PONT.
## item Eleazaro, Raziæ, & 7. fratribus Machab.

*An. Mundi circ. 3889.*

*M. Iuuentius conſul Corſica ſubacta receptis literis de gratulatione, & ſupplicatione Romæ indicta prægaudio concidens expirauit.*

*Terentius comœdiarum ſcriptor egregius celebratur.*

*Eodem anno & Iudas ſtrenuè cadit in bello, et Paulus Aemilius diem obit, hic exterorum principum, ille fratrum humeris effertur, & nobili mauſoleo conditur.*

## IONATHÆ DVCI, & PONT.

*An. Mũdi circ. 3894. Euſeb.*

*PAcuuius Brunduſinus tragœdias ſcribit Enuij nepos. Lucilius poeta naſcitur.*



Digitized by Google

*Chartago in ditionem Romanam redigitur per Scipionem.*
*Romani, & Spartiata fœdera ineunt cum Hebræis per Ionatham.*

## SIMONI DVCI, ET PONT.

*An. Mũdi circ. 3912.* L*Actius tragœdiarum scriptor clarus habetur.*
*Bellum seruile oritur in Sicilia.*

## IOANNI SIMONIS FILIO Duci, & Pont.

*An. Mũdi circ. 3920.* I*Oannes hic ex deuictis Hyrcanis cognomẽ sortitur Hyrcani.*
*Attalus moriens regni sui populum Romanum relinquit hæredem.*

*Euseb.* *Hiero insula apparet ex incendio iuxta insulas Aeolias.*
*Iugurtha contra Romanos dimicans capitur.*
*Rhodo terræmotu concussa colossus Soli dicatus corruit.*

## AVCTARIVM

## ZACHARIÆ, & ELISABETHÆ Ioannis Baptistæ parentibus æquales, vel suppares.

*An. Mũdi circ. 3991. Ante Christum 62.* I*N Machabæis quidem sacra vetus historia terminatur, sed vt Synchronologiam ab Abrahamo deductam vsque ad Christum natum expleam, hanc quasi coronidem appono.*
*Duplex affertur causa cur Zacharias, & Elisabetha carerent prole, tùm sterilitas, tùm ætas, quippè ambo processisse dicuntur diebus suis. videntur igitur ferè sexagenarij fuisse; hæc. n. ætas vt plurimùm inepta sit proli. & quia conceptus Ioannis incidit in annum mundi 4651. retrocedendo Synchronos deducemus ab anno mundi 3991.*

Lucull.

Digitized by Google

*Lucullus de Mithridate triumphat, quem Pompeius ob luxum Xerxem togatum appellabat.*

*Catilinæ coniuratio patefit per Fuluiam M. Tullio.*

*Nascitur C. Octauius, qui postea Augustus est appellatus.*

*Pompeius in templum Hierosolymitanum irruptionem facit; quod dum defendunt, ferè 12. millia Iudæorum occisa, interim Sacerdotibus constanter operantibus.*

*Metellus Creticus triumphat. sed Pompeij magni triumphus spectabilis maximè fuit, quem de vniuerso orbe ternarum ducere dictus est; quanquam mox tanta vis gloriæ defloruit.*

*M. Tullij reditus ab exilio totius Italiæ gratulatione cohonestatur.*

*Pugna Pharsalica detonat. Pompeius occumbit, cuius capite, & anulo viso, Cæsar illacrymatur. Cato Vticensis se interimit.*

*C. Cæsaris triumphi quatuor ducuntur insigni splendore, & magnificentia quatuor seorsim diebus, de Gallis, Aegypto, Pharnace, & Iuba.*

*C. Cæsar tribus, & viginti vulneribus ad Pompeij statuam confoditur. iusiurandum editur de eius morte vindicanda.*

*In Octauianum Cæsarem Antonius bellum mouet.*

*M. Tullius in Phormiano suo occiditur, caput cum manu dextera pro rostris positum, iuxtaque coronata imago Popilij militis interfectoris.*

*Ouidius Naso Sulmonensis poeta nascitur.*

*Romæ tres Soles exorti paulatim in vnum orbem coeunt: tàm illustri diuinitatis argumento conditori suo, cuius opperiebatur aduentum, præradiante Natura.* Euseb.

*In taberna meritoria trans Tyberim oleū è terra erumpit, manatque toto die, quod quidam ad vberem Dei gratiam referunt exteris diffundendam; ego etiam ad veri, summique Regis breui nascituri inaugurationem quandam.*

ANNAE.

Digitized by Google

## ANNÆ, ET IOACHIMO Deiparæ parentibus; item Zachariæ, & Elisabethæ.

An. Mundi 4006. ante Christum 37. Salian.

ANna hoc anno Ioachimo nubit: itaque & superiores exteri, quos numerauí, certè ex parte vtrinque synchroni fuerunt. permanserunt autem à nuptijs steriles annos viginti. hoc autem, quo illa nubit, anno Roma Ventidius de Parthis triumphum agit.

Sequenti anno Herodes Hierosolyma potitur, impleturque Iacobi vaticinium de sceptro ad exteros transferendo sub magni Liberatoris aduentum.

Inter hæc Antonius triumphat Alexandriæ.

Euseb. Luna secundũ Romanos cursus inuentus, & digestus ex liscilicea paneis ante annis quàm illa nasceretur, qua Lunam ipsam maculosam calcatura esset pedibus, vt dignitate superior, & labis immunis.

Iudæa magno terræmotu concutitur, & tanquam vicini Numinis maiestate percussa horrore perfunditur.

Cleopatra se interimit aspide admota. Antonius item sibi manus affert.

Cæsar Augustus appellatur, quasi humana conditione maior, & Sextili mensi nomen das.

Cæsar cum ingenti triumphi pompa Romam ingreditur; Cleopatræ filij Sol, et Luna (hoc nomine iactanter appellati) captiui ducuntur, vt triumphus esset illustrior: sed longè ille præclarior fuit, quem postea Dei filius de principibus tenebrarum duxit, quàm qui de principibus aërrorum ductus à Cæsare.

Iani porta aperiuntur ob bellum Hispanicum.

Cæsar Apollinis ædem consecrat cum porticu, in qua bibliothecam Latinam, Græcamque collocat.

Ph. l. Berg. Sibyllæ Tiburtinæ Albuneæ dictæ, quæ de nostræ salutis vindice, deque eius matre Virgine vaticinata dicitur, simulacrum in Anienis gurgite inuentum, librum manu tenens, & quodammodo enatare, atque emergere visa ad proximos vaticiniorũ euentus.

Agrip-

Agrippa Consul Pantheum, hoc est commune delubrum Dijs omnibus dedicat, quod certè in maius eorum dedecus, & cladē cessit, vt videlicet vera religio postea invaderet ita collectos, & quasi vna esset omniū, qua desecaretur, cervix. quanquam iam tunc præcessit, vel omen, vel pignus exitij: paullò enim post eius Pantheistatua fulminibus icta uni, veroq; Numini pœnas dederunt.

Tyberis inundans vrbem superstitione inquinatam quodammodo eluere visa est.

Anaxilaus Larisseus Pythagoricus, & præstigiator insignis ab Augusto vrbe, Italiaque pellitur, quasi incipiente superstitionis omnis exhaurire sentina. Euseb.

Indi ab Augusto per legatos amicitiam postulant; ineuntibus videlicet eum Roma nova fœdera vltimis nationibus, vt postea eam audirent veritatis magistram.

Augustus, cum ei monarchia deferretur, renuit. veluti præsagiente animo, imperium orbis terra ei, qui ipsum condidisset, iure deferendum. sub hoc tempus eius hastæ ferrea cuspis de cœlo tacta satis clarè significare visa est, orbem terræ Vrbi subijciendum non ferro, sed ligno.

Herodes extructo amphitheatro ludos quinquennales dat.

Herodes templum Hierosolymæ magnificentissimè extruit, & tanquam regiam, licèt ignarus, aduentanti Numini apparat.

Virgilius Maro diem obit ferè triennio ante Deiparæ ortum, scilicet ille, qui Parthenius, hoc est virgineus dicebatur, ad proximum magnę, veræque Virginis aduentum euanuit: ac tanta maiestas carminis, quo etiam Sibyllinum de ipsa oraculum cecinerat, se ostentare non est ausa coram ea, quam dignè laudauerit nemo.

Anno ferè antequam futura Dei mater conciperetur, Roma ingenti motu contremuisse dicitur, tanquam falsorum Deorum simulacra, ac superstitionem à se excuteret. & illud mirum planè prodigium sub idem tempus Romæ accidisse commemorāt, quod omniū animos rei nouitate percussit: ferūt. n. Minervæ signū, quod in Orientē respiciebat, nemine mouente repente conversum ad Occasum versus, tanquam hebescente, videlicet apud veteres omni acie, vel ingenij, vel virtutis, Phil. Berg.

quippè

(quippè & sapientiæ præses, & virgo Minerua habebatur) ad nouum clarissimi, purissimique sideris exortum.

## MAGNÆ DEI MATRI VIRGINI vsque ad diuinum partum Synchroni:

*An. Mũdi 4037. ante Christum 16.*

SIngulos hic annos, vtpotè in re præstantiore, distinguere libet. Anno, quo magna Dei mater in vtero Annæ concipitur, oritur Lucius nepos Augusti tanto cum gaudio, vt iam tum eum hęredem statim declararit, ac diei celebritatem, qua alio die Honori, & Virtuti dedicata erat, ad ipsius natalem transtulerit; ac præterea Seculares ludos dederit, auspicio quodam felicioris ætatis ineundæ. sed cùm Honor, tùm Virtus multò veriùs, augustiùsque in concepta Virgine dedicata sunt, & quasi noui seculi faustissimi decus accessit. Addo illud sanè præclarissimum, quod miror adhuc à nemine animaduersum. cùm Virgo diuinum ediderit partum annos quindecim, vt ait Euodius, nata, si vnum ad eius ortum addideris, eum scilicet, quo concepta est, inueniemus apud Eusebium eo ipso anno in insula Cypro Veneri dicata, vnde & Cypria dicta est, multas Ciuitatum partes, in primis Paphi, vbi Venus studiosiùs colebatur, horribili terræmotu corruisse: contremiscente videlicet statim ad magnæ Virginis aduentum impudicitię regno, funditusque collapso, ac proinde infamis Deæ delubris, arisque subuersis, eiusque, & incesti Cupidinis signis, quibus ea regio abundabat, confractis, & cõminutis, vnà cum sagittis, & arcu. desijt Venus dici potens Cypri, quę Cyprum ab exitio tueri non potuit, immò neque se ipsam, quippè suæ regionis ruinis oppressa, ac tumulata est. nunquam uerius quàm in tàm immani suorum cultorum strage, vt sit in hoc genere calamitatis, appellata est Libitina. dedit cũ suis ad virginitatis tribunal subitas, & debitas turpitudini pœnas. noluit Dei mater nascendo terrã, antequã his fœdis monstris expiaretur, attingere. denique vide tãti prodigij arcanas ambagse

*bages: impura Cypri tellus ea iactatione fatiscens cum ingenti incolarum exitio labem fecit, vt Virginem sine labe conceptam libido se habere sciret vltricem.*

1 *Anno, quo nata est Virgo, Augustus Quirini templum dedicat, sex & sexaginta columnis superbum, sed quod hanc augustissimam aedem Numinis non aequauit.* *Anni Virginis.*

2 *Nascitur Germanicus Caesar, & à Tiberio iussu Augusti adoptatur: is Caligulae pater fuit. Augustus Pollionis luxuriã, qui murænas seruorum carnibus saginabat, castigat. Cyzicenis libertatem donat. Paphijs terræmotu afflictis pecunia succurrit.*

3 *Porticus Pauli Aemilij triumphalis incenditur, & ignis vsque ad Vestalem aedem grassatur, vnde Sacra in Palatium delata.*

4 *Triennio exacto puella Deipara sistit se templo, atque dedicat. interim Augustus Romam rediens, laurum fascibus detrahit, & ad Iouis genua deponit. Tiberius ludos votiuos pro eius reditu dat, & Troiã Caius nepos Augusti inter pueros patricios ludit. Augustus ipse amphitheatrũ dedicat: in eo ferae Africanae sexcẽtae depugnãtes occisae. Epulũ deinde datũ.* *Sueton.* *ipse pontificatum init, & Vestales Virgines muneribus ornat,* *Salian.* *quae tamen prae magna, veraeque Virginis ornamentis à Deo collatis vilia fuerunt. tùm libros fatidicos comburit, & Sibyllinos expurgat, tanquam eos felicissimis rerum praedictarum euentibus praeparans.*

5 *Augustus pater patriae nominatur.* *Euseb.*

6 *Tiberius Dalmatas domat, & Piso Thraces.*

7 *Augustus Octauiam sororem vita functam publicè laudat in Sacrario. cum Iani templũ claudere vellent, impedimento fuit defectio Dalmatarum, & Dacorum incursus in Pannoniam. Caesareae dedicatio fit ab Herode. is Castellum in gratiam matris vocat Cypron, & turrim in vrbe pulcherrimam instar Alexandrinae Phari extruit.*

8 *Claudius Drusus moritur, Imperatoris Claudij parens, & Tiberij frater; laudatus autem est in funere ab ipso Tiberio, & iterum ab Augusto.*

9 *Augustus annum corrigit, & nascituro temporum conditori*



Digitized by Google

quasi præparat, & lustrum condit. Mecænas obit, & ex dolore eius obitus etiam Horatius poeta Lyricus. siluerunt videlicet incestæ poetarum quantumuis nobilium lyræ, cum mox audienda essent illa cœlestium fidicinum ad castas nati Dei cunas.

10 Tiberius consulatum init, & triumphum agit. Augustus munus gladiatorium dat. Herodes Dauidis sepulchrum spoliare aureis ornamentis aggreditur, sed flamma exiliens satellites necat.

Euseb. 11 Quinquennio ante diuinũ partũ in Coo insula immani terræmotu facto plurima ædificia corruerunt: nempè ibi superbissimum illud Iunonis reginæ templum fuit tot insignibus ornatum, vt integrum de eo librum Theodorus scripserit. ibidem & Aesculapij nobile delubrum; inde Apelles ortus, cuius Coa Venus celebratur, quæ hòc inuenustior fuit, quòd nuda depictas expulit à se tellus incesta huiusmodi monstra, dum castissima Virgo adolesceret in Dei matrem. hoc item anno Augustus Tiberio dat tribunitiam potestatem, & Armeniam, qua defecerat, mandat.

Euseb. 12 Augustus sit duodecimùm Consul. quod munus, quamuis, bonorum satur, suscepit, vt C. Cæsarem annos sexdecim natũ maiore cum pompa & gloria Consul in forum deduceret.

13 Herodes filios suspicione inani adductus crudeliter necat.

14 Incidit in hunc annum conceptus Ioannis Baptistæ. Nascitur Sulpicius Galba, qui postea septimus fuit Imperator. Pherotas Herodis frater, cui regnum Pharisæi vaticinati fuerant, veneno tollitur, id agente Doride Antipatri matre. In hunc etiam annum incidit desponsatio Deiparæ cum Ioseph, decimoquinto circiter Nouembris die, quatuor scilicet mensibus antequam diuinum conciperet Verbum, vt ait Eusebius.

An. Mundi 4052. Salian. 15 Dei filius in Virginis vtero concipitur, ac suo tempore ex eadem Virgine prodit. Augustus hoc anno sit decimumtertiũ Cõsul. spectacula dat, in primis Naumachiam, aqua in Circũ Flaminium inducta. in ea Naumachia tres & triginta cocodrili sunt occisi; ac plurimæ triremes, & triginta rostratæ naues depugnarunt: sed hic splendor domesticis sordibus obsoleuit.

Digitized by Google

*soleuit: quippè Iulia Augusti filia ob enormes libidines, & turpitudinũ notas à Tiberio repudiatur, immò à parẽte ipso Roma relegatur, qui & pudore suffusus aliquandiù latuisse dicitur, nec in conspectũ se dedisse; ita quo tempore inter augustales Imperatorum purpuras libido summo cum dedecore versabatur, pudicitia inter plebeios Dei pannos à Virgine matre collatos maximum obtinuit decus. Interim Iudæa iuuentus à suis concitata doctoribus aquilam auream, quæ supra præcipuam templi portam ab Herode dicata fuerat, quasi ad Idololatriam pertineret, detractam securibus concidit, ad omne supplicium parata. sed nimirùm & illa in Romana cauea spectacula belluarum magnifieri desierunt, cum in specu datum est spectaculum omnium maximum, inter bruta paruulus Deus; & præterea aquilis vel aureis fracta sunt alæ, cum nobiliores è Cœlo alites denolarunt in terras. cesserunt videlicet aquilæ cygnis sub Virgine candida, & superbum aurũ ignominiosè proculcatum est sub paupere Deo. Hoc item anno Xystus philosophus Pythagoricus nascitur: sed Dei filius nascens veteres omnes philosophos quodammodo hòc Pythagoricos fecit, quòd indixit ipsis silentium. quid mirùm? quando & sub idem tempus Deorum loquacium muta fecit oracula.*

*Euseb. Plutarch. de orac. defec.*

*Finis.*


LAVS DEO,
eiusq; magnę Matri
Virgini.

BIBLIOTECA STATALE CREMONA
10488
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google